3 1761 07833921 5

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/thesaurusresolut62cath

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1793.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCXCIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

BX
1935
A36
t. 62-63
LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX

ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1793. per Diœceſes diſpoſitus.

A

Albinganen. 15. Junii, & 20. Julii *pag.* 163. & 183.
Amerina Matrimonii 15. Junii, 20. Julii, & 7. Septembris *pag.* 159. 184. & 222.
Anconitana Matrimonii 19. Januarii, & 16. Martii *pag.* 1. & 47.
Anconitana Emphyteuſis 17. Auguſti *pag.* 208.
Anglonen. & Turſien. Irregularitatis 20. Julii, & 17. Auguſti *pag.* 197. & 200.
Ariminen. Veuditionis 20. Aprilis *pag.* 66.
Asculana Ordinationis 15. Junii, & 14. Decembris *pag.* 162. & 252.
Asculana Beneficii 17. Auguſti *pag.* 211.

B

Balneoregien. Pecuniaria 23. Februarii, & 16. Martii *pag.* 45. & 47.
Bergomen. Irregularitatis 19. Januarii, & 23. Februarii *pag.* 23. & 25.
Bononien. Alienationis 11. Maii, & 15. Junii *pag.* 122. & 127.
Bracharen. Reſtitutionis in integrum ſuper circumſcriptione 20. Aprilis *pag.* 67.
Brictinorien. 20. Aprilis *pag.* 72.

C

Calaritana Irregularitatis 19. Januarii *pag.* 12
Camerinen. 11. Maii *pag.* 109.
Camerinen. Procurationis 7. Septembris & 23. Novembris *pag.* 230. & 235.
Camerinen. Miſſæ Conventualis 14. Decembris *pag.* 256.
Camerinen. Abolitionis Legati Miſſarum, & Absolutionis 14. Decembris *pag.* 262.
Caputaquen. Irregularitatis 17. Auguſti, & 7. Septembris *pag.* 218. & 221.
Cæsenaten. Applicationis Hereditatis 23. Februarii *pag.* 31.
Civitatis Caſtellanæ, & Hortana 20. Aprilis, & 11. Maii *pag.* 87. & 91.
Civitatis Caſtelli Capellaniæ 23. Februarii *p.* 34.
Civitatis Caſtelli 15. Junii, 20. Julii, & 17. Auguſti *pag.* 178. 198. & 200.
Civitatis Plebis 11. Maii *pag.* 113.

D

Dubia ſuper Matrimoniis inter Catholicos, & Hæreticos Clivienſis Ducatus 15. Junii *pag.* 127.

E

Eugubina Electionis 7. Septembris *pag.* 226.

F

Faventina Vacationum 23. Novembris & 14. Decembris *pag.* 249. & 251.
Feretrana Reductionis Miſſarum 19. Januarii *pag.* 1.
Ferrarien. Reductionis Miſſarum 19. Januarii, & 23. Februarii *pag.* 19. & 25.
Ferrarien. 16. Martii *pag.* 57.
Firmana Legati 19. Januarii *pag.* 8.
Firmana Commutationis Voluntatis 23. Februarii & 20. Aprilis *pag.* 37. & 84.
Firmana 16. Martii *pag.* 49.
Firmana Emphyteuſis 11. Maii & 7. Septembris *pag.* 92. & 225.
Firmana Miſſæ Conventualis 23. Novembris *pag.* 245.
Foroſempronien. 14. Decembris *pag.* 258.
Foſſanen. Celebrationis Miſſæ 11. Maii, & 15. Junii *pag.* 117. & 127.

I

Januen. Capellaniarum 16. Martii, & 20. Aprilis *pag.* 60. & 65.
Januen. Irregularitatis 20. Aprilis, 11. Maii, & 14. Decembris *pag.* 85., 91., & 251.
Januen. Matrimonii 20. Julii *pag.* 184.

L

Leodien. Diſpenſationis Matrimonialis 14. Decembris *pag.* 253.
Lucana Unionis Beneficii 23. Februarii, & 16. Martii *pag.* 42. & 47.
Lucana Irregularitatis 15. Junii, & 20. Julii *pag.* 175. & 184.
Lunen. Sarzanen. 19. Januarii *pag.* 1.

Luneu. Sarzanen. Reductionis Missarum 23. Novembris & 14. Decembris *pag.* 248. & 251.

M

Missa Regalis Capellanorum 7. Septembris & 23. Novembris *pag.* 232. & 235.

N

Novarien. Reductionis 19. Januarii *pag.* 14.
Novarien. Reductionis Missarum 17. Augusti, & 7. Septembris *pag.* 214. & 221.
Novarien. Reductionis Missarum 23. Novembris *pag.* 242.
Novarien. Translationis, & Reductionis Missarum 14. Decembris *pag.* 259.
Nullius Caven. Irregularitatis 7. Septembris *pag.* 226.

P

Pernina Montis Pietatis 11. Maii *pag.* 105.
Pontis Curvi Jurispatronatus, & Administrationis 23. Novembris *pag.* 240.

R

Ripana Emphyteusis 23. Novembris *pag.* 237.

nuarii *pag.* 6.
Romana Capellaniæ 23. Februarii, & 23. Novembris *pag.* 40. & 235.
Romana Subsidiorum Dotalium 20. Julii, & 17. Augusti *pag.* 190. & 199.

S

Santandrien. Servitii Chori 16. Martii, & 20. Aprilis *pag.* 63. & 65.
Senogallien. Capellaniæ 20. Aprilis *pag.* 81.
Senogallien. Canonicatus 11. Maii *pag.* 96.

T

Tudertina Matrimonii 7. Septembris *pag.* 222.
Tyburtina Dismembrationis 16. Martii *pag.* 55.

V

Vallisoletana 17. Augusti *pag.* 209.
Veliterna Subsidiorum Dotalium 23. Februarii *pag.* 25.
Volaterrana Juris optandi 15. Junii, & 20. Julii *pag.* 167. & 183.
Usellen. 20. Julii, & 17. Augusti *pag.* 193. & 199.

Die Sabbathi 19. *Januarii* 1793. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

FERETRANA REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap. de Reformat.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

LUNEN. SARZANEN. *Sess.24. cap12 & sess.28.cap. 4. de Reformat.*

An, & quomodo ſit locus ſuspensioni Missarum, & dispensationi a residentia, & præstatione hospitij in casu &c.

Affirmative in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet mense, & docto coram Episcopo de erogatione superextantium redituum in causam expressam.

ANCONITANA MATRIMONII. Nupsit die 11. Febbruarii 1782. Com. Joseph Nappi nobili puellæ Theresiæ Ercolani: sed eam in quatrienni concubitu deflorare non potuit. Consulentibus igitur utriusque Confessariis, a thoro se separarunt Conjuges; & tamen per intermissos congressus inutile veneris periculum ad aliud sexennium fecerunt. Concordi tandem animo institerunt die 8. Martii elapsi anni 1792. coram *Sess.24. cap.1. de Reformat. Matrim.*

Emo Episcopo Anconæ pro dissolutione matrimonii ob impotentiam viri, omnibusque adimpletis præceptis Benedictinæ Constitutionis *Dei miseratione*, per constitutum scilicet Conjugum, recognitionem corporum, testiumque examen, definitive Emus Episcopus pronunciavit die 18. subsequentis Junii, *constitisse & constare de antecedenti, absoluta, & insanabili coeundi impotentia Comitis Josephi Nappi, & consequenter de nullitate matrimonii, locumque proinde fuisse & esse dicti matrimonii dissolutioni*; atque hinc delata ad EE. Vestras Causa, rationes exposuit decidendi, de quibus infra, suamque informationem in hæc conclusit verba: *Certiores per me facti ambo Conjuges de proximis istius Sacri Consessus literis, dixerunt, se in ea perstare mente, quam primum pari consilio exposuere. Interim autem Supremum Beatissimi Hierarchæ oraculum præstolantur, ut quæ hic acta sunt, probet, quosque, natura viri obsistente, Deus non conjunxit perpetuo justoque maritali foedere, ipse separet; & quæ tandem mater esse velit, alteri viro conjungi posse confirmet.*

Regulam præmittunt Defensores Conjugum, quod constito de absoluta coeundi impotentia, dissolvendum est ob defectum substantiæ matrimonium, *Pont. de matrim. lib.7. disp.107. num. 3.*, *Ursaya discept. 12. num.29. tom.1.*, *Gutier. de matrim. part.3. cap. 112. num.1. & seqq.*, *& Sacra hæc Congregatio in Sancti Severini Matrimonii 2. Junii 1742.*, *& in Romana Matrimonii 13. Januarii 1753.* Distinctionem insuper memorant triplicis impotentiæ; manifestæ scilicet; verisimiliter ex externis indiciis manifestæ: & occultę, quæ ex interno oritur vitio, & frigiditas in jure canonico appellatur. Atque his præmissis, visibilem affirmant impotentiam Comitis Nappi ob organicum vitium penis. Quatuor enim periti, qui illius virilia recognoverunt, duo scilicet Medici, totidemque Chirurgi, uno ore referunt, venas penis esse varicosas, seu dilatatas, ita ut erectionem impediant, *ed un tal difetto per essere organico non è superabile colli rimedj*. Ex tali autem peritorum relatione, quam plurimi faciendam censent *Abulen. de Sacram. disput. 56. num. 16.*, *Zacch. quæst. medic. legal. 5. num. 7. tom.1. tit.3. lib.1.*, *Sanch. de matrim. lib.7. disput. 97. num.1.*, necessario sequeretur, irritum ab initio fuis-

se

se impotentis matrimonium, ideoque ex præmissa regula dissolvendum.

Comitis impotentiam incorrupta comprobat Comitissæ Theresiæ virginitas, quam servatis servandis, adhibitisque balneis juxta cauthelam *Hostiensis in cap. 7. §. Licet autem de frigid.*, tres noverunt Obstetrices, quæ pro inspectione mulieris adhiberi solent, *Abb. in cap. proposuisti num. 3. de probat.*, *Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 13. num. 12.*, *Schmalzgrueber. in jus canon. lib. 2. tit. 19. num. 65. vers. quarum judicio*. Rectum namque Obstetrices proferunt virginitatis judicium, licet causam non reddant scientiæ, secundum *Abbat. in cit. cap. proposuisti de probat.*, *ibique Fermosin. num. 12.*. Et quamvis non desint anatomici, qui signa inficiantur virginitatis, ac præsertim *Salmuth. annot. in Guid. Pancirol. rer. memorab. part. 2. tom. 10. pag. 173.*, *Zacch. quæst. medic. legal. lib. 4. tit. 2. quæst. 1. num. 14. & seq.*, ea tamen admittunt *Vuelsch. lib. Obstetric. part. 1. pag. mihi 28.*, *Amman. Patent. leg. 5. sect. 1. cap. 2. §. 36.*, *Bartholin. instit. anatomic. lib. 1. cap. 31. pag. 169. Vesling. anatom. cap. 2.*, *Teichmeyer. instit. medic. legal. cap. 4. num. 2.*, *Valentin. novell. medic. legal. cas. 8.* Juramentum accedit utriusque Conjugis, septimaque manus tum conjunctorum Comitis, cum instructorum testium pro senogalliensibus consanguineis Comitissæ, de non consummato scilicet matrimonio, ut requirit *Text. in cap. proposuisti de probat.*, ac post eum *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 109. num. 6.*, *Guttier. eod. tract. part. 3. cap. 120. num. 21.*

Si aliquod vero esse valet dubium de visibili Comitis Nappi impotentia, nec leviter Defensores Conjugum dubitandum inquiunt juxta *cap. proposuisti* de invisibili post decenne experimentum, judicialem corporum recognitionem, juramentum Conjugum, septimamque manum. Decenne quidem obesse videtur silentium ex *cap. 1. de frigid. & malefic.*, sed cum Defensoribus ipsis notandum, quod ultra mensem, aut duos in eo *capitulo* præfinitos excipitur querela impotentiæ, dummodo præter assertiones Conjugum, aliæ juxta casum nostrum concurrant probationes, ex quibus rectum proferri valeat judicium. Ita conciliando *cap. 1. cum 6. & 7. de frigid. & malefic.*, in quibus de querela agitur impotentiæ sive *post multos annos*, sive *post*

octennium, tradunt *Viestner. jur eccles. lib.4. tit.* 15. *num.*48., *Mayr. jur. canon. univers. lib.*4. *tit.* 15. *numer.*126., *Schmier. lib.*4. *tract.*3. *cap.*2. §. 5. *num.*145. *& seqq.*, *Krimer. quæst. can. lib.*4. *tit.*15. *num.*1299., *Guttier. de matrim. cap.*120. *num.*27., *Tropper. de impedimen. matrim. tom.*2. *tit. de impedim. impotent.* §.2. *sub num.*506.

Idque comprobatur exemplis. *Osasch. in cons.* 59. *numer.* 17. de dissoluto testatur matrimonio post silentium annorum octo; & *Laderch. in cons.* 82. *num.* 2. post decennium. *In decis.* 1017. *num.*17. *coram Penia* admissa fuit impotentiæ querela post sexennium. In *decis.*10. & 11. *ad ornat.Card. de Luc. lib.* 14.*tom.*2. post annos quatuordecim. Et in *decis.*51. *Paninoll.* post vicennium. Ac pluries tandem Sacra hæc Congregatio post plures annos instantiam admisit nullitatis matrimonii, & post annos etiam quatuor supra viginti, *ut in Giennen. Matrimonii* 13. *Maii* 1723.. Eoque magis in nostro themate admittendam ajunt Conjuges Nappi ipsorum instantiam, quia ex formali examine Medici ordinarii eorum Familiæ de impotentia constat Comitis Josephi ab initio, ac de frequenti, inutilique medicamentorum præstatione ad excitandam venerem; & quia ab initio etiam apud Matrem, Levirum, Cubiculariam questa fuit Comitissa Theresia de impotentia viri, & non consummato matrimonio, pluresque in id de publica voce & fama judiciales sunt testes.

Strenue altera ex parte Defensor contradicit matrimonii. Præsumptionem urget virilis potentiæ, & inverisimilem uxoris patientiam cum impotente per decennium, ex *cap.*1. *de frigid. & malefic.*, ibique *Joann. Andr. num.*4., *Piringh. in Decretal. lib.*4. *tit.* 15. *sub num.*14., ac rigidiores propterea post diuturnum hoc silentium exigit probationes cum *Barbos. in cit. cap.*1. *de frigid. & malefic. num.*6., *Sanch. de matrim. lib.*7. *disp.*107. *num.*1., *de Just. de dispensat. matrim. lib.*2. *cap.*17. *num.*34. & *seq.*. Despiciendas autem præ omnibus autumat extrajudiciales uxoris querelas, eo quod requiritur *in cap.*1. formale judicium, ut ibi notat *Barbos. num.* 8., & probant *Sanch. de matrim. lib.*7, *disp.* 109. *num.*2. & *seq.*, *Pont. de Sacram. matrim. tit. de impedim. impoten. cap.*66. *num.*7., *Brunell. de sponsal. conclus.* 28. *limit.* 1. *num.* 16.. Maxime quia ex judicialibus depositionibus Matris, Le-

viri,

viri, & Cubiculariæ de præciso non constat conquestionum tempore, utrum emissæ scilicet fuerint ante, vel post terminum *capituli* 1. Celeritatem hinc notat, qua gesta fuerunt omnia in anconitana Curia; ideoque non vacare ait a collusione juramentum Conjugum, propinquorum, & testium, ipsamque peritorum relationem, ita ut eam non constituant probationem, quæ in hac gravissima requiritur dissolutionis matrimonii Causa, quemadmodum observat *Pont. de Sacram. matrim. cit. cap.*66. *num.*4.

Incertam de cetero dicit inspectionem muliebrium Comitissæ per Obstetrices; nam *sæpe manus fallitur, & oculus Obstetricum, ut in cap.*14. *de probat.*. Quæ eis insuper visa sunt virginitatis signa, ex constringenti induci potuerunt medicamento, secundum *Albert. jurisprud. medic. legal. cap.*3. §. 3. *pag.*63., *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 113. *num.*10., *Pont. de Sacram. matrim. lib.*7. *cap.*63. *num.* 4.. Et quamvis elusa dici posset ars per adhibitum balneum, *Cocch. dissert. physic. anatom.* §. 5., *Risicat. de stat. homin. cap.* 2. *vers. Tertio venit*, observat tamen matrimonii Defensor ex processu, tentatam fuisse Comitissæ virginitatem post tertiam horam a balneo, iterumque propterea ejus muliebria eo temporis spatio constringi potuisse. Vera immo supponens virginitatis signa per Obstetrices notata, fieri adhuc potuisse contendit, ut iis manentibus consummatum fuerit matrimonium. Juxta judiciales siquidem peritos brevissimum Comes Nappi, valdeque subtilem habet penem, eoque idcirco pervadere potuit vas muliebre, quin membranam illam, quam vocant hymen, altius fortasse, interiusque positam disrumperet, teste *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*4. *tit.*2. *quæst.*1. *num.* 20. *& seqq.*

Graviora Defensor matrimonii notat quo ad impotentiam viri. Generalibus enim missis animadversionibus de compressa ob pudorem coram peritis erectione, visibilem præ omnibus excludit impotentiam ex perfecta penis structura, de qua fidem perhibent judiciales periti. Neque ad rem pertinere ait venarum dilatationem; quum immediata erectionis causa sint musculi erectores, *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*3. *tit.*1. *quæst.*3. *num.*21. *ad* 27. Confessionem deinde urget Comitissæ Theresiæ de aliquali experta penis soliditate, (de qua conveniunt periti) cum larga seminis effusione, quæ

ab-

absolutam excludit impotentiam, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 94. sub num. 5.*, *Zacch. quæst. 5. num. 11. lib. 3. tit. 1.* Seduloque postremo notandum rogat, impotentem a familiari Medico affirmari Comitem *per una vergine* (licet in responsionibus ad articulos addant periti judiciales, *anche per una deflorata*) Ad effectum enim dissolvendi matrimonium, impotentia requiritur absoluta quoad mulieres omnes, per *Text. in cap. primo de frigid. & malefic.*, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 108. num. 16.*, validumque propterea reputatur matrimonium cum virgine, ubi potens est vir cum corrupta, *Sanch. cit. lib. 7. disp. 93. num. 27., & seq.*, *Zacch. quæst. medic. legal. 2. lib. 9. tit. 3. num. 21.*

Quæcumque vero sit Comitis impotentia, cognosci post decennium non potuisse ait, num matrimonium præcesserit, ad *Text. in can. 25. caus. 32. quæst. 7.*, *Pont. de matrim. lib. 7. discept. 107. num. 3.*, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 102. per tot.*, idque satis esse, ne matrimonium dissolvatur; quum rectum ad id proferri nequeat judicium, nisi certo constet, *quod vir ante matrimonium esset impotens ad copulam carnalem*, ut in hæc verba ponderat *votum clar. mem. Argenvillieres apud Constant. vot. decis. tom. 5. §. 8.*, & dixit *Rota in Constantien. Nullitatis Matrimonii 3. Junii 1768. §. 2. cor. Pergen.*

His ergo perpensis deliberare dignentur Emi Patres.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Affirmative. Quo vero ad dilationem, & novam recognitionem Viri, nihil.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA, SEU NULLIUS SUBLACEN. LEGATI. Certarunt in hac Causa de pio legato Masetti Candida Posthumi, quæ illud ex Pontificio obtinuerat rescripto, & Maria Candida Liberati; atque in Congregatione 26. Martii 1791. vicit Posthuma. Propositis enim Dubiis, *an Indultum Apostolicum sit exequen-*

quendam, & quatenus negative, *an & cujus favore sit locus consecutioni legati pii Masetti*, EE. Vestræ rescripserunt ad primum *affirmative*, ad secundum *provisum in primo*. Binæ aliæ Legantis consanguineę, quæ Posthumæ Indultum & ipsæ impugnaverant, nempe Quintilia Cartapaoli, & Mariangela Paluzzi, ab eo se certamine abstinuerunt. Ex his vero, impetrata licentia de redeundo, jura sua sub patrocinio Ven. Congregationis S. Ivonis deducit Palutia, contradicente Posthuma.

Iterum hęc Pontificio insistit Indulto, remque amplius integram non esse ait. Sibi de cetero debitum censet legatum, eo quod orbata est patre, ob prælatas a Testatore *le orfane alle altre, che avessero i loro genitori*. Veram autem orphanam esse, quæ caret patre, non quæ matre, ut Palutia, *Amost. de caus. piis lib. 4. cap. 6. num. 43.* Eoque magis, quia gravi laborare asserit paupertate, ad quam etiam respexit Testator verbis illis = *voglio, che siano in parità di requisiti sì tra le mie parenti, quanto tra le altre estranee, preferite sempre le più povere* =, & quidem supra Palutiam, quam alunt avunculi. Fusius tandem exornat, quæ notata pro ejus parte fuerunt in folio 26. Martii 1791.

Obstaculo non esse ait Palutia Pontificium Indultum, quin suum jus experiatur; nam per posterius *Sanctissimi* rescriptum remissa fuit Causa ad viam juris, & ex jure semel definita est. Probat hinc, æque se, & Posthumam sexto a Testatore distare consanguinitatis gradu; utramque parem esse ætate; utramque pulchram, quæ alia sunt requisita per Testatorem volita; sed pauperiorem esse, idque juxta ordinem orationis, principaliter ab eo contemplatum fuisse, nempe = *voglio, che siano in parità di requisiti sì tra le mie parenti, quanto tra le altre estranee preferite sempre le più povere. Si abbia anche qualche riguardo alle più vistose, come costituite in maggior pericolo. Ed inoltre voglio sieno anche preferite l'orfane alle altre*. Ex hoc sane verborum contextu sustinet, contemplatas fuisse pulchriores, & orphanas inter pauperiores, quæ in capite sunt orationis.

Hæc vero ad suam demonstrandam graviorem paupertatem observat. Habet Posthuma patruum Parochum, ab

ab eoque alimenta, pro quibus agere etiam valeret; nam *Ulpianus in Leg. si quis ff. de liber. agnosc.* parentes omnes obligat virilis sexus ad præstanda alimenta, & sic etiam patruum, ut observat *Trentacinqu. cons. 72. vol. 2., Surd. de alim. lib. 1. quæst. 28. n. 5., & Rot. coram Dunoz. jun. decis. 499. num. 14. & seqq.*, & quędam insuper ejus familia possidet prædia annuł reditus scutorum 55. Patrem contra habet Palutia, sed mendicum; nulla omnino possidet bona; aliturque ab avunculis, qui ad id cogi forsan non possent jure actionis, quum non sint agnati, de quibus loqui videtur *in cit. Leg. Ulpianus*.

Resumpto igitur folio 26. Martii 1791., iisque perpensis, quæ hinc inde modo deducuntur, respondere dignentur EE. Vestræ.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*
Et quatenus recedendum a decisis.

II. *An, & cujus favore sit locus consecutioni legati pii Masetti in casu &c.*

Ad I. In decisis & amplius.
Ad II. Provisum in primo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA LEGATI. Præ ceteris piis operibus, quæ instituit anno 1730. Petrus Antonius Marefoschi, onus imposuit Patribus extinctæ Societatis Jesu Collegii Montis Sancti, heredis substituti, erigendi in eo oppido Seminarium, in quo tot recipi deberent adolescentes, quot Patres ipsi juxta vires hereditatis arbitrarentur. Præferri autem voluit proximiores suos consanguineos, deindeque eligi pauperes oppidi, *che siano almeno di età di anni dodici sino alli diciotto*. Jussit etiam, ut menstrua per quinquennium præstari deberent scuta quatuor cuilibet consanguineo, tria per quatriennium pauperi oppidano, qui studiis vacarent in Universitatibus Maceratæ, aut Firmi, *o altre-*

trove, dove a loro parerà, e piacerà. Paullum dispositionem hanc per Chirographum immutavit anno 1753. Benedictus XIV., nam annua pro quolibet statuit scuta 50. *a sei giovani dell'età di anni 12. sino alli 18. per collocarsi nei Seminarj, o Collegj di qualunque Città, o in qualsivoglia Università, ed ivi applicare alle scienze*; cum eadem tamen consanguineorum prælatione ad formam testamenti.

Alterum ex hisce subsidiis obtinuit Aloysius ex Comitibus Carradori in ætate annorum 15., eique ex rescripto *Sanctissimi* facultatem dederunt Collatores vacandi studiis domi. Collatum in pari ætate fuit alterum Dominico Pieretti. Ex opinione igitur, quod frui debeant hujusmodi subsidiis per sexennium, ab anno scilicet duodecimo ad decimum octavum, ex verbis illis testamenti, *di età di anni dodici sino alli dieciotto*, a quibus parum distant alia Benedictini Chirographi, EE. Vestris supplicarunt Carradorii pater, & Dominicus Pieretti pro gratia percipiendi supra decimum octavum ætatis annum trienne subsidium, quod ab anno duodecimo ad decimum quintum consequi debuissent; ac duplicem Firmanus Archiepiscopus dedit informationem. In prima super precibus Pieretti admittit, quod ætas anni duodecimi ad decimum octavum *statuta est pro regulanda nominatione, nunquam tamen eo animo, ut qui legitime intra præscriptam ætatem fuerit nominatus, statim subsidium amittat, ubi decimum octavum ætatis annum attigerit. Hoc siquidem ab ipso Benedictino Chirographo indictum non est; immo ejusdem Summi Pontificis menti certissime adversatur*. Atque hinc censet, postulare Pierettus ex gratia, *quod ei jure convenire debet*.

Transmisso insuper consensu patronorum, Marchionis nempe Josephi Compagnoni, & Raynerii Simonetti, de plurimis testatur exemplis, *quibus id, de quo agitur, aliis adolescentibus fuit facillime concessum*, & ita concludit: *His positis, censerem, ut Orator* [Pieretti] *qui sedulam dat operam studiis in Seminario meo, subsidium ipsum usque ad totum sexennium obtinere possit, & valeat. Sed hac data occasione, oro obtestorque Emos Patres, ut ipsum Benedictinum Chirographum declarantes, definire dignentur, ætatem ab eodem Chirographo designatam ita in posterum intelligendam fore, ut quisque ex adolescentibus debeat*

utique intra ipsam ætatem nominari, sed non ut ipsum subsidium dimittat, si semel legitime nominatus, & actu fruens subsidio, ætatem decem & octo annorum adhuc durante sexennio prætergrediatur. Hæc sane declaratio, quæ rationi, æquitati, ac menti sa. me. Benedicti XIV. prorsus congrua videtur, eum de medio tollet ob malam interpretationem abusum, quo factum est quandoque, ut aliquis adolescens in decimo octavo ætatis anno cum sui detrimento legatum, & studia dimiserit, mala hujusmodi interpretatione deceptus.

Hęc in altera confirmat informatione super precibus Carradorii, eique etiam favens, addit, quod *hac in re unanimi voto conveniunt patroni*; sed patruus & contutor Raynerii Simonetti, *quamquam prorogationi assentiatur, contendit tamen, ut Oratoris filius subsidio ipso frui debeat non domi, ubi studiis hactenus operam dedit, sed in aliquo Collegio, vel Universitate ad formam Benedictini Chirographi. Hoc sane justitiæ prorsus congrueret: at Orator docet in foliis signatis litt. E. F., se hac ipsa in re rescriptum pro filio obtinuisse a Sacratissimo Principe, qui negotium arbitrio patronorum remisit. Porro alter ex patronis consensum tunc præstitit, nempe idem Marchio Joseph Compagnoni, modoque etiam præstat. At pro parte ipsius Raynerii Simonetti, qui alter est patronus, ejus mater assensum tunc dedit; nunquam tamen ejus patruus, qui semper obstitit, modoque etiam obstat. Utrum autem jure, ac valide obstiterit, modoque obstet, res hæc ab EE. Patribus pro assueta justitia est decidenda. Hoc unum certum est, ipsum Raynerium Simonetti subsidio hoc jamdiu frui, quamvis domi moretur, & nunquam ad Collegium, sive Universitatem accesserit. Damnat ergo ejus patruus in Oratoris filio, quod ipse pro ejus nepote jamdiu probavit.*

Quæritur primo de tempore, quo frui debeant studentes legato. Statutum certe non est in Benedictino Chirographo; nam verba illa, *a sei giovani dell' età di anni* 12. *sino alli* 18. *per collocarsi ne Seminarj, o Collegj*, ætatem respiciunt, in qua ingredi debent juvenes in Seminaria, aut Collegia, ut ipsa pandit syntaxis, & observat Archiepiscopus. Expresse vero præfinitum legitur in tabulis Fundatoris, nempe *alli miei parenti* (qualis est Carradorius) *siano dati scudi quattro al*

mese

mese per lo spazio di cinque anni dal giorno , che cominceranno a studiare nello studio di Macerata &c. , e a quelli , che non saranno della mia casa , ne parenti (ut Pierettus) *scudi tre al mese per quattro anni*. Ponderari ergo debet , num præteritio Benedictini Chirographi novaverit in hac parte testamentum . Una profecto ex illo apparet novatio quoad summam studentibus præstandam ; ideoque servata in reliquis videri potest Testatoris dispositio . Alias in incertum reliquisset Benedictus XIV. tempus præstandi legati ; quod de prudentissimo illo Pontifice dici nequit - Contrarium vero suadere valet interesse habentium opinio , & observantia ; nam sexennem ætatis præfinitionem ad ingredienda Seminaria habuerunt hactenus pro sexennio legati , & ita servarunt . Si dubium sane ex Chirographo censeatur tempus a Testatore præfinitum, rem declarat observantia , ex doctrina *Fagnani in lib.* 3. *Decretal. cap. tuæ num.* 14. *de Cleric. non residen.*

In supposito autem , quod restringendum sit *sexennium ætatis* ad ingredienda Seminaria , fruique debeat legatum per quiquennium a consanguineis , per quatriennium ab extraneis , necessario ad resolutionem secundi Dubii sequeretur , ut qui in justa nominati sint ætate annorum 18. , beneficio frui debeant Testatoris ultra decimum octavum annum ; non per sexennium , ut Oratores supponunt , sed per quinquennium , & respective quatriennium . Qui studia enim a designato incipiunt tempore , ab eo etiam frui debent legato , *Amost. de causis piis lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 63. Aliter vero dicendum esset , ubi sexennium ætatis ab anno duodecimo ad decimum octavum acciperetur pro tempore legati . Quod enim tributum est ad certum tempus , ultra illud denegatum censetur , *Text. in leg. statu liberum* §. 1. *ff. de legat.* 2. , *de Nigr. de nominat. lib.* 1. *quæst.* 3. *num.* 22. , *Piton. de controv. patron. allegat.* 24. *num.* 16.

Quid deliberandum sit tertio de petitionibus Oratorum facile ex præmissis conijcitur . In casu enim quinquennis , ac respective quatriennis præstationis legati ad formam testamenti , jure illis deberetur , quod per prorogationem flagitant . Frui enim ceperunt legato a justa ætate annorum 15.; illudque propterea percipere deberet Carradorius , tanquam consanguineus , ad

aliud biennium supra annum decimum octavum, Pierettus ad annum. In altero vero sexennis præstationis casu, juxta laxiorem Benedictini Chirographi intelligentiam, quum in hoc præfinitus sit ultimus terminus in anno decimo octavo, ultra eum idcirco extendi non deberet præstatio legati in præjudicium aliorum juvenum, qui nominationem expectant, *de Nigr. de nominat. lib. 2. quæst. 26. num. 23.* Notandum tamen cum Archiepiscopo, quod *auditi patroni, auditique ceteri, qui ad hæc subsidia vocantur, nihil opposuerunt.*

Dubia sunt.

I. An, & pro quo tempore frui debeant studentes legato Marefoschi in casu &c.

II. An eodem frui valeant legato qui in tempore nominati decimum octavum excesserint annum in casu &c.

III. An, & quomodo sit indulgendum Oratoribus in casu &c.

Ad I. Affirmative ad formam testamenti;
Ad II. Affirmative.
Ad III. Provisum in antecedentibus.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

CALARITANA IRREGULARITATIS. Quum ad paternum iturus agrum e domo descenderet Aloysius Azzeni die 25. Maii 1785., per fortuitam igneæ ballistæ, quam humeris gestabat, explosionem lethale inflixit vulnus domesticæ ancillæ, ex quo paullo post infelix mulier occubuit. Ita ex processu laicæ Curiæ oppidi Sinai, & sententia absolutoria a culpa, & pœna. Aliter vero rem narrarunt testes Archiepiscopo Calaritano, quod manibus nempe gestans ballistam, eam Aloysius per jocum ad ancillam direxit, & ad elatum non advertens igniarium, per contactum linguæ ictum explosit; idque Aloysius ipse fassus fuit. Dum hoc evenit, annum agebat decimum sextum. Ecclesiasticum

cum modo inhians statum, dispensationem flagitat ab irregularitate.

Calaritano videtur Antistiti, *homicidium ab eo perpetratum casuale quidem, non tamen inculpatum fuisse.* De cetero refert, quod *quæcumque in eo fuerit culpa, illud certum est, tam Fisci, quam Partis actionem in hac Causa jamdiu fuisse peremptam. Fiscus enim prolatæ sententiæ prorsus acquievit. Ipse autem interfectæ ancillæ pater, quamvis postridie sequuti homicidii a Judice Curiæ Sinai in jus vocatus, ut quæcumque adversus occisorem haberet, in medium proferret, illiusque condignam punitionem instaret, diserte statim respondit, homicidium illud pro mere casuali a se haberi, proindeque nullam sive in Aloysium, sive in ejus domum instantiam promovere se velle; quam responsionem in acta referri simul pustulavit.* Plura insuper favere ait Oratori. *Ac primo quidem juvenilis ejusdem ætas, quæ sequuti homicidii tempore annum sextumdecimum non excedebat. II. constans illius pietas, quam bonorum morum exemplum, assiduæ scholæ frequentia, debita erga Superiores reverentia, & crebra Sacramentorum susceptio comprobant. III. exiguus, & quotidie a diœcesi decrescens Sacerdotum numerus.* Atque ex his censet, *petitam super irregularitate dispensationem recte prudenterque indulgeri posse.*

Res profecto non est de promoto, cui facilius indulgetur, ne cum dedecore ordinis mendicare cogatur, ex *cap. 2. de cleric. pugnan. in duell.*, sed de promovendo, quem perpetuo *Tridentina Synodus* a sacris repellit ordinibus *in sess. 14. cap. 7. reform.* Facile ergo permittendum non videretur, ut humano pollutus sanguine in ecclesiasticam militiam recipiatur. Excipit contra Sacrum Concilium loco cit. homicidium casu commissum; quale dici potest illud, de quo agitur. Sive enim commissum dicatur per accidentalem igneæ ballistæ explosionem ex humeris Oratoris, sive per infaustum jocum, tribui in utroque casu, nequit proposito occidendi, quod juxta conciliarem sanctionem remitti non debet.

At posito joco, quem post testes fassus etiam fuit Orator Archiepiscopo, inculpatum tamen censeri non posse videtur homicidium, quum prævidere Orator debuisset, non raro cum ignea ballista funeste jocari. Pon-

de-

derandum idcirco, num illud per illicitam actionem voluntarium fuerit in causa, ac dispensabilis sit juxta *Tridentinam Synodum* contracta irregularitas. Voluntarium in causa appellat *Divus Thomas* 2. 2. *quest.* 64. *art.* 8. *in resp.* Voluntarii qualitatem excludit *gloss. in cap. sicut dignum* §. *fin. verb. consilium de homicid. Ugolin. de irregularit. cap.* 33. §. 3., ubi, ad quæstionem *an homicidium culpa commissum, rerpectu ad irregularitatem censeatur voluntarium*, sic respondit; *nec irregularitas, quæ oritur ex hoc homicidio, dicitur esse ex homicidio de industria commisso, & omnino, & per se voluntario, sed per accidens.*

Ad ea de cetero Eminentissimi Patres advertant, quæ pro Oratore notat Calaritanus Antistes; ad juvenilem scilicet ætatem, in qua homicidium patravit Orator; declarationem patris occisæ, *homicidium illud pro mere casuali a se haberi, promdeque nullam sive in Aloysium, sive in ejus domum instantiam promovere se velle*; absolutoriam sententiam; lapsum septennii a patrato casuali homicidio; constantem ipsius Oratoris pietatem; & Sacerdotum denique necessitatem in Calaritana Diæcesi. Hæc omnia profecto Vestram excitare posset indulgentiam, quam in similibus terminis cum Clerico adhibuistis *in Cadurcen. Dispensationis ab irregularitate* 19. *Maii* 1789.

Deliberare ergo dignentur.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

NOVARIEN. REDUCTIONIS. Laicalem capellaniam instituit anno 1750. Io. Baptista Bontempo cum fundo libellarum imperialium 8000. quæ investita fuerunt in Locis Montis S. Io. Baptistæ Taurini, seu scutorum 1067. monetæ romanæ; & onere hebdomadalium Missarum quinque, quarum una die festo in Ecclesia S. Martæ Luxonii dum recitant ejus Sodales parvum B. Vir-

Virginis officium, aliæ duæ feria quarta & sabbatho, profestis tamen, in Ecclesia Deiparæ *della Colletta*, reliquæ ubique summo mane ad commodum Populi; addita etiam obligatione docendi grammaticam pueros. Pro habitatione vero Capellani parvam assignavit ædem cum infœcundo horticulo, cui addidit ejus soror parvum tenuissimi fructus viridarium cum onere annuæ Missæ. Reddebant tunc ea LL. Montis annua scuta 43., integramque dabant eleemosynam ad taxam Concilii Romani, quæ pro Missis perpetuis est etiam synodalis. At reductis anno 1767. ex facto Principis illorum fructibus, decrevit quoque capellaniæ reditus ad scuta 37., ac factum est tandem, ut ob defectum Sacerdotum, qui pro hac summa adimplere velint onera, a quatriennio & ultra vacet capellania, adimpleta non sint onera, & depositi sint reditus ad mensem Iunium elapsi anni in scutis 110.

Neque vera tales sunt loci difficultates, ut verisimilis sit Sacerdotum aversio a tenui illa capellania. Positum namque est Luxonium in sterili valle *Strona* prope lacum *Verbanum*, atque ex tribus constat villis, per milliarium & ultra inter se dissitis. Sterilioribus circumvallatur montibus, adeoque pauperes sunt oppidani, ut alio ad comparandum victum divertant. Hinc in toto illius districtu, qui complectitur Paræcias octo, vix duo vel tres supra Parochos numerantur Sacerdotes; ipsumque Luxonium, ubi sedes est Vicarii, Sacerdotibus omnino destituitur. Quum valde igitur perniciosa sit Luxoniensibus intermissio Missarum capellaniæ Bontempo, sitque altera ex parte difficilis integra illarum celebratio, EE. Vestris idcirco supplicarunt Luxoniensis Communitas, Parochus, & capellaniæ patroni pro reductione Missarum; & hæc in sua informatione habet novariensis Episcopus. Præ omnibus refert, jam se de mandato Vestro Sacerdotes per edicta invitasse ad accipiendam capellaniam, ac neminem comparuisse. Imparem hinc dicit oneri Missarum summam scutorum 37. ab taxam *Benedictinam*, synodali decreto receptam, ad quam requirerentur scuta 43. 30., neque cogi posse heredes ad supplendum fundum, tum quia illum constituit Fundator *taxative*, tum quia *patronorum, ipsorumque heredum summa noscitur esse paupertas*.

Usu

Usu de cetero edoctus affirmat, *taxam Benedictinam quibuscumque locorum, & temporum circumstantiis haud semper dici posse accommodatam. Quandoque enim minor eleemosyna sufficit ubi Presbyterorum copia; at ubi carentia, ibi major absolute necessaria, ut Sacerdoti ex aliis regionibus invitando, victu non deficiente, dum piarum onerum adimplemento, quo meliori tutiorique fieri potest modo, consulitur, Parocho etiam in Christi pauperum evangelizatione aliquale adjutorium adferatur: sin minus, heu nimium, frustratas prorsus cernere cogimur pias Fundatorum voluntates. Luculentissimum ea de re testimonium esto Luxonium ipsum, de quo loquimur. Ibi præter memoratam capellaniam, duo alia extant beneficia de jurepatronatus laicorum, quorum reditus adeo exigui, & impares ferendis Missarum oneribus, quibus prægravantur, ut si qui necessitate compulsus, foret eorumdem Rector, fame, sic dixerimus, pereat necesse sit. Hinc ab annis pluribus utraque vacant, & Missarum celebratio, cui aliter consuli nequit, omittitur.* Atque ex his censet *pinguiorem eleemosynam pro unaquaque Missa absolute necessariam, eam scilicet, quæ duos julios saltem exæquet; qua statuta, ad tres in singulam hebdomadam reducentur Missæ in fundatione præscriptæ, absoluto etiam Capellano ab onere pueros erudiendi in rebus grammaticis. Reductionem hujuscemodi favorabilia quæque rationum momenta suadere videntur, ipsaque, ni fallor, præsumpta voluntas Testatoris, cujus sane summopere interest, ut sibi suisque, potius quam nulla, taliter saltem suffragia persolvantur. Insuper charitas Christi urget nos, ut Parocho illi, Populoque pauperrimo Presbyterum saltem unum adjungamus, ex cujus spirituali servitio in illa Domini vineola suffragium Testator ipse favente Dei misericordia consequatur.*

De Missis denique tempore vacationis capellaniæ non celebratis hæc subiicit: *Haud scio, num facilis futura sit earum celebratio in Ecclesiis a Testatore præscriptis. Aliunde proposita reductio, ut ut benignior, omnibus tamen Sacerdotibus, inspectis loci circumstantiis, fortassis non arridebit; maxime si ad sacramentales confessiones excipiendas approbati desiderentur; quod profecto est pernecessarium. Optimum foret, ni mea me fallit opinio,*

man-

mandare, ut fructus vacantes, qui summam scutorum centum decem conficiunt, tuto implicentur, & ex fructibus inde percipiendis totidem Missæ ad ratam eleemosynæ ut supra taxatæ in Fundatoris suffragium a Capellano in perpetuum celebrentur. Inde eventurum spero, ut dum perpetuitas ipsa defunctorum suffragiis favet, facilior reddatur in posterum capellaniæ provisio, tutiusque aliarum Missarum celebrationi, ipsiusque Populi necessitatibus consulatur.

Ab anno 1767., quo imminuti fuerunt capellaniæ reditus a scutis 43. ad 37., ad annum 1788., a quo vacat capellania, & sic per annos viginti & ultra fuerunt Capellani, qui cum præsenti reditu adimpleverunt onera. Si renoventur ergo diligentiæ, alter tandem invenietur fortasse Capellanus, qui decessorum exemplo capellaniam accipiat. Maxime, quia ultra scuta 37., commodum a Fundatore habet Capellanus habitationis, compendiumque licet tenue horticuli, unde miseram non ducat vitam. Melior fieri posset ejus conditio per unionem duplicis beneficii, quorum meminit Episcopus, adeoque gravis ipsi non esset, in oppido Luxonii residenti, celebratio etiam Missarum, quibus ea beneficia gravantur. Ita absque necessitate reductionis adimplerentur piæ Fundatorum capellaniæ, & vacantium beneficiorum voluntates, quæ quantum fieri potest exeqni debent, ut præcipit *Tridentina Synodus sess. 22. cap. 6. de reform.* At plura huic obstant unioni. Auditi porro non sunt beneficiorū patroni laici: ignorantur illorum onera, quæ ab uno forsan adimpleri nequeunt Capellano Bontempo: omnisque adimeretur spes providendi de beneficiis ipsis alios Sacerdotes, quibus Luxonium indiget.

Animadversionem contra merentur, quæ exponit Episcopus. Imminuti porro sunt capellaniæ reditus in annuis scutis sex ex facto Principis; ideoque reducenda videntur onera ad æquitatem, *Monacell. formul. legal. 19. tit. 20. part. 1. num. 25.*, & *Sac. Congregat. in Viterbien. Reductionis onerum 8. Maii* 1784. Quin cogi valeant heredes, vel patroni ad supplendum fundum; nam eos judicio Episcopi excusat paupertas, & *taxativa* qualitas assignati capitalis libellarum imperialium 8000., quæ in certis investita fuerunt Locis Mon-

tis, juxta *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ultim. num.* 30. & 32. Ponderandum vero, num fieri deberet reductio ad taxam Benedictinam, seu synodalem; sed potius ad perpetuam, ut censet Episcopus. Priori enim casu vix una reduci deberet ex quinque hebdomadalibus Missis; nam reliquæ quatuor eleemosynam requirerent scutorum 32. circiter, & scuta pro utensilibus superessent quinque. Posteriori vero ad summum duæ; quum aliarum trium eleemosyna scutorum esset 31. 20., ac superessent etiam pro utensilibus scuta 5. 80. Ex informatione autem Episcopi accepistis Emi Patres rationes, quæ reductionem suadent ad perpetuam, eamque præsertim deficientium Sacerdotum, qui a quatriennio, & ultra capellaniam accipere voluerint ad taxam Benedictinam, ut *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789.

Reductionem etiam proponit Episcopus oneris erudiendi pueros in rebus grammaticis. Si habita enim utensilium ratione, neque paria sunt scuta 37. oneri Missarum ad taxam Benedictinam, jam sine emolumento esset onus ludimagistri, nisi compensatum dici velit ex domuncula, & horto. Illudque etiam monet Episcopus, quod levato ab hoc onere Capellano, adhiberi posset ejus ministerium in adjutorium Parochi, cum spirituali miserrimi Populi bono. Altera ex parte notandum, quod ea fortasse de causa solicitus fuit Fundator de instituendis pueris grammatica, ut in loco Sacerdotum destituto ad ecclesiasticam disponerentur militiam, quod perpetuam afferret Animabus utilitatem.

Utilior postremo esset Animæ Fundatoris erogatio superextantium redituum capellaniæ in presentem tot Missarum celebrationem, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.* 291. *num.* 1. Difficilem vero dicit Episcopus hujusmodi celebrationem in oppido Luxonii, ejusque districtu ob defectum Sacerdotum, magisque propterea expedire, ut per investimentum superextantis pecuniæ redintegretur dos capellaniæ in perpetuum Fundatoris suffragium, ex sententia *Garziæ de benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 85. & *seqq.*, quam probavit Sacra hæc Congregatio *in Ripana Capellaniæ* 7. *Maii* 1791. *ad III. Dubium.*

Ve-

Vestræ itaque proponitur deliberationi.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmative juxta votum Episcopi.

FERRARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Reliquit anno 1648. Natalis Bocchi sub administratione heredum staria 40. prædii nuncupati *li Ronchi, con aggravarli a far celebrare ogni anno Messe* 32. *nella Chiesa Parrocchiale di Massa superiore all' Altare della Madonna Santissima del Rosario, dichiarando, che si partiscano in quattro uffizj l'anno di otto Messe l'uno.* Alia ejusdem prædii staria 40. paterno huic legato addidit anno 1668. Petrus Bocchi, jussitque, ut integer fundus stariorum 80. *sii consegnato ad un Prete Sacerdote della stirpe de' Bocchi, e del mio parentado, e non essendovi di questi, sii dato ad un' altro Sacerdote da eleggersi e nominarsi dagl' infrascritti miei eredi, e dagli eredi di quelli successivamente; il qual Sacerdote che godrà detto Terreno sarà obbligato adesso per sempre a celebrare tre Messe ogni settimana in perpetuo, cioè due Messe la settimana, e la Messa di tutte le Domeniche dell' anno nella Chiesa Parrocchiale di S. Stefano della Massa di sopra, applicando il Sacrificio per l'Anima mia, e per i miei Defonti; intendendo, che con Messe* 32. *delle nominate soddisfaccia di anno per anno al legato di Natale Bocchi mio padre.* *Sess. 22. cap. 6. & ses. 25. cap. 4. de Reform.*

Quousque Familia Bocchi opibus affluit, legata juxta methodum a Petro præscriptam adimplevit. At familiari re imminuta, ea negligere cepit. Hinc anno 1781. obtinuit Joannes Baptista Bocchi a Rev. Fabrica Sancti

Petri compositionem Missarum 2027. Eum rursus in S. Visitatione anni 1784. ex Pontificia facultate absolvit Emus Ferrariensis Archiepiscopus a Sacris post annum 1781, omissis, celebratis tamen pro unica vice Missis 10., impositaque quoad futurum lege dividendi Missas 32. prioris legati in quatuor officia, juxta voluntatem Natalis, & separandi staria 40. a Petro legata, eaque tradendi Sacerdoti per ipsum Jo: Baptistam eligendo, qui annuas celebraret Missas 124. Ac tertio demum Angelus, aliique Filii Jo: Baptistæ alteram anno 1790. impetrarunt compositionem a Rev. Fabrica, quum celebratæ fuissent ab anno 1784. Missæ dumtaxat 200., deindeque Sacram hanc adierunt Congregationem pro illarum reductione.

Tot Missarum omissiones si aliquando fortasse evenerunt ex negligentia familiæ Bocchi, *certe nunc maxime ex ejus paupertate*; nam septem constat personis, reditumque ex decenni calculo habet scutorum 80., ex quibus demenda sunt *quolibet anno ad totum annum 1797. scuta decem solvenda Xenodochio S. Annæ hujus Civitatis pro extinctione debiti scutorum* 60., nec non juxta assertionem Oratorum, alia scuta duodecim *pro fructibus census in sorte scutorum* 150. *impositi ab olim Joanne Baptista Bocchi anno* 1775., quemadmodum Emus refert Archiepiscopus. Testatur insuper Emus ipse, prædium *li Ronchi* ab Oratoribus possessum, quod olim fuerat stariorum 141., nunc secundum peritum de ejus mandato deputatum, stariorum esse 77., aliaque staria 21. vendita fuisse *paucis ab hinc annis a fratribus Bocchi familiæ Containi*; ac propterea *non solam Padi alluvionem* (ut asserunt Oratores) *causam fuisse decrementi in prædio li Ronchi*. Nec certo affirmari posse ait, *utrum cetera exigua prædiola limitropha, quæ possidentur a Fratribus Bocchi, superioribus temporibus comprehenderentur sub denominatione li Ronchi, unde exurgeret supra relata quantitas stariorum* 141.

Opinionem hinc exponit Archipresbyteri oppidi Massæ, qui ab ipso requisitus, *plurimum iadulgendum esse censet paupertati familiæ, ceteroquin bonæ notæ, & probatæ honestatis. Integram in primis putat servandam esse voluntatem Natalis primi Testatoris. Quoad vero voluntatem Petri alterius Testatoris putat, unum*

Sa-

Sacrum quolibet die Dominico cujusque anni celebrandum esse, ita tamen ut posthabita voluntate Petri Testatoris circa nominationem Presbyteri capellani, cui tradenda foret quantitas Terreni pro adimplemento utriusque legati, prædictum onus utriusque legati adimplendi transferatur in Ecclesiam prædicti oppidi Massæ superioris, ac simul auctorante Sacra Congregatione, certa, & determinata quantitas fundi li Ronchi *peritorum judicio secernatur, ex cujus fructibus utrumque legatum adimpleri queat, eaque perpetuo adjudicetur Ecclesiæ prædictæ.*

Et ita postremo suum aperit sensum: *Nihilominus multo melius sentiendum esse opinor præ nimia inopia, qua premitur familia Bocchi. Injuncto enim utriusque legati adimplemento juxta Archipresbyteri votum, animadverti, fere viginti annua scuta impendenda esse, & tantam esse debere quantitatem prædii Ecclesiæ adjudicandam, quæ fructus dictæ summæ correspondentes quolibet anno tuto reddat. Hujusmodi autem adjudicatio illud certe secumferet, ut plurimum damnum tenui patrimonio familiæ Bocchi, valde vero exiguam utilitatem Ecclesiæ sit allatura, utpote quia segregandum prædiolum præ exiguitate sua a futuris Archipresbyteris præcipuam curam, & solicitudinem, quanta certe opus esset, non obtinebit. Hisce ergo serio perpensis, & præsertim gravi paupertate familiæ Bocchi, utriusque legati adimplementum in quinquaginta annuis Missis qualibet hebdomada celebrandis constituerem. Satis vero cautum futuro implemento putarem, si conductori prædii Ronchi judiciali præcepto injungatur solutio necessarii stipendii, & usus sacrarum supellectilium; damno tamen, & expensis familiæ Bocchi.*

Adhuc profecto staria supersunt 77. ex prædio Bocchi legato, ac pro reliquis tribus, ad integrum utriusque legati fundum deficientibus, obligata forsan sunt prædiola adjacentia, quibus verisimiliter illa accesserunt. Quum exuberans ergo sit oneribus fundus, deneganda videretur illorum reductio, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Brigantien.* 25. *Junii* 1790.. Eoque magis, quia paucis ab hinc annis alienata fuit ab Oratoribus portio fundi in stariis 21.. Vestram altera ex parte excitare posset clementiam paupertas fami-

familiæ Bocchi ex præsumpta Testatorum voluntate erga suos consanguineos, veluti *in Nucerina Puganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778.

Quatenus autem indulgere velint Emi Patres Oratoribus, deliberandum erit de modo. Sententiam ex informatione audistis tum Archipresbyteri Massæ superioris, cum Emi Archiepiscopi quoad numerum Missarum, quas censent reducendas, & a Vestra prudentia pendet deliberatio. At notare dignentur, parum tutam fortasse futuram obligationem conductoris prædii Ronchi pro solutione stipendii Missarum, & utensilium, quum semper futurum non erit prædium in conductione, periculumque esset, quin præteritas Bocchii iterarent omissiones. Quo vero ad applicationem quantitatis prædii eidem stipendio respondentis favore parochialis Ecclesiæ, adverti etiam posset, deesse in id consensum Oratorum, qui activum, & passivum amitterent juspatronatus; eamque de cetero faciendam potius esse pro rata Missarum celebrandarum, quam pro justa earum eleemosyna. Staria enim Natalis assignavit 40. pro Missis 32., totidemque Petrus pro triplici Missa hebdomadali; ideoque si integrum adimplendum erit legatum Natalis secundum votum Archipresbyteri, & Archiepiscopi, integra pariter adjudicanda viderentur staria 40., si una vero pro altero legato Petri celebranda hebdomadalis Missa, tertia adjudicari deberet pars aliorum stariorum 40.

Si in negativam autem abire velint sententiam, decernendum pariter de modo; utrum exequi nempe debeant legata juxta decretum ab Emo Archiepiscopo latum in sacra Visitatione anni 1784., de quo in enarratione facti, seu potius ad formam dispositionis Petri, per erectionem scilicet capellaniæ, & assignationem fundi in superextantibus stariis 77. prædii *Ronchi*, aliisque tribus alterius ex conterminis prædiis. Pro adimplemento siquidem legatorum juxta decretum, distinguens unum legatum ab altero, animadverti posset, reliquisse Natalem heredibus administrationem stariorum 40., quæ ipse in fundum proprii legati assignavit, neque commutari potuisse ejus voluntatem a Petro. Pro executione vero dispositionis Petri urget, quod meliorem hic reddidit conditionem paterni legati per additamentum aliorum stariorum 40., ac meliorem con-

conditionem heredum, quibus activum, a& passivum reliquit juspatronatus pinguioris capellanię.

Quæritur itaque,

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & commutationi voluntatis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

BERGOMEN. IRREGULARITATIS. Ad vindicandas sororis contumelias, & verbera, statim Sacerdos Jo. Baptista Piccinelli die 10. Novembris 1789. bannitum Joannem Micheli aggressorem per ictum igneæ ballistæ interemit. Facile absolutoriam obtinuit sententiam die 29. Maii sequentis anni 1790., atque hinc de licentia Ordinarii Romam venit pro dispensatione ab irregularitate; precibusque porrectis, ad EE. Vestras retulit Bergomensis Episcopus, *pacem sequutam fuisse inter parentes interfecti, & interfectorem, atque compositum fuisse Fiscum jam ab anno, & ultra* (scribebat die 5. Septembris elapsi anni 1792.) eumdemque Sacerdotem Piccinelli *non dubia signa pœnitentiæ, & emendationis dedisse, & dare; bonis moribus se gerere; nec Populo scandalum afferre posse ejusdem restitutionem communioni Fidelium*. Atque ex his inquit, *preces dicti Sacerdotis exaudiri posse*. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Voluntarium sane videtur homicidium, veluti patratum ad vindictam; ideoque perpetuo carere deberet Orator exercitio ordinis, juxta *cap. 1. de homicid. volunt.* & *Tridentinam Synodum sess. 14. cap. 7. de Reform.*. Et sane *in Derthonen. Irregularitatis* 14. *Januarii* 1764. denegandam censuit Sacra hęc Congregatio post annos septendecim dispensationem ab irregularitate Sacerdoti pariter voluntario homicidæ. Difficilior autem videri posset dispensatio in nostro themate, in quo vix lapsum est ab homicidio triennium, nec adhuc deleta est illius memoria, secundum *Fagnan. in cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. sub num.* 35.

No-

Notandum altera ex parte, quod fortasse timuit Orator vitæ sororis ab homine facinoroso, & bandito, qui facilę a verberibus, & contumeliis excurrere potuisset ad necem. In his porro circumstantiis patratum censeri posset homicidium ad justam ejusdem sororis defensionem, quæ æquiparatur propriæ, ut sentiunt *Fagnan. in lib. 5. Decretal. cap. suscepimus num. 16., & cap. petitio num. ult. de homicid., Piringh. lib. 5. jur. canon. tit. 12. sect. 3. §. 1. num. 81., Reinfest. eod. lib. & tit. §. 4. num. 137. de homicid.*. Favent etiam Oratori compositio Partis, & Fisci, bonique mores, de quibus præter Episcopum, amplissime etiam testatur illius Parochus. In proximis sane terminis concessa fuit dispensatio Sacerdoti, qui homicidium patraverat ad defensionem ejus fratris, *in Consentina Irregularitatis 20. Maii 1786.*

Quæritur itaque.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 23. Februarii 1793. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FERRARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, & commutationi voluntatis in casu &c.

Celebratis Miſsis triginta duo juxta teſtamentum Natalis Bocchi, reducendum esse legatum Petri Bocchi ad Miſsam ſingulis diebus dominicis celebrandam in EcclesiaParochiali S. Stephani, & Emus Archiepiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia invigilet pro exequutione.

BERGOMEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro dispenſatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Salvator Scandelloni heredes ſcripſit anno 1695. Apolloniam ejus ſororem, & Antonium Mele ipſius filium cum ſucceſſiva nepotum, & descendentium ſubſtitutione; legavitque Capitulo Cathedralis Eccleſiæ S. Clementis Velitrarum capitale ſcutorum 7500. cum onere diſtribuendi quotannis dotalia ſubſidia octo ſcutorum 25. pro qualibet veliterna puella *povera*, *onorata*, *e timo-* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

morata di Dio. Ad hæc autem subsidia præferri voluit consanguineas, *anche in grado remoto, e lontano, che così vuole il dovere*; & si quæ unquam oriretur controversia de intelligentia legati, in arbitrum deputavit veliternum Episcopum, *il quale possa fare de fatto, e propria autorità il sudetto maritaggio, conforme a Sua Eminenza parerà, e piacerà, e potrà dichiarare, decidere, terminare, interpetrare, dare buoni ordini, e fare tutto quello, che a Sua Eminenza parerà per il buon governo, e felice esito di questo maritaggio; rimettendomi in tutto, e per tutto al piissimo zelo, arbitrio, e prudenza di S. E., la quale possa fare, dire, concludere, stabilire, ordinare, e far mettere in esecuzione, come se fosse la persona propria di me Testatore*.

Pluries hujusmodi subsidiorum cumulum obtinuerunt consanguineæ Testatoris in causam dotium, & alimentorum. Anno siquidem 1727. concessit Sacra hæc Congregatio in supplementum congruæ dotis cumulum scutorum 200. Apolloniæ Mele, quæ Capitaneo nupsit Francisco Giorgi, ut desumitur ex informatione Cardinalis Thomæ Ruffo ad Sacram ipsam Congregationem transmissa de anno 1748. Anno iterum 1730. tria *Benedictus XIII.* ad decennium assignavit subsidia pro alimentis Dorotheæ, & Annæ Mele sororum Apolloniæ, ut ex eadem liquet informatione. Cumulum rursus scutorum 200. pro qualibet concessit Sacra Congregatio anno 1749 Catharinę, Victoriæ, & Theodoræ sororibus Taloni; alterumque ampliorem scutorum 800. anno 1771. Angelæ Mariæ Giorgi. Et anno 1773. alia addidit scuta 100. Cumulo Victoriæ Taloni; cui provectæ jam ætatis bina Eminentissimus Decanus, & hodiernus Velitrarum Episcopus ad vitam ex Pontificio rescripto assignavit subsidia pro alimentis anno 1776.

Hisce motus exemplis, Sanctissimo supplicavit anno 1782. Cap. Justinianus Giorgi pro cumulo dotium ad scuta 1000. favore impuberis ejus filiæ Flaminiæ, precibusque per organum Secretariæ supplicum libellorum ad Eminentissimum Episcopum remissis, fuse hic, audito contradicente Capitulo, rationes denegandæ gratiæ exposuit, ac rejectæ fuerunt preces. Licet autem deperditus sit cum supplici libello informationis autographus, hæc tamen est, juxta exemplum, quod Emus ipse exhibet, illius summa. Tres erant petitæ gratiæ rationes

nes; proximioritas nempe Flaminiæ Testatori, ejusque præcipua contemplario; ipsius prædilectio tanquam de linea vocata ad fideicommissum; & paupertas: singulasque rejiciebat Capitulum.

Ad primam igitur notabat Emus Episcopus, nullam Testatori fuisse obligationem dotandi Flaminiam transversalem consanguineam, nullamque in testamento præcipuam esse illius contemplationem, dum promiscue vocata est ad subsidium dotale cum reliquis consanguineis *anche in grado remoto, e lontano*, quarum nemini inter se debetur prælatio, sed respectu tantum ad puellas extraneas. Illudque etiam addebat, quod Flaminia, *se può vantarsi di essere più stretta di sangue, non potrà per altro negare di essere meno povera delle altre parenti concorrenti. In questo caso la disposizione di ragione, a cui si è voluto uniformare il Testatore ordinando la preferenza secondo il dovere c'insegna, che nei sussidj dotali lasciati alle zitelle di sangue sia preferita la zitella più povera, se bene in grado remoto, alla meno povera, quantunque più prossima, a norma del Testo nella Legge fideicommissa §. interdum ff. de legat. 3., e nella Leg. 1. §. quia ergo ff. de ventr. inspicien.*

Ponderabat ad secundam, separasse Testatorem capitale subsidiorum dotalium a fideicommissario, ac distinctam scripsisse vocationem descendentium Apolloniæ Scandelloni ejus sororis tantum ad fideicommissum, omniumque consanguinearum ad subsidia; ideoque ex prædilectione ad fideicommissum prædilectam censeri non posse Flaminiam ad subsidia, quorum respectu omnes prædilectæ sunt consanguineæ. Quoad tertiam denique paupertatis rationem testabatur, quod licet *sia vero, che il detto Cap. Giorgi abbia sofferto varie vicende, con tutto ciò è certo che egli colla sua Famiglia vive nella Città di Velletri splendidamente al pari di altre Famiglie del proprio ceto. E' ancor certo, che la moglie del sudetto Capitano ha portato una dote considerabile nella somma di scudi cinquemila cinquecento, colla quale è stata dimessa la maggior parte de' creditori, che erano anteriori, e colla cessione delle ragioni riportata da questi, è stato tenuto addietro il restante dei creditori posteriori. Quindi è, che la Famiglia Giorgi, se non di pertinenza del Capitano, almeno della Consorte del medesimo, possiede al presente vigne, e case, oltre quella della propria abitazione;*

quali beni sormontano la somma di circa scudi quindicimila a norma della stima fatta dai periti in tempo del concorso de' creditori. Non basta dunque per ottenere la grazia del cumulo de' sussidj, che il Capitan Giorgi non si trovi in istato di costituire una dote congrua a Flaminia figlia, ogni qualvolta la moglie, e respettivamente madre di detta Flaminia possiede tanto, che le potrà costituire una congrua dote di scudi mille; essendo regola certa ed incontrastabile, che la madre in mancanza dei beni paterni, ed aviti sia obbligata alla costituzione della dote della figlia.

Neque urgere ajebat trium masculorum existentiam; nam *se dal capitale di circa scudi quindicimila si tolga la dote di scudi mille per Flaminia, ecco che per i maschi resterebbe la cospicua somma di scudi circa quattordicimila. Ed ancorche si dovesse considerare la sola dote materna di scudi cinquemila cinquecento, dedotta la sopradetta somma di scudi mille, gli avanzerebbero ai maschi scudi 4500., e quindi la rata di ogni fratello supererebbe la dote della sorella.* Rationem insuper habendam arbitrabatur de patruo Flaminiæ, *quale gode il fruttato libero di un Canonicato, e gode di più una pingue Abbazia*; quum ex æquitate saltem canonica dotare teneatur neptem; & plura excipiebat adversus exempla: quod prodierint nempe *sull' informazione favorevole data dalli Cardinali Vescovi, perchè avendo il pio Fondatore de' sussidj dotali riposta la sua maggior fiducia ne' Cardinali Vescovi, e date ai medesimi le più ample facoltà, sembrava che dovesse avere un particolar peso l' informazione data dalli stessi Cardinali Vescovi.*

Quod si judicandum insuper esset ab exemplis, *siccome questi si verrebbero sempre più multiplicando, così sarebbe espediente, che il Capitolo di S. Clemente per togliersi da ogni impaccio cedesse alla Famiglia Giorgi il capitale di scudi 7500., mentre non ci sarà tempo, in cui nella detta Famiglia manchino zitelle, che potrebbero pretendere un simil cumulo di sussidj, ed in conseguenza verrebbe ad esser delusa la mente del Testatore, mentre rimarrebbero perpetuamente prive non solo le povere zitelle cittadine, ma anche le zitelle parenti del Testatore, le quali al presente in gran numero concorrono ai detti sussidj Scandelloni, formando le Famiglie attinenti al detto Testatore il considerabile numero di*

tre-

trecento nouantasei . Quodque in diversis postremo fuissent circumstantiis quæ ex Familia præsertim Giorgi cumulos obtinuerunt , ac Flaminia . Apollonia siquidem Mele Capitanei mater congrua omnino destituta erat dote, nec aliæ cum ea ad dotalia concurrebant subsidia . Et in durioribus versabatur circumstantiis Angela Maria Giorgi ejusdem Capitanei soror ob creditorum concursum super patrimonio ejus Familiæ . Dotem contra consequi valet Flaminia sive a matre, sive a patruo, ut ex ore Emi Episcopi notatum est .

Præter hæc , animadversione dignum videbatur Emo Episcopo , quod fraudaretur per cumulum Flaminiæ pia Testatoris voluntas de servanda *la pudicizia di dette zitelle* , & pro una Flaminia in periculo essent quadraginta aliæ consanguineæ , quot ad cumulum scutorum 1000. requirerentur subsidia . Qua de re concludebat , quod *non sembra cosa giusta , e uniforme alla volontà del Testatore , che per provvedere una sola si abbia da esporre al pericolo la pudicizia di quaranta , potendo Flaminia esser soccorsa sì dal zio , che dalla madre* .

Post nonnullos annos Supremum Flaminia ipsa adiit Summi Pontificis Solium pro impetranda tandem semel denegata gratia ; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis , consilium mutavit Capitulum , impenseque favit Oratrici . Ei quoque Suffraganeus veliternus ex iisdem indulgendum censuit rationibus , quas Emus ipse rejecerat . At in eadem Emus Antistes permansit sententia . *Obstat enim* [sunt ejus verba] *perspicua mens Testatoris , qui propinquarum quidem prælationem voluit , quin tamen inter propinquas , & extraneas quoad subsidii quantitatem ullum discrimen statuerit . Obstat numerus amplissimus puellarum ipsi Testatori propinquarum , quæ quum gravi inopia ut plurimum afflictentur , hujusmodi dotali subsidio maxime egent . Urget vero quam vehementer necessitas consulendi ipsarum puellarum pudicitiæ , quæ hujusmodi frustrata subsidiis , summo in discrimine versaretur , & cui pius Testator maxime consultum voluit* .

Unum Oratrici favere ait consensum Capituli , remque quodammodo ancipite n dicit ; nam *durum videri potest , id puellæ oratrici nobili & pauperi* [fortasse juxta priorem informationem, respective] *denegare , quod ejus-*

ejusdem amitæ, quod aliis puellis Testatori propinquis tributum est; præsertim cum aliquoties Testatoris voluntati fuerit derogatum, seu potius Testatori voluntas benigna interpretatione eo fuerit perducta, ut non modo matrimonii, verum etiam alimentorum causa valeret. E converso durum omnino videri debet ab expressa Testatoris mente deviare, quum pauperum puellarum ingens numerus adsit ad pia subsidia inhiantium, & quum sublatis ejusmodi subsidiis, earumdem puellarum pudicitia in gravi discrimine versetur, contra pii Testatoris ardentissimum votum. Oratricem igitur commiserans, ei consulendum proposuit per cessionem cumuli scutorum 800. obtenti ab Angela Maria ipsius amita, quatenus nubere velit in Domino, & per additamentum alterius cumuli scutorum 200. si nubat in sæculo; nam *ita & ipsi Oratrici satis provisum esset, & alia subsidia superessent, quibus & reliquarum puellarum egestati, & Testatoris voluntati plenius satisfieret.*

Satis superque habet Emi Patres ex utraque informatione Emi Episcopi, quæ Oratrici adversantur. Duo tamen præ ceteris iterum ponderanda videntur, defectus scilicet paupertatis juxta primam informationem, aliarumque 396. propinquarum Familiarum præjudicium. Paupertatis sane requisitum optavit Testator; ac de jure etiam relicta censentur dotalia subsidia pauperibus, *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *num.* 2., eisque duntaxat concedi solet illorum cumulus, *idem de Luc. de dot. disc.* 100. *num.* 5., *Polit. eod. tit. quæst.* 6. *num.* 40., *& Sacra Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1778. Animadversionem quoque meretur tot puellarum præjudicium; nam impedimento est gratiæ, *Piton. discept. eccles.* 100. *num.* 167., *Lezan. consult.* 10. *num.* 32. *tom.* 4.

Præstat altera ex parte Oratricis jura referre. Proximiorem se dicit Testatori, atque ex genericis illis secundæ informationis verbis = *Oratrici nobili, & pauperi* = etiam pauperem; ideoque voluntati Testatoris, & æquitati consentaneum esse flagitatum subsidiorum cumulum, argumento sumpto ex prædilectione, quam plurimi fecit *Rot. coram Duran. decis.* 98. *num.* 3., & *cor. Rezzon. decis.* 158. *num.* 19. Exempla urget, in durioribus potissimum alimentorum terminis, neque diverso se ab aliis consanguineis jure censeri debere con-

contendit per *Text. in Leg. illud ff. ad Leg. Aquil.* Aliter vero sibi consuli non posse ait, quam per cumulum scutorum 1000., quæ vix pro dote sufficiunt nobilis puellæ, nam denegavit Amita cessionem proprii cumuli, ut Emus Episcopus proposuerat; cumulumque ipsum ex quatuor fieri debere subsidiis, ut citius ob ingressam pubertatem nubere valeat.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres

An, & in qua summa concedi debeat cumulus dotium in casu &c.

Affirmative pro scutis quatuorcentum ad rationem quatuor subsidiorum pro quolibet anno.

CÆSENATEN. APPLICATIONIS HEREDITATIS. Legavit anno 1763. Joannes Lunardini executori suo testamentario Josepho Gianini prædium tornaturarum septem cum annuo onere Missarum decem. Usufructuariam vero heredem instituit Mariam Moretti suam uxorem, eique substituit Corneliam Lunardini sororem, *dopo la morte delle quali vuole, e comànda, che tutto si venda, e si facciano celebrare tante Messe per l' Anima sua, riservando soltanto il valore di scudi 50. causa testandi alla predetta Signora Maria, e ciò in usi pii solamente*. Testamentum autem hoc falsum, vel nullum dixit Cornelia; sed per sententiam declaravit anno 1766. Emus Antamoro tunc A. C., *non constitisse de nullitate, aut falsitate dicti testamenti*; ab eoque tempore in pacifica bonorum possessione est usufructuaria. De eadem modo hereditate, quæ in scutis consistit 1219. 75., & annuo reditu scutorum 43. 79. inter se contendunt Communitas Longiani, nobilesque viri de Turre, & Salvolini Corneliæ nepotes. Ejus applicationem salvo usufructu grandævæ Mariæ Moretti *a Sanctissimo* postulavit Communitas in augmentum mercedis publici præceptoris, sub lege celebrandi Missas juxta æstimationem bonorum ratatim in plures annos, libereque altera ex parte pro se ipsis, uti pauperibus Testatoris consanguineis, postularunt nepotes Corneliæ, allegata iterum falsitate, vel nullitate testamen-

Sess. 22. cap. 6. & sess. 23. cap. 18. de Reform.

menti . Utraque autem petitio , & informatio cæsenatensis Vicarii Capitularis ad R.P.D. Auditorem *Sanctissimi* , remissæ fuerunt ad Sacram hanc Congregationem , addita super precibus nepotum Corneliæ clausula *cum omnibus facultatibus necessariis , & opportunis* .

Testatus in ea informatione fuerat Vicarius Capitularis de consensu Executoris testamentarii favore nepotum , dummodo Pontificia gratia *venga loro accordata colle stesse condizioni , patti , e riserve , colle quali la chiedono i Signori Comunisti Longianesi , cioè di sodisfare ratatamente ogni anno l' obbligo di Messe sino all' intiero compimento ingiunto dal Testatore* . De paupertate insuper testatus eorumdem nepotum , ac voluntate Lunardinii ante conditum testamentum , eos scilicet instituendi heredes . Et in dubium revocata testamentaria dispositione ob defectum subscriptionis Testatoris, suum aperuerat votum , *che quando in ciò siavi luogo a grazia , abbiano più titolo di richiederla gli Oratori* (nepotes) *che avrebbero potuto essere eredi legittimi , di quello che lo abbia la Communità di Longiano per creare una Lettura a vantaggio di quella studiosa gioventù . Multo più , che trattandosi di un piccolo luogo , resta bastantemente provveduto di una Lettura lasciata da un certo Pavoletti* .

Hæc vero in altera informatione ad EE. Vestras habuit = *Si aliquid dicendum erit de necessitate, in qua sunt Longianenses , ut debeant erigere Lecturam , præter eam , quam habent ex legato Pavoletti , non videtur talis necessitas , ut debeat omnino abrogari pia Testatoris dispositio ; multo minus , ut debeant successores legitimi , iique pauperrimi , omni successioois beneficio , & gratia privari . Petitur enim erectio Lecturæ a populo , & pauperibus Communitatis Longianensis , quibus satis superque provisum est , existente in ea regione schola grammaticæ , characteris , & aritmeticæ ; quę professiones ad pauperum , & populi utilitatem abunde per me sufficiunt . In gratiam autem divitum , aliorumque possidentium non videtur esse abroganda pia Testatoris dispositio ; eo magis , quod Longianum vix quinque milliaria distat a Civitate Cæsenæ , in qua existit Academia studiorum , & Seminarium , in quo literæ , & scientiæ vigent , & apprime coluntur* .

Du-

Dubitandum amplius non est de validitate testamenti post sententiam *Antamoro* in judicatum transactam, & tricenariam illius executionem. Quærendum igitur, num justa concurrat, sive pro Communitate, sive pro nepotibus, applicandæ hereditatis causa, quæ in ultimis derogandis voluntatibus requiritur, juxta *Sacrum Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.* . Publicum Communitas proponit instituendæ juventutis bonum; nam præter domum ad usum Gymnasii ex donatione Josephi Gianini, & Bibliothecam ex legato Advocati Lelii Pasolini, vix annua pro præceptore sunt scuta 25. ex multiplico Pavoletti, quæ congruam non constituunt illius mercedem. Unionem præterea flagitat bonorum longianensis civis Lunardini, qui facile, si viveret, concivibus in re tantæ utilitatis consuleret; eamque postulat cum integro Missarum onere, partita dumtaxat in plures annos celebratione, quæ statim post obitum usufructuariæ fieri deberet. Consona igitur dici posset hujusmodi petitio dispositioni *Sac. Concilii Tridentini sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.*, de ipsis nempe uniendis beneficiis ad solvendam mercedem præceptoribus Seminarii; ut definivit etiam Sacra Congregatio *in Tolentina Applicationis Beneficiorum* 20. *Martii* 1790. *ad* I. *dubium*, & quidem cum reductione Missarum ad quinquennium, *ibid. ad* II. . Consensus accedit Executoris testamentarii, & usufructuariæ, qui petitioni potissimum favent Communitatis.

Urgent altera ex parte nepotes Corneliæ Lunardini jus succedendi ab intestato, licet testamento sublatum; gravemque ipsorum paupertatem, de qua fidem perhibet Vicarius Capitularis, licet contrarium probet Communitas; nam possidet de Turre prędia tornaturarum circiter 65., alia Salvolini tornaturarum 63. Si hac autem non abstante bonorum possessione pauperes censeri velint Oratores in nobili eorum statu, æqua videri posset ipsorum favore applicatio hereditatis, quum aliquid quandoque detraxerit Sacra Congregatio ex piis legatis, nt consanguineis Fundatorum succurreret, ac præsertim *in Lucana* 17. *Januarii* 1789., & *in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Septembris* 1791.. Eoque magis, si cum eodem fieret Missarum adimplemento, ac despondet Communitas.

Disputatur ergo Dubium.

An, quomodo, & cujus favore post obitum Mariæ Moretti sit adjudicanda hereditas Joannis Lunardini in casu &c.

Affirmative ad formam testamenti.

Sess. 24. cap. 12 de Reform.

CIVITATIS CASTELLI CAPELLANIÆ. Testamento anni 1754. erigi jussit Maria Ursula Arnoldi Spiringhen vidua Nicolai Gualterotti in Ecclesia Cathedrali Civitatis Castelli Primiceriatum de jurepatronatus laicali, eique in fundum assignavit argentum, jocalia, domum positam Bononiæ, aliaque sua bona. In primum Primicerium nominavit Sacerdotem Franciscum ejus filium; deindeque reliquit jus nominandi natu majori Familiæ Gualterotti, per lineam masculinam a suis filiis descendeuti, sub lege *di nominare il maggior nato, o maggiore di età, che si troverà allora in Casa Gualterotti tra li miei figli, e loro discendenti maschi, capace, ed abile per conseguire detta prebenda*; ac in defectum idonei masculi Familiæ Gualterotti, *un Nobile*, Civitatis nempe Castelli. Prædilecta tandem extincta linea Gualterotti, jus detulit nominandi ad Capitulum Cathedralis, ita ut *in perpetuo debba eleggere un Nobile di questa Città di Castello*. Primo autem nominato, aliisque successoribus Primiceriis imposuit *il peso di dover adempire a tutti quegli atti, e funzioni, alle quali sono obbligate le altre Dignità, e Signori Canonici di detta Cattedrale*; nec non *di celebrare, o far celebrare Messe tre per ogni settimana dell' anno all' Altare privilegiato del SSmò Crocefisso nella Chiesa superiore di detta Cattedrale*.

Piam hanc dispositionem impugnarunt Canonicus Gualterottus, Urbanus, Ludovicus, Eques Joannes Lucas, & Jo: Baptista de Gualterottis Testatricis filii, suoque jure vindicare ceperunt in ecclesiastica Curia Civitatis Castelli, & coram A. C. bona per matrem relicta. Res tamen per privatam apocham, & sub reser-

servatione Beneplaciti Apostolici composita fuit cum Executoribus testamentariis, probavitque Capitulum concordiam, ut loco scilicet Primiceriatus institui deberet cum capitali scutorum 700. laicalis capellania cum onere hebdomadalium Missarum trium ad prędictum Altare SSmi Crucifixi. Supplicarunt hinc Sacræ huic Congregationi Gualterotti, & Capitulum pro ejus placito, *firmis remanentibus semper omnibus conditionibus a Testatrice requisitis*, & consentaneo sub die 9. Julii 1757. impetrato rescripto=*Sacra &c. attenta relatione Episcopi Civitatis Castelli, benigne commisit eidem, ut veris &c. & postquam ita judicaverit expedire, supradictam concordiam cum pactis, & conditionibus superius expressis pro suo arbitrio gratis approbet, atque confirmet* = publicum tandem super eadem concordia stipulati fuerunt instrumentum die 6. Julii 1763. (diuturna enim inter Gualterottos fuit contentio super executione Rescripti) in quo hæc duo ad rem sunt notanda, I. quod *dovessero rimaner ferme tutte, e singole disposizioni fatte da detta Signora Maria Orsola al Primiceriato, compatibili però con detta cappella, di maniera che s' intenda perfettamente surrogata la cappellania in luogo di detto Primiceriato con tutte e singole qualità, prerogative, e privilegj*. II. quod Gualterotti *si protestarono, e si protestano, che non ostante l'espressione fatta con qualità sacerdotale in di loro nome, e senza il di loro assenso, erroneamente a detta Sagra Congregazione esposta, essi non intendono per il presente atto di approvarla tale, anzi positivamente intendono, e si protestano di contradirvi, e che si abbia per non espressa, riservandosi quando sarà di bisogno le ragioni di poterne avanzare supplica alla detta Sagra Congregazione, ed ottenere la dichiarazione, che sia clericale*.

Defuncto nuper Sacerdote Francisco Gualterotti, qui tanquam primus nominatus ad Primiceriatum, capellaniam ex concordia obtinuit, Sacram adiit Congregationem Clericus Nicolaus Gualterotti cum ejus fratre Canonico Ugolino pro declaratione clericalis qualitatis capellaniæ. Eis vero restiterunt Sacerdos Vincentius, & Dominicus Gualterotti: nam posita clericali qualitate, deberetur forsan capellania Clerico Nicolao tanquam natu majori Familię Gualterotti, ad formam testamenti: posita vero sacerdotali, unico

deberetur Familiæ Sacerdoti Vincentio, cui favet Civitatis Castelli Episcopus *ex clara voluntate Testatricis, quæ sacerdotalem instituit, non vero clericalem præbendam*. Assuetum Clericus apposuerat *Nihil transeat*, quasi formiter cum Sacerdote contendere vellet. At suo deinde per contrariam declarationem sublato impedimento, Causam ex officio proponi permisit.

Nonnullas Clericus Nicolaus exhibet animadversiones, ut clericalem capellaniæ qualitatem suadeat. Par, inquit, erat transigentium jus ad bona per Testatricem relicta in fundum Primiceriatus, & par fuit illius abdicatio ad instituendam capellaniam. Res ergo inter eorum successores æqua non esset, si capellaniam communi ære fundatam obtinere deberet Sacerdos, exclusis Clericis. Clericalem insuper capellaniæ qualitatem desumit ex onere per Testatricem imposito *di celebrare, o far celebrare tre Messe*. Hujusmodi enim qualitatis indicium est facultas celebrandi per alium, *Fagnan. in cap. ut Abbates num.*65. *& seqq. de ætat. & qualit. ordinan., Antonell. de jur., & oner. Cleric. lib.*1. *cap.*29. *num.*11., Ac declarationem postremo urget Capituli; nam cunctis fere suffragiis declaravit anno 1766., *che questa* (capellania) *debba essere clericale, cioe che possa ottenerla, e possederla qualunque maschio della Casa Gualterotti, purche sia Chierico, e che in mancanza dei maschi di detta Casa, e Famiglia si devolva la nomina al Capitolo, senza che il Capitolo si curi punto della qualità sacerdotale per detta cappella, atteso che non porta al Capitolo alcun pregiudizio*.

His contra voluntas obest Testatricis, quæ dum voluit Dignitatem Primiceriatus in Cathedrali, voluisse etiam censetur sacerdotalem vel diaconalem ejus qualitatem; quandoquidem *in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habeant adnexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus*, ut in hæc verba disponit *Tridentina Synodus sess.* 24. *cap.*12. *de reform.* Testamento respondet instrumentum transactionis, in quo uncialibus verbis declaratum fuit, quod *s'intenda perfettamente surrogata la cappellania in luogo di d. Primiceriato con tutte, e singole qualità*; & beneplacitum per ipsos de Gualterottis petitum anno 1757. à Sacra Congregatione, subrogandi scilicet

ca-

capellaniam in locum Primiceriatus, *firmis remanentibus semper omnibus conditionibus a Testatrice requisitis*. Quanti autem faciendus sit assertus hujusce petitionis error, & protestatio per Gualterottos emissa in eodem transactionis instrumento, decernent Emi Patres.

Dubium est.

An capellania, de qua agitur, sit clericalis in casu &c.

Affirmative.

FIRMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Conjuges Venantius Bidini, & Maria Nicolaa Censori, uno sub annum 1787. condito testamento, invicem se usufructuarios scripserunt heredes; totque post obitum utriusque celebrari jusserunt Missas, quot bonorum omnium caperet pretium, deputato ad id Archipresbytero Montis Causarii in executorem testamentarium. Sæpe deinde coram Viro, & Confessario dictitabat Maria, perpetuam potius duplicis hebdomadalis Missæ pro suis, & Viri proximioribus instituturam capellaniam, iisque deficientibus, ad nominationem Societatis B. Mariæ Septem Dolorum ejusdem Oppidi, quam destinaverat heredem; sed re infecta decessit. Supplicatum hinc fuit EE. Vestris nomine Bidinii pro facultate instituendi Societatem heredem, atque erigendi ex suis, defunctæque Uxoris bonis perpetuam capellaniam cum onere duplicis Missæ hebdomadalis, ac lege nominandi proximiores, vel pauperiorem Oppidi Clericum in subsidium. Bidinii patrimonium in scutis consistit 550., alterum Censorię in scutis 635. Quum instantiæ igitur firmanus faveret Archiepiscopus, rescripsit Sacra Congregatio die 28. Maii 1791. = *Pro facultate juxta petita arbitrio & conscientiæ Archiepiscopi, injuncto onere Capellano celebrandi Missas ad taxam perpetuæ juxta reditus bonorum tam Uxoris, quam Oratoris* = probavitque *Sanctissimus* resolutionem die 1. sequentis Junii.

At

At de hac Bidinius questus fuit resolutione, veluti edita super erroneis precibus ejus nomine porrectis, rogavitque EE. Vestras pro illius declaratione, quod sua nempe excluderentur bona, de quibus aliter disponere meditatur, atque ex bonis duntaxat Uxoris erigeretur capellania, salvo tamen ejus favore usufructu ad formam testamenti. Interim vero Aloysius Amati, tanquam ex patre frater Mariæ Nicolaæ, *Sanctissimo* supplicavit pro applicatione sororiæ hereditatis propriæ familiæ ob gravem ejus paupertatem, cum moderato Missarum onere; testatusque fuit Archiepiscopus tum R. P. D. Auditori Sanctissimi, cum Sacræ huic Congregationi, ad quam remissæ fuerunt preces Amati, de præcisa Bidinii voluntate, secundis ejus precibus consentanea, ac de consanguinitate, & paupertete Amati: a ferendo tamen abstinuit suffragio.

Petitioni Amati dispositio adversatur juris. Querelam enim non habet frater inofficiosi ad testatam hereditatem sororis, nisi scripta sit heres persona turpis *Instit. lib.*2. *tit.*18. §.1. *de inoffic. testam.* Voluntas etiam adversatur Testatricis, quæ paupertatem non ignorans fratris, non aliter ei consulere voluit, quam simplici legato scutorum viginti; ac per flagitatam gratiam læderetur jus Bidinii, qui usumfructum habet hereditatis. Omnino præterea pauper non est Orator; dum possidere fatetur domunculam, licet imparem sustentationi Uxoris, & filiorum trium teneræ ætatis. Et ponderandum denique, num ex paupertatis causa derogandum sit pio operi, post obitum saltem usufructuarii contra monitum, *Divi Bernardi lib.* 3. *cap.* 4. *de considerat. ad Eugen. Pap.* Frequentes porro sunt pauperes Testatorum consanguinei, pluresque similes erunt casus, in quibus exemplum allegari posset Oratoris. Liberam altera ex parte non postulat Orator hereditatem sororis, sed cum æquo Missarum onere. Quodammodo igitur consultum foret Animæ Testatricis, & levaretur Orator a paupertate, ob quam aliquid ex fructibus capellaniæ ad decennium concessit Sacra Congregatio pauperibus consanguineis *in Lucana* 17. *Januarii* 1789.

Quo vero ad Bidinium, inverisimile videtur, quod extensor supplicis libelli, super quo rescriptum prodiit 28. Maii 1791., erectionem proposuerit capellaniæ ex utrisque Conjugum bonis absque illius mandato, at-

atque ex se ipso errare potuerit circa substantiam rei. Crescit inverisimilitudo ex informatione tunc ab Archiepiscopo transmissa, quæ nonnisi audito Bidinio exarari poterat. In ea sane habetur, quod *bona sua relinquere modo vult* [Bidinius] *Societati S. Mariæ Dolorum ea lege, ut per singulas hebdomadas curet celebrari bina sacrificia . . . . Idipsum petit quoad bona ejus Uxoris, & hanc ob causam supplex est penes EE. VV., ut derogata ejusdem suæ Uxoris voluntate, etiam hujus bona novæ suæ dispositioni adjungantur.* In hoc sane supposito quasi contraxisset Bidinius super modo erigendi capellaniam, eique displicere amplius non posset, quod semel placuit. At contraria urget erroris verisimilitudo ex celeri illius recursu pro declaratione rescripti. Si res ergo intrinsecus spectetur, æqua videri potest petita declaratio. Quantum enim ad propria Bidinii bona; licet de iis in reciproco disposuerit testamento, quod favore præsertim causæ piæ irrevocabile censet *Spin. de testam. gloss.* 18. *princip. de meliorat. num.* 55., novam fortasse patiuntur dispositionem, quum libera cuique sit disponendi facultas usque ad mortem *ex Instit. §. Posteriore, quib. mod. testam. infirm.*, ibique *Mynsinger. observ.* 8. *cent.* 1. *limit.* 2. *num.* 2.; & accommodasse censeatur Bidinius suam intentionem ab naturam revocabilis actus, ut observat *Calcagnin. de ultim. volunt. tom.* 1. *art.* 2. *num.* 8., & definivit *Sacra Congregatio in Signina* 29. *Novembris* 1788. *ad I. Dub.*

Aliter quantum ad bona hereditaria Uxoris dicendum. Commutare enim nequit Bidinius reciprocam illius dispositionem, *Voet. in Pandect. lib.* 28. *tit.* 3. *num.* 11., neque justum præbet commutandi titulum ipsius Uxoris voluntas, quam minus solemniter coram Viro, & Confessario declaravit, §. *penult. Instit. quib. mod. testam. infirm.*, *Voet. loc. cit. num.* 1. Annuit Sac. Congregatio pro erectione capellaniæ; sed gravis concurrebat causa unionis bonorum Viri. Quoniam vero de erigeuda modo agitur capellania post obitum usufructuarii ex bonis dumtaxat uxoris; deliberandum idcirco, num partiri expediat in annos suffragium, quod statim Testatrix voluit copiosum, magisque esset ejus Animæ proficuum, juxta *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.* 291. *num.* 1.

Quæ-

Quæritur itaq ue .

I. *An , & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione hereditatis Censorii in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit locus exequutioni rescripti 28. Maii 1791. in casu &c.*

Ad I. Negative .
Ad II. Dilata .

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA CAPELLANIÆ. In reciproco testamento, quod condidit anno 1756. Augustinus Arighi cum Antonio ejus fratre, facultatem sibi reservavit declarandi in separata syngrapha , quę post mortem suam exequi deberet frater ; idque eodem fecit die & anno , ac post illius obitum quatuor pares institui mandavit quotidiani sacri capellanias . Prędefuncto autem Augustino die 14. Februarii 1762. , differre noluit Antonius executionem piæ ejus voluntatis ad suam mortem, erexitque vivens eodem anno demandatas capellanias mere laicales , & ad nutum amovibiles cum fundo Locorum Montium centum ; quarum unam addixit Ecclesiæ S. Eligii aurificum ; alteram Ecclesiæ S. Mariæ in Vallicella Patrum Oratorii ; tertiam Ecclesiæ Agonizantium ; & quartam Ecclesiæ SS. Stigmatum Sancti Francisci Urbis sub lege , *che mancati i primi quattro cappellani , li secondi , che saranno nominati , debbano avere il peso della Messa quotidiana , nelle Chiese però destinate , e graduatamente nominate , di modo che di mano in mano anderanno mancando li detti primi cappellani parimente a grado nominati , l'altro nominando dovrà passare nel grado era l'antecessore , ed avere il peso di celebrare in quella Chiesa , che gli spetterà* . Priores tres capellanos nominaverat Augustinus , quartum nominavit Antonius cum facultate celebrandi *in qualunque luogo , o qualunque Chiesa le piacerà* . Jus verò in posterum nominandi Laurentio tribuit Roberti ex sorore nepoti , ejusque descendentię ma-

masculinæ, & fœmininæ, ac in defectum utriusque Congregationi secretæ S. Eligii.

Aliquandiu forsan passi fuerunt Patres Oratorii in eorum Ecclesia celebrationem Missæ juxta destinationem secundæ capellaniæ; nam servitutem hanc per renunciationem excusserunt anno 1779. . Quum eam vero post obitum primo nominati adeptus fuerit Sacerdos Ignatius Tavecchi, alibi hic Sacrum hactenus celebravit. Ad suam idcirco sedandam conscientiam, EE. Vestris supplicat Franciscus Roberti patronus pro facultate celebrandi ejusdem capellaniæ Missas ubique, cum obligatione reddendi quotannis rationem Sacræ Congregationi Visitationis; & hæc habet Emus Urbis Vicarius: *Si expendenda res esset ex regulis Juris communis, maxime vero civilis, non utique multum cum Tavecchio confligerem, ne illa uteretur libertate ubilibet celebrandi, quam nullo suo facto culpave demeruerit. Accedit quod ipse capellaniarum auctor non penitus ab hac libertate abhorruit, quippe quum primos quosque earumdem capellaniarum possessores nulli loco addictos esse voluerit. Quamquam id eo factum puto, quod proximi a Testatore nominati, notiores ei esse debuerunt, ideoque digniores, quibus suæ cuique capellaniæ Sacrorumque onerum cura largius, fidentiusque concrederetur.*

Res profecto non est de capellania relicta vallicellianæ Ecclesiæ, sed de missis in ea celebrandis per Capellanum Arighi. Libere priori casu renunciare potuissent Patres Oratorii legatum, ex sententia *Innocen. in cap. cum accessissent num.* 4. *de constit.*, *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst.* 1090. *num.* 2., & *quæst.* 1061. *num.* 1. & 6', posteriori vero, in quo versamur, admittere tenentur, & compelli possunt ad permittendam io eorum Ecclesia celebrationem, nisi justam afferant recusationis causam, *Albert. de sac. utensil. cap.* 13. *num.* 77., & 80. Maxime, quia ex sera renunciatione anni 1779. argui potest, celebratum in eadem Ecclesia fuisse ab anno 1762., quo erecta fuit capellania, eosque idcirco quasi contraxisse, ne semel acceptam servitutem excutiant. Facile autem in his terminis concedenda non esset petita facultas celebrandi ubique, quum exequi debeat Fundatoris voluntas eo modo, quo præscripsit, quousque id non reddatur impossibile, vel difficile, *Barbos. de offic.*, & *potestat. Episc. allegat.* 83. *num.* 3. & 8.

Qua de re denegavit Sacra hæc Congregatio translationem Missarum *in Uxentina Celebrationis Missarum* 13. *Januarii* 1748.

At posito, quod justa Patres de causa admittere amplius noluerint in propria Ecclesia capellanum, impossibilis in hoc casu esset Missarum celebratio ad præscriptum Fundatoris, & locus idcirco esse posset illarum translationi, juxta *Nicol. lucubrat. canon. lib.* 3. *tit.* 31. *sub num.* 15., *Matthæucc. in offic. Cur. Regul. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 8., & *Sac. Congreg. in Papien. Oneris Missarum* 12. *Decembris* 1733., & *in Tyburtina Celebrationis Missarum* 14. *Septembris* 1735. Potissimum quia omnino non abhorruit Fundator a celebratione Missarum in quacumque altera Ecclesia, licet prioribus dumtaxat Capellanis eam permiserit. Quatenus igitur annuendum censeant Emi Patres pro translatione, decernere etiam dignentur de modo. Facultas sane celebrandi Missas ubique adversatur praxi Sacræ Congregationis, quæ eam concedere solet ad Ecclesiam ab Ordinario designandam, ut *in Januen.* 16. *Decembris* 1786. *ad III. Dub.* Notandum de cetero, duas esse Ecclesias, ad quas fieri de congruo posset translatio, Ecclesiam nempe SS. Trinitatis Peregrinorum, cujus Archiconfraternitas substituta est ad Arighiorum hæreditatem; & Ecclesiam S. Mariæ Aræ Cœli, in qua sepultus est Augustinus.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus translationi Missarum in casu &c.

Dilata, & audiantur Patres Oratorii.

Sess. 21. *cap.* 5. *de Reform.*

LUCANA UNIONIS BENEFICII. Pia Lucæ est domus, in qua novem modo sunt mulieres pænitentes. Annuum ipsæ habent, liberumque reditum scutorum 50., ac tenues per Civitatem colligunt eleemosynas, ex quibus miseram ducunt vitam. *Sanctissimo* igitur supplicarunt pro unione beneficii erecti in lucensi Cathe-

thedrali sub titulo S. Hieronymi de jurepatronatus Patrum Congregationis Matris Dei, ad quos jus istud delatum est hereditario titulo Catharinæ Vannulli; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, retulit Incensis Archiepiscopus, quod Patribus *capitulariter auditis, commiserantes summam egestatem pii loci prædicti, nihil precibus opponendum censuerunt, quin lubenti animo cum voce, tum suffragiis omnibus affirmantibus, assentiendum esse decreverunt*; quodque *habet beneficium prædictum annuos reditus scutorum* 20. *circiter, & onus Missarum* 14., *quarum manualis eleemosyna pro singulis ad julium non pertingit*. Atque in hæc conclusit verba: *Quum igitur petita unio levamen, & adjumentum pio & admodum utili loco sit allatura, humillime sentirem, unionem prædictam Oratricibus concedi posse nunc pro eo tempore, quo beneficium vacabit*.

Archiepiscopi relationem comprobavit, laudavitque Procurator Generalis Congregationis Matris Dei. Ministri vero Datariæ Apostolicæ, qui auditi etiam fuerunt, carere inquiunt unionem beneficii subjecto ad eam habili, *nempe Ecclesiæ, cui uniatur, quum beneficii ut fructus applicentur dicto loco pio ad augendos ejus reditus vere tenues, injuncto tamen onere Missarum, substantialiter sit ejusdem beneficii amortizatio, & suppressio*; eique obstare incertitudinem vocatorum ad beneficium, ita ut opus esset *vel programmatibus, excitando interesse habentes aut habere putantes in jurepatronatus, præsertim passivo, ad deducendum jura in Sacra Congregatione, vel simplici suspensione nominationis, & jurispatronatus etiam passivi ad tempus aliquod a die primæ vacationis, ut si quod gravamen alicui involuntarie afferretur, qui tunc reclamaret, illud facile sit reparabile*. His tamen non obstantibus, ita concludunt: *Causa* (unionis) *piissima est. Archiepiscopus eam promovet, & pro dicta gratia supplicat. Qui patronatum possidet, nempe Congregatio Matris Dei, assentitur. Igitur ea concurrunt, quæ supremam Pontificiam potestatem movere ad annuentiam possunt*.

Quærendum præ omnibus, num reipsa deficiat subjectum unionis. Ob defectum Ecclesiæ, cui uniri so-

lent beneficia, affirmant Ministri Datariæ. Altera vero ex parte notandum, quod locus pius, qualis est pœnitentium domus, æquiparatur Ecclesiæ, ac non raro illius etiam favore expleta fuit unio, ut favore episcopalis Seminarii *in Amerina Applicationis* 23. *Novembris* 1776. *ad I. Dub.*, *& in Tolentina Applicationis Beneficiorum* 20. *Martii* 1790. Nec novum, quod hujusmodi unio fiat ante vacationem beneficii, salvo jure possessoris, Ita enim *in Amerina erectionis Parochiæ* 18. *Septembris* 1790. Quantum vero ad possibilem vocatorum existentiam, ob quam Ministri Datariæ proponunt edicta, adverti posset, quod testimonio Archiepiscopi deficiunt fundationis beneficii tabulæ, nec facile idcirco passivum ostendi valet juspatronatus; quodque ad cautelam addi posset gratiæ clausula *sine præjudicio juris alteri quæsiti*.

Quatenus igitur EE. Vestre obesse non censeant extrinseca hæc impedimenta, deliberandum ab intrinseco de unione. Eam porro ex necessitate, vel utilitate permittunt Honorius III. *in cap. exposuisti de præben.*, *& Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 21. *cap.* 5. *de reform.* Necessitatem in nostro themate inducere videtur tenuis pœnitentium census, ut monet *Gibert. in jus canon. de benefic. ecclesiast. tit.* 11. *sect.* 2. §. 6. *tom.* 3., utilitatem qualitas operis pii, quum institutum sit ad servandas pœnitentes mulieres a nova occasione peccandi. Consensus accedit patronorum, ob quem facilius Sac. Congregatio plurium capellaniarum unionem concessit *in Derthonen.* 22. *Maii* 1764.. Et votum postremo Archiepiscopi, qui rem habet præsentem. In casu autem unionis statuendus etiam esset modus, num fieri nempe deberet cum eodem Missarum onere, quo gravatur beneficium, ac per simplex rescriptum, ut præ earum paupertate flagitant Oratrices.

Proponitur itaque.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro unione beneficii in casu &c.

Non propsita cum sequenti.

BAL-

BALNEOREGIEN. PECUNIARIA. Actum in Congregatione 21. Julii elapsi anni 1792. de fructibus censuum, quos hodiernus creavit balneoregiensis Episcopus ad perficiendas Cathedralis Ecclesiæ reparationes vigore rescripti 29. Augusti 1789., *reparationem, de qua in precibus, faciendam esse pro nunc, & per modum provisionis sumptibus Mensæ episcopalis, etiam per creationem, & impositionem censuum, reservato jure contra quem, seu quos in posterum de jure*; easque postulavit promotor Fiscalis a decessore Episcopo Aluffio, qui per rescripta 18. Decembris 1790., & 28. Maii 1791. damnatus deinde fuit ad reparationes pro summa scutorum 578. 30., a die scilicet impositionis censuum pro quantitate eidem summæ respondente. At proposito Dubio = *an, a quo tempore, & in qua summa debeantur fructus censuum* = Emi Patres rescripserunt = *negative in omnibus*. Notabat enim Aluffius in responsione, quam unice tunc distribuit, jam ante resolutiones annorum 1790., & 1791. creatos fuisse census, nullamque in eo damnnado habuisse Emos Patres rationem fructuum; post resolutiones vero constitutum se non fuisse in mora pro solutione scutorum 578. 30.; quæ ultro tandem solvisse affirmabat. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

De rescripto 21. Julii 1792. queritur modo Procurator Fiscalis, & hæc habet contradicente Aluffio. Creati, inquit, fuerunt census pro conficiendis reparationibus, ad quas tenebatur Aluffius, & quidem *per modum provisionis &c. reservato jure contra quem, seu quos in posterum de jure*. Refundi ergo debet damnum fructuum in Aluffium pro capitali scutorum 578. 30., pro quibus renunciatus de jure fuit debitor reparationum; per *Text. in leg. unic. Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest profer.* Scientiam vero habuisse affirmat Aluffium creationis censuum tum ex judiciali instantia pro exequutione rescripti 29 Augusti 1789., cum ex speciali dictorum censuum mentione in utraque Causæ principalis propositione 18. Decembris 1790. & 28. Maii 1791., ideoque suppletam remansisse interpellationem ad eum constituendum in mora, ad tradita per *Card. de Luc. de usur. disc.* 34. *num.* 10., *Rot. in recent. decis.* 433. *num.* 1. *part.* 11. *tom.* 2.

Citavit contra Aluffius die 20. Aprilis 1792. Promotorem Fiscalem *ad recipiendam summam debitam*. Et quamvis protestatus fuerit Promotor Fiscalis die 9. subsequenti

tis Emi, quod assequi nequibit eadem pecunias, ideoque oblatio facta, tamquam elusoria, & effectu vacua, neutiquam attendenda est, quodque idcirco fructus censuum pro intranti summa scutorum 578. 30., quorum liquidatio a Sacra Congregatione faciendi erit ad formam Dubii jam concordati, decurrere omnino debeant, prout hactenus decurrerunt damno ipsius Adversarii, nonnisi verbo tenus solutionem pollicentis, ut consequeretur nempe solutionem Balneoregii; hæc tamen die 19. ejusdem mensis expleta fuit Romæ vigore decreti A. C. Met, ut ex publico liquet quietantiæ instrumento. Nullos hinc Aluffius debere contendit censuum fructus; neque ante, neque post resolutiones annorum 1790., & 1791. Non ante, quia admissa etiam scientia censuum, constitui ex ea non poterat in mora solvendi quod erat in controversia. Neque post, quia pluries extrajudicialiter interpellatus, solutionem Promotor Fiscalis respuit in Urbe, in qua eam tandem de mandato Judicis accipere debuit.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dein-

Die Sabbathi 16. Martii 1793. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

LUCANA UNIONIS BENEFICII. *Sess. 21. cap. 5. de Reform.*

An, & quomodo ſit conſulendum SSmo pro unione Beneficii in casu &c.

Affirmative, adimpletis oneribus juxta votum Archiepiscopi.

BALNEOREGIEN. PECUNIARIA. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

ANCONITANA MATRIMONII. Ad Dubium, *an conſtet de nullitate matrimonii*, rescripserunt EE. Veſtræ die 19. elapsi Januarii, *Affirmative*; denegata etiam Comiti Josepho Nappi nova recognitione ejus corporis, quam postulabat ad suam probandam respectivam impotentiam. Iterum modo ad examen reditCausa sub Dubio *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

LU-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. Iterum atque iterum diebus 27. Februarii 1790., & 7. Maii 1791. denegata fuit homicidæ Sacerdoti Terentio Gervasi dispensatio ab irregularitate. Ob datam autem spem gratiæ per tertium rescriptum *expectet* dici 12. Maii elapsi anni 1792; Vestram quarto implorat clementiam, eique impense Sarzanensis favet Episcopus. Refert siquidem, *vera esse, quæ in precibus exponuntur relate ad Oratoris bonos mores, honestam atque laudabilem ejus vitæ rationem, Sacramentorum frequentiam, assiduum Ecclesiæ servitium, signa veræ resipiscentiæ, gravem illius paupertatem, atque constantem vitæ emendationem, ita ut in summa æstimatione sit penes Populum; quemadmodum de his indubitatum mihi fecerunt testimonium quatuor Parochi fide digni, inter quos Vicarius Foraneus, quum vera signa resipiscentiæ præbuerit, vitam exemplarem ducat, constanter sit emendatus; atque attenta etiam gravi ejus paupertate dignum esse misericordia, ita ut petita dispensatio ab irregularitate, & Missam celebrandi licentia eidem ulterius non retardetur. Tali siquidem modo, ut mihi subjunxit præfatus Vicarius Foraneus, afflictis ejus septuagenariis parentibus aliquod afferetur levamen.*

Testatur insuper, *dictum Sacerdotem jam pluries in religiosam domum Missionariorum se recepisse ad peragendas sacra exercitia, & se multum exercuisse, & exercere in orationes, piasque meditationes.* Ac suum tandem ita aperit votum: *Perpensis omnibus in aliis relationibus expositis, nec non superius deductis, post quatriennium jam transactum ab homicidio, quod satis non constat dictum Oratorem commisisse, eumdem, attenta etiam ejus gravi paupertate, dignum esse miseratione, atque ideo dispensationem ab irregularitate, & licentiam Missam celebrandi ipsimet Oratori concedi posse censerem.*

Vestræ igitur deliberationi proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo non celebret in loco commissi delicti.

FIR-

FIRMANA. In Collegiatam primum erexit *Clemens XIII.* parochialem Ecclesiam SS. Petri, & Pauli, deindeque parochialem alteram S. Donati Montis Ulmi. Hinc ad suam ampliandam Ecclesiam liberaliter Felix Paschalius, qui caput, & Archipresbyter erat Donatiani Collegii cessit anno 1774. illius fabricæ archipresbyterales reditus, annuis sibi reservatis scutis 120., ac delegata duobus Canonicis administratione Archipresbyteratus; eique pariter assignavit fructus capellaniæ *S. Mariæ de Paradiso*, quam a Decurionibus Oppidi patronis ad hunc effectum impetraverat. Insignis autem Collegiatæ titulus unum in alterum concitaverat Capitulum, novæque veteribus additæ fuerant controversiæ, super præeminentia præsertim, & prærogativa majoritatis, in quibus iterum atque iterum succubuerant Donatiani. Ad conciliandam igitur pacem inita tandem fuit anno 1779. sub reservatione Beneplaciti Apostolici concordia, cujus hæc ad rem memoranda sunt capita. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Conventum sane de uniendo Capitulo S. Donati *con suoi effetti, e pertinenze* alteri SS. Petri, & Pauli, ac de uno constituendo Collegio sub eorumdem Apostolorum, & S. Donati titulo; quodque Donatianus Archipresbyter, qui secum translaturus erat *decorazioni e di nomine, e di numero considerabilissimo di Anime, e finalmente rendite riguardevoli*, fieri deberet nomine Præpositi prima uniendi Capituli Dignitas, ac unus totius Populi Pastor; qui vero Præpositus erat coadjutor, & prima Dignitas SS. Petri, & Pauli, fieret sub nomine Archidiaconi secunda. Conventa rursus translatio Missarum *appartenenti a Signori Canonici, e Prebendati di S. Donato*, nec non oneris *di assistere alle sedie confessionali, imposto alli sei Cappellani Orsetti ora eretti in Canonicati, quando potranno comodamente assettarsi* (in Ecclesia SS. Petri, & Pauli) *li Confessionali*. Cautumque postremo, *che dal giorno di tale unione tutte, e singole funzioni parrocchiali debbano farsi nella Chiesa parrocchiale de SS. Pietro, e Paolo*. Hæc præ ceteris in publico concordiæ instrumento. In respectivis vero resolutionibus capitularibus ei insertis provisum etiam fuit ampliationi Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli. Decreverunt enim Donatiani *di rinovare le nostre obbligazioni in beneficio della Chiesa sudetta, passandole in mano del nostro Signor Arciprete coadjutore, come Rettore della*

 stes-

stessa per l' effetto sudetto , e lo stesso debbasi intendere delle residuali contribuzioni de legnami. Ac cedere statuit Capitulum SS. Petri , & Pauli futuro ejus Præposito decimas funerales cum onere *dell' intiera , e totale manutenzione di questa Chiesa, ingrandimento della medesima &c.*

Concordiam , & resolutiones capitulares per Apostolicas Literas approbavit *SSmus Dominus Noster* PIUS VI. mense Septembris ejusdem anni 1778., curamque Animarum , jura , onera parochialia , & Collegiatam S.Donati *cum universis illius bonis , rebus , & proprietatibus* perpetuo ad Ecclesiam transtulit SS. Petri & Pauli , eique *æque principaliter* univit . Præscripsit tamen , *quod in præfata Collegiata Ecclesia S. Donati , utpote opportuna pro Populo , & signanter pro Rusticis omnia onera Missarum inibi existentia pro eorum commodo perpetuo remaneant , ut antea , exceptis oneribus , ad quæ Canonici tenentur , quæ onera ad supradictam Collegiatam Ecclesiam SS. Petri & Pauli transferentur , cum facultate tamen sex Canonicis de Orsettis, ad sacramentales Christifidelium confessiones excipiendas diebus festis obligatis , satisfaciendi dictis oneribus diebus tantum festis in prædicta Ecclesia S. Donati uti ampliori , donec Ecclesia SS. Petri & Pauli pro sedibus confessionalibus retinendis capax reddatur , & dies festus S.Donati cum sua octava inibi capitulariter solemnizari debeat*.

Omnia igitur per hujusmodi unionem videbantur composita . At plerique ex illis , qui de Donatiano fuerant Capitulo , quosque novus ducebat Præpositus , facultatem a Vicario Capitulari Firmano postularunt ampliandi Ecclesiam S. Donati , neque ab illius repulsa deterriti , manus operi admovere ceperunt . Ubi primum vero ad Firmanam evectus fuit Sedem hodiernus Archiepiscopus , curavit vigilantissimus Præsul , ut per concordiam suspenderetur ædificium , reservata sibi potestate decernendi in Sacra Visitatione , quid de ampliatione unius , vel alterius Ecclesiæ opportunius videretur . Atque hinc per decretum Visitationis anni 1781. parochiales in Ecclesia S. Donati interdixit functiones ; inhibuitque illius ampliationem , quam respectu etiam Ecclesiæ SS. Petri , Pauli , & Donati suspensam voluit donec *ea possit conciliare , quæ opportuna videbuntur* . Mandatis non paruit Præpositus , &

sa-

sacras in Ecclesia S. Donati explevit functiones, in spretum etiam comminatæ suspensionis; quumque a declarata per Archiepiscopum irregularitate provocasset ad A. C., remisit *Sanctissimus* Causam ad Sacram hanc Congregationem, *non retardata exequutione decretorum in Sacra Visitatione factorum ab R. P. D. Archiepiscopo Firmano*.

EE. igitur Vestris supplicavit Præpositus pro revocatione decretorum Visitationis, rescissione actorum judicii contra eum prolati a Curia Archiepiscopali, & dispensatione ab irregularitate. Dispensationem obtinuit die 16. Martii anni 1782. ad sex menses cum reincidentia: sed dum reliquæ disputandæ erant quæstiones, altera cum ipso inita fuit concordia die 11. subsequentis Junii, permisitque, *che le rendite de suoi beni da lui cedute in vantaggio della fabbrica di S. Donato, si applichino interamente in vantaggio dell' ingrandimento della Chiesa de' SS. Pietro, e Paolo, a cui fin da ora vuole che restino trasferiti tutti li materiali esistenti inconsunti ed intatti, e tutti quei legnami che trovansi parimente in essere, tanto procedenti dalle sue rendite, quanto dalle contribuzioni de' Signori Canonici olim di S. Donato, da quali si dovranno esigere le rimanenti porzioni delle contribuzioni*. Concordiam hanc probavit Archiepiscopus, & cum plenaria absolutione, & dispensatione Præpositi confirmavit *Sanctissimus* die 25. Septembris ejusdem anni per organum Secretarii Sacræ Congregationis, juxta votum Emi Salviati Relatoris.

Vita functo Præposito transigente Paschalio, protendere meditabatur ejus successor Nicolaus Barbius Ecclesiam SS. Petri & Pauli ultra proprium solum, causamque dedit Vicinis, Universitati, Populoque, cur omnes adversus eum consisterent. Mutato igitur consilio, occasionem ex angustia Ecclesiæ sumpsit petendi institutionem duplicis Vicariæ per suppressionem tunc vacantis Canonicatus, & Capellaniæ: sed ad Dubium, *an sit consulendum Sanctissimo pro gratia suppressionis vacantis Canonicatus, & Capellaniæ, ac respective erectionis duarum Vicariarum*, respondit Sacra Congregatio die 18. Augusti 1787., *negative in omnibus, & ad mentem. Mens est, quod Archiepiscopus cogat Præpositum Barba ad redditionem rationis cum interventu Deputatorum interesse habentium*. Administraverat enim Barbius capitalia fabricæ.

Quum agere tandem cepissent Capitulares quidam de amplianda Ecclesia SS. Petri & Pauli intra propriam aream, Sacram adierunt Congregationem Jacobus Costa, & Aloysius Pampinonius, ut coacta pecunia, & coementa adhiberentur potius pro fabrica Ecclesiæ S. Donati, pro qua ab initio destinata erant; ut indirecte scilicet novum impedirent opus, sibi tanquam vicinis incommodum, quod ex jure nunciare non poterant. In memorando decreto Visitationis anni 1781., rationes attulit Archiepiscopus, cur progressum interdixerit fabricæ S. Donati: primo nempe, *quia hoc ipsum statuerat memorata transactio*: secundo, *quia de amplianda altera Ecclesia SS. Petri & Pauli, ad quam erat in vim unionis translata tum Parochia, tum Collegiata, serio erat excogitandum*: *ac tertio demum, quia restauratio prædictæ Ecclesiæ S. Donati (quatenus fieret) antiquissima jurgia, & dissensiones certissime excitasset. Volui immo, easdem lites tollendi causa, ut ab ipsa Ecclesia S. Donati Baptisterium removeretur, neve in ea sermones haberet Parochus, sed in alia SS. Petri, & Pauli.* Nedum vero prohibitam dixit fabricam S. Donati, *sed etiam solemniter actum, ut ea quæ aderant tum res tum pecuniæ, huic ipsi restaurationi attributæ, in ampliationem alterius Ecclesiæ SS. Petri & Pauli erogarentur.*

Hæc omnia obstare ait, *ne restauratio prædictæ Ecclesiæ S. Donati reassumatur, saltem cum pecuniis & rebus pro amplianda alia Ecclesia per contractum, & solemniter tributis. Utrum autem hæc possit, vel non ampliari, meam dicere sententiam omitto; sed EE. Vestræ ex Summario typis impresso in Causa inter Præpositum acta cum Capitulo coram Sac. ista Congregatione anno 1787. deprehendere poterunt* (Producta hinc inde fuerunt contraria jura: sed præponderare videbantur affirmativa) Retulit vero, quod re *vix pandita Capitularibus Collegiatæ Ecclesiæ, illico jurgia, & dissensiones, quæ aliquantulum recesserant, iterum, & quidem acerbius excitarunt. Vocata siquidem Congregatione, iterumque vocata, ita tumultuarie fuit actum, ut quæ sit Capitularium sententia, agnosci nequeat; prout melius EE. Vestræ ex foliis utriusque Congregationis, quæ obsequiose adnecto eruere poterunt. Adjungo rursus alia folia, quorum unum spectat ad eos Canonicos, qui precibus* (Costæ, & Pampinonii) *assentiuntur, alterum ad eos, qui vi-*

riliter adversantur, & ita adversantur, ut jura sua coram Sac. ista Congregatione formiter deducere velint. Ex foliis profecto duplicis Congregationis liquet, Canonicos decem a ferendo abstinuisse suffragio, emissa contra instantiam Oratorum protestatione; ex aliis novem Oratoribus favisse Canonicos octo. In foliis vero privatim subscriptis, Canonici decem, & Præbendati sex pro continuatione sunt Ecclesiæ S. Donati; reliqui pro ampliatione Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli; atque hi certant modo cum Costa, & Pampinonio.

Non de mandato Canonicorum, qui a suis sunt partibus, sed populari actione contendunt Pampinonius, & Costa, exequendam esse primam defuncti Præpositi Paschalii cessionem, ideoque pecuniam eo vivente coactam ex reditibus Archipresbyteratus applicari debere fabricæ Ecclesiæ S. Donati. Revocari profecto non potuisse affirmant cessionem illam, utpote factam Ecclesiæ, per posteriorem alteram anni 1782. per *Text. in Leg. 5. & fin. Cod. de revocan. donat.*, *Tiraquell. de privileg. caus. piæ*, *privileg.* 115., *Reinfest. lib. 3. jur. Canon. tit. 24. de donat. num.* 12. Vetant enim Leges, ne auferre amplius valeat donans jus donatario quæsitum, *Ursaya discept. Eccles.* 1. *num.* 9. *tom.* 8. *part.* 1.; *Rot. in Romana Legatorum* 6. *Junii* 1777. §. 13. *coram Emo Herzan*. Eoque magis quia imperfectum, ac deforme est ædificium S. Donati, in quo plures adhuc ex Bulla unionis fiunt sacræ functiones, exigitque propterea ut perficiatur ex *can. pulcra* 18. *distinct.* 86., & *Sac. Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*

Notandum etiam rogant, unionem Ecclesiæ S. Donati expletam fuisse *æque principaliter*, non *subjective*, ita ut salva ei tectaque servata sint privilegia, jura, & bona, quæ inter dos fabricæ, ut observat *Gonzal. in cap. sicut unire num.* 3. *de excess. Prælat.*, *Bohemer. in Decretal. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 180. & *seqq.*, *Murg. de benefic. quæst.* 4. *num.* 16. & *seqq.*, *Piton. discept. eccles.* 99. *num.* 36. Ex ipsa immo unionis Bulla argumentum desumi ajunt exclusivum translatæ dotis ad fabricam SS. Petri, & Pauli; nam ex capitulis Bullæ insertis assignatæ fuerunt huic fabricæ decimæ funerales. Atque hinc concludunt, applicandos esse reditus, de quibus agitur, Ecclesiæ S. Donati, cui eos primum addixit pius Archipresbyter Paschali.

Urgent altera ex parte dissentientes Canonici finalem primæ

mæ cessionis causam, nempe *di vedere decentemente compita questa mia Chiesa*. Dum enim sua per unionem esse desiit Ecclesia S. Donati, resoluta ob defectum causæ fuit cessio, ex *cap. cum cessante* 60. *de appellat.*, *Fagnan. in lib.*5. *Decretal. cap.* 10. *de privileg. num.*11., *Petr. in Constit. Apost. tom.*4. *Constit.* 2. *num.*1., ac valida idcirco dici posset illius revocatio favore Ecclesiæ per transactionem anni 1782., quam post Firmanum Archiepiscopum *Sanctissimus* etiam approbavit. Quod enim donatum, ac traditum est ob causam, hac non sequuta revocari, & condici potest, ut ex *toto tit. Cod. de condict' ob caus. dat.*, *Cujac. in lib.*4. *Cod. ad Leg.*1. *cod. tit. tom.*9. *pag. mihi* 1210. *litt.C.*, *Donell. comment. in Cod. lib.*4. *ad rubr. tit.*6. *tom.*7. *pag.*720. *nam.*6.

Utiliorem præterea dicunt ampliationem Ecclesiæ SS.Petri, & Pauli, dum Divina in ea celebrantur officia, omnesque exercentur parochiales functiones; quin testimonio Archiepiscopi in Causa anni 1787., frequentem capere valeat Populum. Partium hinc studio agere ipsorum Collegas, qui negligendam censent Ecclesiam propriæ residentiæ, alteramque curant, a qua translata est Parochia, & Collegiata. Exprobantque Costam, & Pampinonium, quod ad privatum amenioris prospectus commodum, zelum ostentent pro Ecclesia S. Donati. Quod vero ex Bulla unionis applicandi sint controversi reditus Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli, ex iis deducunt unionis verbis = *cum universis illius* (Ecclesiæ S. Donati) *bonis*, *rebus*, *& proprietatibus* = quæ dotis etiam fabricæ translationem includunt. Atque ita postremo clausulam illam explicant *æque principaliter*, ut ad æqualitatem referatur Canonicorum, qui in unum coacti sunt Collegium, non ad materiales Ecclesias, quarum una per unionem effecta est Collegii sedes, quædam tantum in altera explentur functiones.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres.

An, & quæ cessio sit exequenda, & cui Ecclesiæ sint applicandi reditus in casu &c.

Exequendam esse secundam cessionem, & applicandos reditus Ecclesiæ SS. Petri & Pauli; & Archiepiscopus incumbat ampliationi, & amplius.

TYBURTINA DISMEMBRATIONIS. Dum anno 1786. facultatem concessit *Sanctissimus Dominus Noster* Michaeli Angelo de Comitibus Duci Poli vendendi primogenialem Bibliothecam, voluit *fermo al Duca oratore, ed a chi succederà nella Primogenitura l'obbligo delle due Messe quotidiane da farsi celebrare coll'elemosina manuale*, quæ ex voluntate Fundatoris primogenituræ celebrandæ erant per Sacerdotes, vel Clericos eidem addictos Bibliothecæ. Difficilem autumans hujusce celebrationis continuationem ad simplicem manualem, & ad servànndam perpetuam celebrationem, *Sanctissimo* Dux supplicavit pro facultate detrahendi e pinguioribus reditibus aliarum capellaniarum suæ Familiæ annua scuta 28., ut duplex illud Missarum manualium legatum in duas perpetuas erigeret capellanias cum reditu scutorum 50. pro qualibet, addita scilicet cuique ex scutis 28. summa scutorum 14. Primam vero proposuit detractionem scutorum 14. ex vacante capellania annui reditus scutorum 90. erecta in parochiali Ecclesia S. Petri oppidi Poli ad Altare S. Josephi ex dispositione Ducis Caroli de Comitibus; secundam ex aliis vacaturis. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, retulit Tyburtinus Episcopus, *quod detractis etiam scutis quatuordecim a capellania vacante, adhuc pro illa nedum reditus supersunt sufficientes pro adnexi oneris implemento, sed immo eleemosynam perpetuæ excedunt, quæ in hac Civitate, & Diœcesi in obolis sexdecim cum dimidio statuta reperitur, juxta decretum editum in Concilio Romano a san. me. Benedicto XIII., ad differentiam manualis, quæ in obolis decem consistit.* Ideoque annuendum censuit instantiæ Oratoris, *dummodo etiam vacatura capellania ejusdem fuerit reditus, cujus est vacans, vel deducta summa prædicta, eleemosyna supersit, quæ taxam perpetuæ adæquet.*

Si sermo sit de vacante capellania, de cujus tantum fundatione docetur, undique dismembrationi ejus reditus resistit voluntas Fundatoris. Licet namque ad nutum amovibilem elegerit primum Capellanum, voluit tamen, ut post mortem suam esset perpetuus, utque *post obitum talis Capellani electio, & nominatio illius amplius non sit ad nutum, sed ad vitam cujusvis Capellani*; eidemque Capellano imposuit onus *providendi dictam Cappellam de omnibus necessariis, & opportunis, ac de omnibus utensilibus, itaut ultra fru-*

fructus, *ut supra assignatos* (triginta LL. MM.) *Patroni quocumque tempore ad nihilum teneantur*. Imposuit rursus *residentiam localem*, & *celebrationem per se ipsum*. Optavitque postremo, *quod suscipiat facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, *illudque effective administret*, *ac etiam . . . doceat opportunis temporibus Doctrinam Christianam*. Conferri ergo voluisse censetur capellaniam in titulum, & sic deberi ejus fructus titulari. Idque immo expresse præscripsit hisce verbis, *quod fructus dd. Locorum MM.* [in quibus constituit fundum capellaniæ] *solvantur Capellano de bimestre in bimestre*. Expressæ quidem huic voluntati ex justa derogari posset causa, juxta *Sacrum Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. de reform.*, sed ponderare dignentur Emi Patres, num talis sit causa augendi eleemosynam Missarum, quæ celebratæ hactenus sunt, facileque ob frequentiam Sacerdotum Urbis, in posterum etiam celebrari poterunt ad manualem, cui grave admodum non esset, si aliquid ex insigni capitali scutorum decem mille, pro cura Bibliothecæ, & celebratione duplicis Missæ quotidianæ per Fundatorem assignato, adderetur: Ponderare iterum dignentur Emi Patres, num detractis scutis quatuordecim a vacante capellania, reliquum satis futurum sit ad omnia implenda onera, pro quibus *Patroni quocumque tempore ad nihilum teneantur*.

Securior contra esset erectio legati in perpetuas capellanias, pro quibus tenuis videri posset eleemosyna manualis, quam tantum ex Pontificio Chirographo præstare tenetur Dux pro qualibet Missa. Levis vero esset dismembratio scutorum 14. a pingui capellania vacante, & ab aliis vacaturis, quum superesset Capellanis eleemosyna supra taxam perpetuæ, ut observat Episcopus. Fieret insuper tenuis dismembratio fructuum pinguiorum capellaniarum ad alias erigendas perpetuas capellanias, quæ Divinum augerent cultum, ex quo similes permittuntur dismembrationes *in cap. exposuisti de præben.*; *Piton. discept. ecclesiast.* 151. *num.* 3.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus dismembrationi in casu &c.

Negative.

FER.

FERRARIEN. Quatuor inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis Ferrariæ, & Fratres de Manzaliis disputata fuerunt Dubia in Congregatione 15. Septembris 1787., I. *An, & quomodo sustineatur instrumentum emphyteusis, sive usus*; II. *An, & quomodo sint adimplenda pia opera ordinata a Romano Boari*; III. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum*; IV. *An, & cujus sumptu sint faciendæ expensæ præsentis litis favore operis pii*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt *Negative*; ad secundum, *Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi*; ad tertium, *affirmative juxta liquidationem faciendam ab Emo Archiepiscopo*; ad IV. *affirmative sumptibus operis pii*. *Sess. 25. cap. 5. & 11. de Reform.*

Reproposita autem Causa in Congregatione 16. Februarii sequentis anni 1788., rescribendum censuerunt ad I. *in decisis, & ad Secretarium cum SSmo juxta mentem*; ad II. *in decisis juxta modum, nempe in omnibus & per omnia ad formam testamenti Romani Boari; sed in iisdem operibus piis esse eroganda scuta 40., quæ sibi retinent usuarii titulo administrationis, ac similiter nec posse sibi retinere scuta 40. pro hospitio PP. Cappuccinorum, sed eas solummodo impensas esse admittendas, quæ vere in eorum alimoniam, & hospitium persolvuntur; & Archiepiscopum debere esse perpetuum administratorem operis pii*. Ad III. *prævio recessu a decisis, consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum, & amplius*. Ad IV. *in decisis, & amplius*.

Apud Eminentissimum Ferrariensem Archiepiscopum tanquam pii operis administratorem questi nuper fuerunt Parochi, Populique Madrariæ, & S. Nicolai de difficili exactione summæ in pia opera erogandę, litibusque hac de re actis cum Manzaliis; ac separationem petierunt fundi a bonis per eos in usum retentis. Pia siquidem opera, distincte relata in Folio 15. Septembris 1787.; annua exigunt scuta 184. Mandavit vero Emus Archiepiscopus, Oratores uti jure suo in hac Sacra Congregatione; precibusque apud EE. Vestras renovatis, retulit Emus ipse, constare ex actis ejus Curiæ de Manzaliorum calliditate *in defatigandis Oratoribus, qui enixe omnes suas vires experti sunt, ut opus*

pium a qu. Romano Boari institutum, suum nancisceretur effectum, quod frustra factum est, ut colligitur ex iisdem actis, eo quia omnem moveant lapidem Adversarii, ut vel saltem ejus protrahatur exequutio.

Optimum idcirco censuit, *ad removenda quæcumque subterfugia, & ad subortas tollendas cavillationes, quæ de die in diem emergunt, separari modo ab hereditate Testatoris latifundium, quod Peritorum arte ex officio eligendorum reddat in singulos annos scuta 184., quot necessaria sunt ad explenda opera injuncta sub cura Archiepiscopi Ferrariensis pro tempore. Hoc modo & nullum Manzaliis infertur præjudicium in reliquis bonis, quæ obtinent ex munificentissima liberalitate summi Pontificis, & ejusdem operis pii securitati providebitur.* Manzalios in id interpellasse ait, eorumque unum & alterum, Aloysium nempe, & Josephum consensum prestitisse assignationi fundi, reliquos vero coheredes cum Aurelio restitisse.

Ex ore tandem ipsius Aurelii monuit, quod *præcipua bona hujusce hereditatis sita in Pago Madrariæ, locata sunt pro annis 27. Basilio Rata, & Jacobo a Passu sociis sub annua pensione scutorum 300., & adhuc remanent viginti anni pro complemento hujusmodi contractus*, ideoque operæ pretium esse dixit, *ut EE. Vestræ, suprema qua pollent auctoritate, iisdem conductoribus præciperent, ut in posterum me, meosque Successores recognoscant tanquam dominos, & patronos Latifundii, sejungendi pro debita quantitate a reliquis bonis Romani Boari, quibus perfruuntur individui de domo Manzali, & interim de antedicta pensione solvant quotannis scuta 184. favore operis pii, donec consumentur anni locationis, quibus transactis remittant fundum separatum reditus prædicti.* Atque in hęc conclusit verba: *His stantibus, Oratores optime meritos dignos existimarem assequendi gratiam, quam humiliter expostulant.*

Post concordatum infrascriptum Dubium, deducere negligunt Oratores jura pii operis, licet pluries interpellati. Eorum tamen Causam dicit Emus Archiepiscopus. Posita enim difficultate consequendi a Manzaliis summam in pia opera erogandam, æqua videri potest assignatio fundi, ne Fundatoris mens, & rescripta Sacræ Congregationis eludantur. Maxime quia duo ex interes-

resse habentibus consentiunt. Hæc contra Aurelius Manzalius, ejusque Consortes litis EE. Patrum judicio subiiciunt. Ex summa profecto scutorum 184., in qua constituit Archiepiscopus ipsorum debitum, detrahenda putant scuta 47. 40. 6., nempe scuta 17. 37. pro fructibus crediti Montecatini per decessores Manzaliorum acquisiti contra hereditatem Boari; & scuta 30. 03. 6. pro peculiari illorum credito in capitali scutorum 1264. 36. 4. Ponderandum tamen, num reipsa fieri debeant hujusmodi detractiones. Antiqua siquidem illa credita deducta fuerunt in propositionibus annorum 1787. & 1788., & tamen demandavit Sacra Congregatio adimplementum piorum operum *ad formam Testamenti Romani Boari*; quum universa Manzalii possiderent Testatoris bona, ex quibus de suis creditis satisfieri possent. Qua de re in infrascriptum convenerunt Dubium super assignatione fundi annui reditus scutorum 184.

Permitti de cetero non debere autumant separationem fundi; tum quia contra pecuniarium debitorem alia sunt juris remedia; tum quia vergeret separatio in præjudicium pii operis, cui obligata amplius non essent universa Fundatoris bona, tum denique quia morosos se non fuisse affirmant in solvendo debito. Hoc ipsi pro annis quatuor, a die scilicet 16. Februarii 1788., quo novissime prodierunt Sacræ Cogregationis resolutiones, ad diem 16. Februarii 1792., in scutis constituunt 546. 36. 6., ad rationem nempe scutorum 136. 59. 6. in singulos annos, detractis scutis 47. 40. 6. pro assertis creditis. Probant altera ex parte, solvisse scuta 549. 59., & sic scuta 3. 22. 6. ultra debitum. Recta nec ne sit hujusmodi calculatio, EE. Vestræ decernent. Quatenus porro habenda non esset ratio de creditis, tunc quatrienne debitum ad rationem scutorum 184. in singulos annos, in scutis consisteret 736., ideoque deducta summa soluta scutorum 549. 59.; debitores adhuc essent Manzalii scutorum 186. 41. ultra debitum quinti anni jam elapsi. Se tandem excusant ab unica, ut asserunt, lite cum pio opere super solutione taxæ *Commissionis aquarum* Bononiæ, eo quod refundi debere arbitrabantur in pium opus bonorum proprietarium. Quamquam honeste fatentur, Causa cecidisse.

Quæritur itaque .

An , & quomodo sit locus assignationi fundi annui reditus scutorum 184 *favore pii operis Boari , & respective sequestro super responsionibus affictus eorundem bonorum in casu .*

Negative ad primam partem ; in reliquis dilata, & ad Secretarium juxta mentem .

Sess. 22*cap.*6. *&ses.*25*.cap.* 4. *de Reform.*

JANUEN. CAPELLANIARUM . Duplicem quotidiani Sacri capellaniam institui mandavit anno 1659. Argenta Martignone , una in Ecclesia SS. Annuntiatę intra sex menses ab ejus obitu , alteram ad libitum in loco Vultabii infra annum; assignavitque in earum fundum januenses libellas 13000. , seu scuta romana 2500. , in tot locis Montis S. Georgei investienda . Jus nominandi Capellanos heredibus contulit . Partîta fuit ejus hereditas inter tres mediatos heredes , ex quibus nemo demandatum confecit investimentum . Unus ex heredibus fuit Nicolaus Cambiasi, qui super universis suis bonis perpetuum ordinavit Fideicommissum ; isque trientem jure hereditario possedit hereditatis , ac tot celebrari fecit Missas , quot capiebant fructus scutor. 833. 50. ; quæ investire debuisset , ac si investita essent in Locis Montis . Ab anno vero 1781. , quo decessit , omissa fuit celebratio pro summa libellarum 390. , seu scutorum circiter 60.

Præter hereditarium trientem possidebat etiam emptionis titulo alterius trientis prædium valoris libellarum 3600. , sive scutorum circiter 554. , & pro hoc capitali nulla a possessionis anno 1752. celebrata est Missa ; fructusque capitalis , qui in celebrationem erogari debuissent , summam ad taxam legalem constituunt libellarum 6048. , seu scutorum circiter 930. Pro utroque igitur capitali supplenda esset celebratio ad libellas 6438., seu scuta fere mille . Quum unum autem , & alterum capitale in locis Montis investiendum , neque sufficiens sit , secundum heredes fideicommissarios, pro una insti-

stituenda capellania, supplicant ipsi pro facultate applicandi eidem capellaniæ scuta mille, ob missas non celebratas superèxtantia, ac pro reductione Missarum ad eleemosynam obolorum 15. pro qualibet.

Utrique favet petitioni Januensis Archiepiscopus. Utilem enim censet pio operi applicationem scutorum 1000., quum ex hac summa, aliaque hereditarii trientis, & prædii empti haberetur capitale libellarum 15455., seu scutorum 2377. 50. circiter. Sufficientes vero non esse hujusce capitalis fructus pro capellania in Ecclesia SS. Annuntiatæ, quam primo loco institui voluit Testatrix; nam investimentum integræ summæ in locis Montis S. Georgei, annuum daret fructum libellarum 309., seu scutorum 47., quæ propositam non explent Missæ quotidianæ taxam obolorum 15. Testatur præterea, quod *interesse habentes*, *quos audiam*, *nulli extant*, *præter Oratores*, *ac heredes quondam Nicolai*, *ac Rectores Ecclesiæ*, *quos præsertim audivi*. *Hi omnes propositæ capitalis ope fructuum ampliationi*, *& assignationi*, *nec non oneris Missarum reductioni plene consentiunt*; ac rationem tandem affert, cur instantiis faveat Oratorum, quod nempe *nulla suppetant alia media*, *neque ulla adsit adversus alios heredes utiliter experibilis actio*.

Præ omnibus quærendum, num ex triente hereditario Fundatricis, cujus vires ignorantur, supplere teneantur Oratores integrum utriusque capellaniæ fundum. Pro affirmativa urgere videtur, quod pro conficiendo investimento libellarum 13000. demandaverit Fundatrix, ut venderentur *tot bona hereditatis ipsius Fundatricis*. Generali siquidem affecta erant hypotheca bona omnia hereditaria quousque non fieret illorum separatio, quæ ad conficiendum investimentum vendi debebant; ideoque ob non factam hujusmodi separationem, consolidata dici posset hypotheca in triente Oratorum, & cum eo ad illos transiisse, *Cenc. de cens. quæst.* 98. *num.* 14., *Rot. coram Molin. decis.* 487. *sub num.* 26. Pro negativa vero est juris regula, quod singuli heredes ad solutionem tenentur legati pro virili, per *Text. in leg. si fundum sub conditione* 81. §. *si libertus* 4. *ff. de legat.* 1., *Voet. in Pandect. lib.* 32. *tit. unic. de legat. & fideicomm. sub* §. 13. Quatenus igitur EE. Vestræ obligatos censerent Oratores ad integrum supplendum capitale libellarum 13000., seu scutorum 2500., cum hoc capitali, & scutis 1000. decursorum fructuum haberi posset ad

ta-

taxam legalem per diversum investimentum annua summa scutorum 140., quæ satis superque esset pro quotidiana utriusque capellaniæ Missa.

Agitur secundo de applicatione fructuum provientium ex triente hereditario, & prædio empto, favore capellaniæ instituendæ in Ecclesia SS. Annuntiatæ. Charitas porro exigeret, ut statim suppleretur suffragium, quo per tot annos fraudata fuit Anima Fundatricis; *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.*291. *num.*1. Eoque magis si EE. Vestræ dijudicabunt, teneri oratores ad supplendum integrum fundum. Utilem contra pio operi censet Archiepiscopus applicationem, eo quod una saltem pinguior instueretur capellania, ac majus Fundatrici, perpetuumque afferretur suffragium. Licet sane absolverentur Oratores ab integro supplendo capitali libellarum 13000., adhuc tamen cum scutis 833.50. trientis hereditarii, scutis 554. prædii empti, & scutis mille fructuum constitueretur in Monte S. Georgei capitale annui reditus scutorum 47., & si aliud, derogando voluntati Fundatricis, fieret investimentum, integra dd. capitalium summa, scutor. nempe 2377.50., annua ad taxam legalem reddere posset scuta 95., utrique etiam capellaniæ cum eleemosyna supra manualem paria.

Deliberandum tertio de reductione. Diù siquidem, pro tertia saltem parte, expleta fuit Missarum celebratio, facileque idcirco post adimplementum concedenda non esset reductio, ut in *Matilicen.* 16. *Aprilis* 1792. Nondum altera ex parte institutæ sunt capellaniæ, & sic æqua censeri valet reductio ad taxam etiam perpetuæ, veluti *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., *& in Signina* 29. *Novembris* 1788. *ad III. Dubium*.

Proponitur itaque.

I. *An, & quomodo instituí debeant capellaniæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus applicationi reddituum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

SAN

SANTANDRIEN. SERVITII CHORI. Capitulum insignis collegiatæ, & parochialis Ecclesiæ S. Julianæ oppidi *Santillana* ex tribus constat Dignitatibus, Canonicis novem, Mansionariis octo. Ex Constitutione S. Pii V. *Quod a nobis*, & ex propriis capitularibus Constitutionibus anni 1552. recitare tenentur Capitulares cum Divino Marianum Officium in Choro diebus simplicibus, & ferialibus; atque ex recenti Sacræ Visitationis decreto secundæ assistere Missæ cum cantu *de rubrica*, quam ex immemorabili consuetudine, vel potius abusu legebat tantum Capellanus nuncupatus *de Herràn* absque eorum assistentia in feriis quadragesimæ, aliisque vigiliis. Utrumque hoc onus, veluti admodum grave ob alias capitulares, & parochiales functiones, excutere modo contendunt Pontificia dispensatione; precibusque ad Sacram hanc Congregationem a *Sanctissimo* remissis, instantiæ favet Santandriensis Episcopus in hæc verba: *Attentis causis in ipsis* [precibus] *expositis, existimo Oratores dignos esse, ut cum ipsis dispensetur; quod attentis momentis inibi expositis, eisque prorsus certis, perutile & fere necessarium reputo, ut Officium Divinum cum debita solemnitate & devotione celebretur; quod alioquin de fragilitate humana timendum, ne tanto onere gravati, nimis properanter celebrare veluti cogantur.* *Sess.24. cap.12. de Reform.*

Haud facile contra Pontificias, & capitulares Constitutiones, & contra antiquissimam observantiam concedenda videretur petita dispensatio in majus Capitularium commodum; nam dispensandum est in publicam, non privatam causam, ex *can. miramur*, 61. *dist.*, *& cap. licet de Regular.*, *Fagnan. in lib.3. Decretal. cap. ex parte num.62. de Cleric. non residen.*, alias dispensatio esset potius dissipatio, *Jo: Andr. in cap. nisi cum pridem §. personæ verb. discretionis, de renunciat.* Maxime quia Episcopo teste, universalis etiam est consuetudo aliarum Ecclesiarum Hispaniæ pro recitatione Mariani Officii, & in diminutionem Divini cultus allegari posset exemplum Oratorum; nec multi incommodi est assistentia secundæ Missæ in feriis quadragesimæ, aliisque vigiliis, ceteroquin præceptive *ex rubrica*, & Constitutionibus Capituli præscriptæ, & pro Fundatore applicandæ.

Queruntur tamen Capitulares, quod *quum propter Parochiam Oppidi, quæ eidem Collegiatæ adnexa est, non in-*

infrequenter celebrandæ veniant Missæ cum consuetis officiis pro Parochianis vita functis, præter quotidianas horas canonicas, Missam conventualem, & reliqua. Divina officia, quæ cum debita solemnitate celebrantur, frequenter evenit, ut matutinum tempus prope usque meridiem in omnibus prædictis persolvendis, Missisque privatis celebrandis insumatur; ex quo fit, ut frequenter tempore potissimum hiemis, quam pauci sint, qui omnia hujusmodi onera sustinere possint, quum propter nimiam tenuitatem proventuum nullus alius adsit in eadem Collegiata Chori servitio addictus, præter ejus Capitulares. qui etsi numero viginti, sive propter senectutem, sive infirmitatem, legitimam absentiam, seu occupationem, reliquis ad omnia prædicta sustinenda pene vigor deficiat. Hæc profecto commiserationem excitarunt Episcopi, ac Vestram mereri possent clementiam. Sæpe enim Sacra Congregatio, humanæ fragilitatis miserta, vacationes etiam concessit a Choro, & præsertim in *Arianen.* 24. *Novembris* 1699. *lib. Decret.* 49. *pag.* 447. *a terg.*, *& in Isernien.* 26. *Junii* 1723.

Deliberandum itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. *Aprilis* 1793. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

JANUEN. CAPELLANIARUM. *Sess22. cap. 6; & sess.25. cap. 3. de Reform.*

I. An, & quomodo inſtitui debeant Capellaniæ in caſu &c.

II. An, & quomodo ſit locus applicationi redituum in caſu &c.

III. An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

Ad I. Affirmative ad formam Teſtamenti pro ſumma Libellarum 13000.

Ad II. Affirmative juxta modum, nempe in celebrationem Miſſarum huc usque non celebratarum.

Ad III. Affirmative ad taxam perpetuæ.

SANTADRIEN. SERVITII CHORI. *Sess.24.cap.12 de Reform.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Negative.

Sess. 21. cap. 11 de Reform.

ARIMINEN. VENDITIONIS. Duo in hac Causa sub die 15. Septembris elapsi anni proposita fuerunt Dubia; I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum* pro venditione scilicet bonorum Genghini favore Sacerdotis Josephi Leoni; & quatenus negative, II. *An*, & *quomodo sit facienda venditio*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt, *negative*, & *amplius*; ad secundum, *venditionem esse faciendam juxta mentem Testatoris, prævia affixione edictorum, ad quem effectum scribatur Episcopo juxta mentem*. In executionem hujusce secundi rescripti affigi curavit ariminensis Episcopus Edicta, ac unum dumtaxat, & alterum comparuisse refert oblatorem, Petrum nempe Dominicum Leoni, *qui frater esse dicitur Sacerdotis Josephi Leoni dd. bonorum alias emptoris*, & Sacerdotem Petrum Julium Balducci, *qui Villæ Crucis, ubi extant hereditatis bona, & puellarum ad legatum vocatarum hodiernus Parochus existit*.

Primus oblator pro universis hereditatis bonis, quæ in sex prædiolis reipsa consistunt, scuta exhibuit 887. 17., *obolos nempe* 78. *peritiæ pretio addendo, sese obligans ad exequendum depositum a Testatore præscriptum, quin ullam præbeat fidejussionem. Oblator alter Balducci, quum de bono puellarum suæ Parœciæ agatur, ultra pretium in summa scutorum* 886. 39., *alia exhibet scuta* 75., *ideoque in unum scuta* 961. 39. *ratatim de anno in annum, usque ad complementum solvenda ad rationem scutorum* 75. *pro quolibet anno, vel immediate ante puellarum sortitionem in æde sacra ea deponendo, vel puellis ipsi immediate post sortitionem tradendo. Ad cavendum autem pio legato, nedum bona ejusdem legati, se, & bona sua, quibus pollet, obligare paratus est, verum etiam idoneam fidejussionem præbere*. Tertius fuisset oblator, Cap. scilicet Carolus Cardellini, qui æmulus fuerat Sacerdotis Leoni; sed ob non datam in tempore oblationem coram Episcopo, eam modo exhiber EE. Vestris, rogatque, ut admittatur, Scuta offert 970.; dummodo fiat solutio in tot annuis ratis scutorum 75, Renunciat diminutioni pretii, quam exigere asserit emphyteutica quorumdam prædiorum qualitas. Ac præter quorum bonorum obligationem, idoneum pollicetur fidejussorem.

Resumpto igitur Folio 15. Septembris elapsi anni, de-

li-

liberare dignentur Eminentissimi Patres.

An, & cujus favore sit stipulandum instrumentum venditionis in casu &c.

Affirmative favore Leoni salvo jure Vigesimæ, & Sextæ.

Sess. 25. cap. 19. de Regular.

BRACHAREN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM SUPER CIRCUMSCRIPTIONE. Per duplex rescriptum 20. Septembris, & 20. Decembris 1788. concesserunt EE. Vestræ Rosæ Lucianæ Rebelli professæ in Monasterio B.M. Virginis *dos remedios* restitutionem in integrum adversus lapsum professionis quinquennium. Commisit hinc *Sanctissimus* per Breve Officiali Bracharensis Archiepiscopatus, *ut eamdem Rosam Lucianam adversus lapsum quinquennii prædicti in integrum, ac pristinum, & eum, in quo antea quovis modo erat, statum auctoritate nostra Apostolica restituas, & plenarie reintegres; & subinde super prætensa nullitate professionis hujusmodi juxta disposita per dictum Concilium Tridentinum cap. 19. sess. 25. de Regular. eadem auctoritate, prout juris fuerit, procedas; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.*

Pontificium hoc Breve Bracharam pervenit Archiepiscopali sede vacante, remque in ejus exequutionem definiendam suscepit Vicarius capitularis, qui fuerat Officialis Archiepiscopi. De ejus facultatibus dubitans, a *Sanctissimo* impetravit Rosa Luciana die 18. Martii 1789. per organum Secretarii Sacræ Congregationis prorogationem jurisdictionis ejusdem Vicarii ad effectum *exequendi Literas Apostolicas in forma Brevis Officiali commissas*; sed priusquam præ distantia loci exhiberi posset Pontificium hoc rescriptum in capitulari Curia, promulgavit Vicarius die 4. sequentis Aprilis sententiam nullitatis professionis, neglecta altera restitutionis in integrum, fecitque Rosæ Lucianæ potestatem egrediendi è Monasterio, ut statim post intimatam illius Præpositæ sententiam egressa fuit, & veniam simul nubendi in sæculo. Appellationem ab eodem Judice postularunt Moniales

die 20. ejusdem mensis Aprilis ; sed rejecta in contradictorio judicio fuit instantia die 3. Julii , iterumque die 29. Martii seq. anni 1790. , ac demandata exequutione sententiæ , nupsit Rosa Luciana Josepho Alvares Teixeira de Abreu . Compulsorias tamen a Judice Superiore impetrarunt Moniales ; iisque revocatis , *Sanctissimo* tandem supplicarunt , ut committere ex integro dignaretur hodierno Bracharensi Archiepiscopo exequutionem Brevis *prout ejus prudentiæ , & conscientiæ visum fuerit , cum omnibus necessariis , & opportunis facultatibus* .

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis , transmisit Archiepiscopus acta , retulitque , quod vix accepto Pontificio Brevi , *statim* (Vicarius Capitularis) *tanquam Delegatus , nullitatis* (professionis) *sententiam protulit , & egressui præcipitem stravit viam & adeo præcipitem , ut audito tantum Defensore , qui nihil opposuit , nec ipsa Abbatissa , nec ceteræ Religiosæ hujusce rem legitime fuerunt gnaræ , nisi quando Tabularius eis sententiam nuntiavit , egressum instanter urgendo , posthabito decendio ad appellandum , vel excipiendum , non obstante Abbatissæ placito , quod forsan incaute præstitit , quia omnes , quorum interest , etiam peculiariter citandi sunt , & audiendi , dum agitur de cassanda professione . Monasterii autem , & ceterarum Religiosarum plurimum refert dotem non reponere . Quare & Rosæ fratres similiter erant audiendi quoniam secundum Regni leges , Virgines Religione professæ ab omni excluduntur hereditate , & tempore , quo professio nulla est judicata , jam parentes diem clauserant extremum .*

Utique , inquit , *scio , quod quando ordinarie agitur in hoc Regno , etiam in Curiis ecclesiasticis articuli hinc inde afferuntur , & inquisitis testibus , demum ad sententiam devenitur . Horum sane nihil observatum fuit in pecædicto processu ; præter id quod spreta ordinaria jurisdictione , quæstio coram Delegato fuit agitata . An autem in re satis ardua necessario agendum sit ordinarie coram Præsule diœcesano , S.V. judicio relinquo ; eo tantum addito , me certo scire , quod Rosa Communitatis actibus pluribus annis libenter manciparetur , nec prædictæ nullitatis unquam meminerit , nisi postquam blanditiis , & amatoriis illecebris cepit illaqueari . Dolendum igitur , si prædictus Officialis errore ductus viam aperuit tot peccatis , seu ærumnis , ac damnis , quæ inde oriuntur .*

Nul-

Nullam præ omnibus dicunt Moniales sententiam Vicarii Capitularis ob defectum jurisdictionis. Commisit enim *Sanctissimus* executionem Brevis Officiali Archiepiscopatus, illudque propterea exequi non poterat Delegati nomine qui ex Officiali Vicarius evaserat capitularis, *Corrad. prax. disp. lib.7. cap.4. n.22.*, *Ros. de execut. Liter. Apost. part. 1. cap. 3. num. 42.* Idque comprobavit Rebellia, dum prorogari curavit ejus jurisdictionem per rescriptum 18. Martii 1789.; licet sero, ut notatum est in facto. Ex hoc sane consequitur etiam, quod ob non præsentatas delegationis literas, excitari non potuerit in Vicario capitulari jurisdictio ad exequendum Breve, ad *Text. in leg. unic. Cod. de mandat. princip.*, *Ros. de execut. Liter. Apost. part. 2. cap. 6. per tot.*

Secundum constituunt nullitatis caput in defectu citationis. Commissum sane fuerat Officiali, ut procederet *prout juris fuerit*, seu tanquam executor mixtus, judicaret *pro validitate*, *vel nullitate professionis*, juxta declarationem Benedicti XIV. in notissima Constitutione *Si datam* anni 1747. §. *Hujus autem*. Procedendum ergo videbatur *servatis servandis*, seu citatis Monialibus, & Fratribus Rebelli, quorum intererat, sive pro monastica dote, sive pro consuccessione, ne irritaretur professio; ideoque ob hanc neglectam citationem nulla dici posset sententia, *Felin. in cap. de cetero num.9. de re judic.*, *Rot. coram Ansaldo decis.99. num.6. & 11.*

Tertiam postremo desumunt nullitatem ex non servata forma Brevis. Mandavit enim Summus Pontifex Officiali, ut restitueret prius Rebelliam in integrum adversus lapsum quinquennii, & procederet *subinde super prætensa nullitate professionis hujusmodi juxta disposita per Concilium Tridentinum*, *prout juris fuerit*. At Vicarius capitularis, omissa sententia restitutionis in integrum, unam declaravit professionis nullitatem; & sic præteriisse videtur formam delegationis, ac nullam super professione promulgasse sententiam, *Tondut. resol. for. cap.4. §.2. num.10. tom.1. part.2.*, *Ros. de execut. Liter. Apost. part.1. cap.13. num.8.* Hac ergo posita nullitate, ex integro agendum contendunt Moniales coram hodierno Archiepiscopo de restitutione in integrum, ac prætensa nullitate professionis; neque juxta secundum Dubium opus esse Pontificia sanatione, dum legitimus est Brevis executor.

Sen-

Sententiam contra ab impictis nullitatibus purgare nititur Rebellia. Directum ait Pontificium Breve Officiali non ratione personæ, sed Tribunalis, & officii; valideque idcirco super nullitate professionis pronunciasse Vicarium Capitularem, qui officium ipsum mutato nomine exercebat, per *Text. in cap. quoniam de offic. Delegat.*, *Gamb. de offic. Legat. lib.*8. *quæst.*97., *Corrad. prax. dispens. lib.*7. *cap.*4. *sub num.*36., *Ros. de execut. Lit. Apost. part.*1, *cap.*3. *num.*29.. Impetrasse vero asserit rescriptum 18. Martii 1789. sub erroneo supposito, quod Officialis Archiepiscopatus fuisset Vicarius Generalis Arciepiscopi; dum distinctum obierat munus *Provisoris*, cujus meminit *Rota in recen. decis.*572. *sub num.*6. *part.*2. Dubitandum tamen de hujusmodi distinctione; nam in citata Decisione fit mentio de Provisore, non Bracharensi in Lusitania, sed Almeriensi in Hispania; neque legitur, quod idem sit Provisor, ac Officialis Archiepiscopatus, isque a Vicario Generali distinctus.

Defectum citationis excusat ex praxi. Licet namque in sequelam restitutionis in integrum concessæ a Sacra Congregatione, relinquatur Ordinariis facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate professionis; quum tamen de restitutione in integrum ex accurato decernatur examine nullitatis, usu idcirco receptum est, quod *viso dumtaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate sententiam, ut plurimum sine dubitatione procedunt*, ut observat *Benedictus XIV. in cit.* §. *Hujus autem*. Ex hoc autem sequitur, quod post concessam a Sacra Congregatione restitutionem in integrum, *ulterior processus remanet quodammodo cæremonialis*, juxta *Piton. discept. eccles.*510. *num.*26., *Card. de Luc. de Regular. disc.*41. *num.*13., & *Rot. cor. Molin. dec.*798. *num.*3., ideoque deficit necessitas citandi interesse habentes, qui declarationem jam cognitæ nullitatis professionis impedire nequeunt, *Rot. in recent. decis.*733. *num.*9. *part.*2., *& cor. Seraphin. decis.*104. *num.*1.

Et hac sane de causa omissam dicit Rebellia in Pontificio Brevi assuetam clausulam *vocatis vocandis*; & in tribuenda Officiali facultate procedendi *prout juris fuerit*, statim additum, *salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium*; ne ad examen scilicet revocarentur jam a Sacra Congrega-

tione

tione expensæ nullitatis professionis causæ. Ubi autem non requiritur rei cognitio, neque necessaria est citatio Partis, cujus proinde omissio nullitatem non producit Sententiæ, *Gama decis. lusitan.* 60. *num.* 2. Citatus de cetero fuit professionis Defensor, qui primum locum tenebat in Causa, atque intimata sententia Præpositæ Monasterii, quæ eam primum accepit, deindeque biduo post illius executionem reclamavit.

Omitti denique potuisse contendit sententiam restitutionis in integrum pro qua binæ prodierant Sacræ Congregationis resolutiones, dum unam Benedictus XIV. post hujusmodi resolutiones requirit sententiam *super controversa professionis validitate*, ut *in cit.* §. *Hujus autem, & seq.*, unicamque sententiam confirmavit Sacra Congregatio *in Lisbonen. Nullitatis Professionis* 18. *Martii* 1747. Sententia igitur restitutionis in integrum non respiciebat jam concessæ restitutionis substantiam, sed materialem, illius pronunciationem, quæ alteram non vitiat sententiam super nullitate professionis, per *Text. in cap. cum adeo, de rescript.*, *Ros. de execut. Lit. Apost. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 8.

At posita etiam nullitate sententiæ, locum tamen esse ait Rebellia illius sanationi. Res enim amplius integra non est, jamque ipsa ex matrimonio, quod sub ejusdem sententiæ fide contraxit, filios genuit. Gravissimi profecto scandali esset, si iterum in quæstionem adduceretur nullitas professionis post irretractabilem hanc executionem sententiæ; ideoque recedi posset per sanationem a positivo nullitatis jure, secundum *Fagnan. in lib.* 4. *Decretal. de consanguin. & affin. cap. quia circa num.* 6. *& seq.* Maxime quia plene ex legitimo processu discussæ fuerunt causæ nullitatis professionis coram Sacra Congregatione, ut *in Folio* 20. *Septembris* 1788.

Quæritur itaque,

I. *An constet de nullitate actorum cum omnibus inde sequutis, ita ut sit locus circumscriptioni in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione in casu &c.*

Ad I. Provisum in secundo,
Ad II. Affirmative.

BRI-

Ses.24. cap.12. de Reform.

BRICTINORIEN. Dum oppidum Civitellæ ad unitas pertinebat Abbatias S. Ilarii de Galeata, & S. Mariæ in Cosmedin de Insula, Dionysius Fucci Archipresbyter S. Mariæ in Burgo ejusdem oppidi supplicavit anno 1735. Cardinali Accorambono Abbati commendatario pro erectione parochialis ejus Ecclesiæ in Consortium aliorum Presbyterorum octo, qui Canonicorum instar *officiassero continuamente la detta sua Chiesa*; suoque, & successorum nomine despondit *di servire con gli altri Sacerdoti sudetti in tal ministero*. Ejus votis annuit Abbas, & suppressis Societatibus SS. Sacramenti, SS. Rosarii, S. Michaelis Archangeli, & S. Angeli Custodis, erexit cum earum reditibus Consortium, illudque præ ceteris ad rem cavit in Bulla, *ut excepta ingerentia in rebus temporalibus, & ad œconomiam pertinentibus*, [distinctas enim Canonicis assignavit præbendas] *Rector pro tempore præfatæ archipresbyteralis Ecclesiæ S. Mariæ ad omnia interesse debeat tanquam unus, & primus dicti Capituli, quemadmodum Nos talem declaramus, & deputamus cum honoribus, & oneribus, de quibus in Statutis*. Sequenti anno 1736. quædam inter Archipresbyterum, & Canonicos initæ fuerunt conventiones, in quibus nuncupatus legitur Archipresbyter = *Capo, e primario Canonico dello stesso Capitolo*.

Nullum de Statutis in Bulla erectionis commemoratis est vestigium. Sunt tamen Constitutiones editæ anno 1746. per successorem Abbatem de Rubeis, in quibus hæc potissimum notanda. Declaratur Archipresbyter prima Capituli Dignitas, *ita ut omnibus de gremio ejusdem tam in Choro, quam extra præcedat, primumque locum semper obtineat*. Omnia ei in Ecclesia permittuntur, *quæ agebat, & modo perageret, si in ipsa Collegiata prædicta non fuisset erecta*. Ac postremo statuitur, ut *hora debita Missa conventualis in singulo die persolvatur, & exceptis diebus solemnibus, in quibus, ut supra diximus, jus esse volumus Archipresbyteri eam canendi intervenientibus pro Diacono, & Subdiacono duobus ex Canonicis, in aliis Festivitatibus & Dominicis per Canonicum hebdomadarium canatur*. Consortio sic constituto, Capitularibus concessit Benedictus XIV. die 9. Octobris 1748. usum violacei pallioli supra tunicam lineam; instituitque Abbas de Rubeis die 30. quatuor Mansionarios juxta eorumdem Capitula-

larium preces, nempe *per il loro intervento al Coro ne giorni festivi, e servizio in qualità di Diacono, e Suddiacono alle Messè solenni, siccome di Assistenti in simili ricorrenze alli Vesperi.*

De pluribus ex jure egerunt Canonici anno 1762., ac præsertim ut Archipresbyterum cogerent ad servitium Chori, & ad contributionem sumptuum expeditionis, & executionis Bullæ super usu pallioli; Causamque obtinuerunt sumptuum, altera choralis servitii per sententias tunc A. C. Giraud ceciderunt. Res vero composita fuit anno 1766. per transactionem, in qua ratam habuit Archipresbyter contributionem expensarum, & recesserunt Canonici ab ejus coactione ad servitium Chori, hac emissa declaratione, *che circa l'intervento del Signor Arciprete al Coro, per quello che spetta alli Canonici, si lascia alla di lui divozione, e discernimento.* Collegiatam anno 1770. insignem declaravit Clemens XIV., ac plures deinde per annos omnia in Capitulo fuerunt tranquilla. At iterum turbari cepit concordia anni 1787. Duo enim ab hac Sacra Congregatione postularunt Canonici, ut servare scilicet cogeretur hodiernus Archipresbyter Michael Nanni consuetudinem celebrandi parochialem Missam ante Matutinum; alteraque ipsi ex parte immunes fierent ab onere assistendi tanquam Diaconi, & Subdiaconi eidem Archipresbytero in Missis solemnibus.

Quo ad primam instantiam, villicis præsertim utilem dixit decessor Episcopus Brictinoriensis, cui addicta fuit Civitella, celebrationem antimatutinæ Missæ; ideoque decessores Archipresbyteros, & adjacentium Collegiatarum Parochos eam explere consuevisse *post campanulæ sonum hora circiter decima æstate, hieme decimaquinta circiter.* Quo vero ad secundam retulit, jam se ante acceptam epistolam pro informatione decrevisse, *simplices Presbyteros illius Terræ, donec ab isto Sacro Consessu declaratum foret, an ad Canonicos supradictos hoc onus, nec ne spectaret* [assistendi Archipresbytero pro Diacono, & Subdiacono] *alternas eorumdem vices gerere.* Exposuit rursus quod etsi constet modo Collegiata Canonicis novem, eorum tamen nonnulli, ætate & incommodis confecti, *nedum ad Chorum regendum apti minime sunt, sed mi-*

rum propemedum , quod Chorum frequentent ; alter festis solemnioribus , quibus sacram Scripturam exponit , a Choro dispensatur ; alter ad Missæ ultimæ celebrationem , alter ad pulsanda organa propter aliorum defectum destinatur . Si ergo ex reliquis duo inservire debeant pro Diacono , & Subdiacono in Missa solemni Archipresbytero , jam non solemnis , sed privata celebrabitur Missa : unus enim , vel alter ad summum in Choro supererit . Neque hoc in casu confugi potest ad Mansionarios , qui ad duo tantum reducuntur . Ii siquidem , præterquamquod non tenentur nisi ad inserviendum pro Diacono , & Subdiacono in Missis solemnibus , nequaquam alter pollet cantu Gregoriano , alter propter ætatem prohibetur .

Atque hinc optimum sibi videbatur , *Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ , de qua sermo est, immunes ab hujuscemodi onere declarare , confirmato posthac superiori decreto quoad simplices Presbyteros Civitellæ , si quando duo relati Mansionarii de ejusdem Capituli gremio vel morbo aliquo , vel alia qualibet legitima causa detinerentur ; præsertim cum tam per leges in meis Synodis , & præcipue in secunda de festis diebus cap. VI. §. 4. sancitas , quam per Constitutiones R. P. D. de Rubeis , quicumque Presbyteri , nemine excepto , diebus saltem solemnibus Ecclesiæ , cui addicti sunt , servitio vacare teneantur .* Ad primam igitur instantiam rescripserunt Emi Patres die 3. Martii 1787. *Arbitrio , & conscientiæ Episcopi , & juxta ejus votum* ; ad secundam die 24. ejusdem mensis , *Ponatur in folio citata parte , firma interim remanente executione decreti Episcopi .*

In executionem primi rescripti decrevit Episcopus die 20. sequentis Aprilis , *servari stylum , & consuetudinem , qua usi fuerunt Archipresbyteri Personali , & Missi antecessores immediati moderni Archipresbyteri Nanni , nempe ut idem Archipresbyter Nanni, ejusque successores in posterum celebrare debeant Missam parochialem , scilicet in mensibus Aprilis, Maii , Junii, Julii , Augusti , Septembris , Octobris , & Novembris priusquam Canonici ingrediantur Chorum , ad psallendum Matutinum , ita ut penitus eodem tempore expleta sit celebratio dictæ Missæ parochialis . In mensibus vero Decembris , Januarii , Februarii , & Martii eadem Missa parochialis*

celebrari debeat tempore, quo ipsi Canonici psallunt in Choro hiemali Matutinum. De hoc tamen decreto questus fuit apud EE. Vestras Archipresbyter, ejusque difficultates in secunda informatione dilnit Episcopus. Juramento confirmasse ait decessores Archipresbyteros Personali, & Massi adhuc superstites propriam consuetudinem celebrandi parochialem Missam ad formam decreti; eamque in pluribus aliis Collegiatis receptam esse.

Nedum enim Meldulæ (sunt ejus verba) *verum & Foropompilii, aliisque Terris per hæc vicinia paulo post Solis ortum celebratur parochialis Missa, ea potissimum de causa, quia communi experientia compertum est, majori Populi parti, præsertim ruricolis, qui Divino pabulo refici præ ceteris opus habent, horam illam commodiorem esse. Quod & isthæc Sacra Congregatio cognovit, cum penes Scarfantonium de Miss. Paroch. agentem, declaraverit = celebrari debere Missam primam diebus festis pro rusticis ante Solis ortum, in qua tenetur Curatus explicare partes essentiales Doctrinæ christianę. Cui declarationi, atque usui innixus, & potissimum Populi commotus querelis, ne parvuli peterent panem, & non esset qui frangeret eis, & ne quid novum spirituali ipsorum detrimento diutius inolesceret, quid mirum, si facta mihi facultate ab EE. Vestris, inveteratam, atque utillimam quadraginta & amplius annorum consuetudinem servari decreverim?*

Perperam queri inquit Archipresbyterum de sua periclitante valetudine, si post nocturnas vigilias in assistendis infirmis, celebrare deberet Missam hora ab Episcopo præscripta. Etenim *ab institutione Collegiatæ ad hæc usque tempora præscripta nunc Missæ parchialis hora nulli ad obeunda Parochi munia fuit impedimento, nulli ad tuendam valetudinem præjudicio; & solum moderno Archipresbytero ita personarum numerus excrevit in Paræcia, ut si illis in opportunitatibus præsto esse velit, noctes continuo ducere cogatur insomnes, & non nisi ingenti valetudinis jactura per septuaginta ad summum vices in anno, hora ceterum non adeo incommoda, saluberrimæ Populo sanctioni nequeat se accomodare? Quum ex Animarum Parochiæ censu in hac Cancellaria quotannis exhibito, certissime appareat, nemi-*

ne excepto, 850. *numerum vix excedere*, & *ex ejusmet Cappellani assertione per spatium octo fere annorum*, *quibus idem Nanni Archipresbyteri fungitur munere*, *vix quinque*, *vel sex vicibus se ad opem infirmis extremo agone ferendam*, *nonnullas noctium festivis diebus præcedentium horas insumpsisse*.

Addit immo, quod *si de mane Missam parochialem celebraret*, *haberetque concionem*, *nonne audiendis Fidelium confessionibus vacare pro libito posset*, *neque ab hoc officio alios prohibere*, *qui concionis tempore ob vocem nimium obstrepentem a sedibus confessionalibus egredi coacti non semel fuerunt* ? Falsum affirmavit, quod celebrandam edixerit Abbas Mannelli Missam parochialem post matutinum instante Collegiata, *quia omnibus insciis*, *Archipresbytero exposcente*, *nulla habita commoditatis Populi ratione*, *ejus voluit studio indulgere*. Nil vero per celebrationem Missæ una potius, quam altera hora, juribus detrahi parochialibus, quæ Archipresbytero servant constitutiones Capituli; maximique contra incommodi Canonicis esse, *si post horam tantum* 17. *in hieme præsertim*, *Missam nequeant celebrare* (post Missam nempe parochialem) *a qua usque ad meridiem*, *licet duæ horæ intercedant*, *quoniam intra eas*, & *ceteræ chorales horæ*, *sunt persolvendæ*, & *Missa conventualis canenda est*, *vix duas Missas seorsim celebrandi tempus suppetit*.

Hac accepta informatione, rescripserunt EE. Vestræ die 7. Julii ejusdem anni 1787. = *Ponatur in folio*, *non retardata interim executione præcedentis rescripti*. Dum ista autem, & altera pendebat Causa super assistentia Canonicorum pro Diacono, & Subdiacono, damnatus fuit Archipresbyter ineunte anno 1788. ad instantiam Promotoris Fiscalis a Curia Brictinoriensi ad turnum Missæ conventualis, & ad interessendum Choro. Provocavit is per citationem specialem ad R. P. D. Auditorem Sanctissimi; sed instantibus Canonicis, remissa fuit hujusmodi etiam Causarum cognitio ad Sacram Congregationem, ac de chorali tantum disserens servitio, hæc habet hodiernus Episcopus: *Omnia juridice coram EE. Vestris erunt producta*; *quapropter aliud non dicam ego*, *nisi quod Archipresbyter*, *quidquid in contrarium dicat*, *dummodo pro cura Animarum non sit*

sit distentus , Choro interesse omnino teneatur . Meus sensus tam Bullæ erectionis Collegiatæ , quam uni decreto Episcopi Columbani antecessoris mei est innixus ; quamvis nonnullæ sint rationes aliæ , quæ contra Archipresbyterum inclamant . Et revera in prædicta Bulla sic habetur = Volumus insuper , ut . . . Rector pro tempore præfatæ Ecclesiæ archipresbyteralis S. Mariæ ad omnia interesse debeat tanquam unus , & primus dicti Capituli cum honoribus , & oneribus = Et quamvis in dictis verbis Bullæ obligatio non exprimatur Chori , his non obstantibus , quænam est major obligatio Canonicorum , sive dignitatum , nisi Choro interesse ? Insuper in enarrato decreto Epicopi antecessoris mei teneri omnino Archipresbyterum Civitellæ ad Choro interessendum declaratum fuit . Tale decretum nec in meo , nec in alio Tribunali irritum & inane fuit pronunciatum . Adhuc igitur viget , & obligationem Archipresbytero Choro interessendi inducit .

Primum ex quatuor infrascriptis Dubiis servitium respicit Chori . Præter spiritum Bullæ erectionis Collegiatæ, quam notat Episcopus , observat Promotor Fiscalis , cujus nomine de hoc disputatur Dubio , quod Archipresbyter tanquam *unus* , & *primus Capituli* juxta Bullam erectionis Consortii ; iterumque veluti *capo* , *e primario Canonico*, secundum conventiones anni 1736., & qui ex Constitutionibus tandem de Rubeis anni 1746. omnibus præcedere debet *tam in Choro* , *quam extra* , immunis de jure esse nequit a Chorali servitio , ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* , quam exornant *Ugolin. de potest. Episcop. part.* 1. *cap.* 19. §. 1. *num.* 1. , *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 16. , *Argir. disceptat. eccles.* 7. *num.* 1. *lib.* 6. Ita etiam *Benedictas XIV. in notific.* 107. *cap.* 101. Commemorat enim Priorem Collegiatæ S. Majoris , & Archipresbyteros Civitatis Plebis , & Centi , qui licet sint primæ Dignitates , & actualem habeant Animarum curam , a servitio tamen non eximuntur Chori , nisi *quando sono attualmente occupati nella cura delle Anime* . Et ita statuit Sacra hæc Congregatio *in Nullius Terræ Meldulæ Officiaturæ* 22. *Januarii* 1757. , nam ad Dubium , *An Archipresbyter Collegiatæ S. Nicolai Meldulæ teneatur interesse Divi-*

vinis Officiis cum ceteris Canonicis in Choro, rescripsit, *affirmative*, & *amplius*.

Dispositioni juris expressa accedit obligatio Archipresbyteri Fucci, qui in petenda erectione Consortii, ut consortiales Presbyteri *officiassero continuamente la detta sua Chiesa*, se, suosque successores obligavit *di servire con gli altri Sacerdoti sudetti in tal ministero*. Nilque in id immutarunt sive conventiones anni 1736., sive Constitutiones de Rubeis, sive Apostolicæ literæ Benedicti, & Clementis XIV., quæ chorale potius Archipresbyteri servitium confirmare videntur, ut notatum est. Favere quidem posset Archipresbytero Res judicata Giraud; sed advertendum rogat Promotor Fiscalis, editam fuisse adversus Canonicos, quibus jus non erat cogendi Archipresbyterum ad interessendum Choro ex promissione illa *di servire con gli altri Sacerdoti* alteri facta, Abbati nempe commendatario Accorambono; ideoque non afficere Brictinoriensem Episcopum Abbatis successorem, qui eam exercere valet actionem, quam ejus decessor habuisset pro adimplemento obligationis versus ipsum assumptæ. Despiciendam vero autumat concordiam anni 1766., quia relictum fuit pietati; & religioni Archipresbyteri servitium Chori *per quello, che spetta alli Canonici*, qui lædere non poterant jus Superioris.

Promotoris Fiscalis nomine Canonicos abuti ait Archipresbyter, teste in sua informatione Episcopo his verbis: *nunc querimoniæ noviter insurgunt, & Canonici nunc pro tunc, ut Archipresbyter intersit Choro, sicuti, & ipsimet tenentur, nomine Promotoris Fiscalis meæ Curiæ coram ista S. Congregatione instant*; eisque obstare Rem judicatam, & concordiam anni 1766., ne experiantur iterum actione, qua semel ceciderunt; suam de cetero exemptionem a Choro ex ipsis desumit Constitutionibus de Rubeis, quæ liberum ei tribuunt arbitrium ferendi suffragium in electionibus, & deliberationibus Capituli, nempe *si eidem Archipresbytero placuerit*, quasi hæc verba, quæ necessitatem excludunt, *gloss. in cap. stututum, verb. possit, de rescript., Barbos. dict.* 268. *num.* 1., & 2. trahi valeant a deliberationibus capitularibus ad servitium Chori. Hoc ipsum suadere contendit ex quo distinctos habet parochiales re-

reditus, nilque omnino percipit ex capitulari massa, piisque relictis Capituli. Inde autem infert, honorificam tantum habere Dignitatem, & præeminentiam, ad tradita per *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 47., *& seqq.*, neque idcirco Tridentina affici sanctione, quæ de veris loquitur Dignitatibus. Plura tandem addit de sua consuetudine non interessendi Choro, & de aliarum Collegiatarum praxi; sed dummodo immunis sit a coactione, præstare pollicetur chorale servitium in solemnioribus Festivitatibus, aliisque etiam diebus, ubi parochiale ministerium non impediat.

Agitur secundo de Missa conventuali, quam ab Archipresbytero etiam celebrandam decrevit decessor Episcopus anno 1788. Servandum censent Canonici decretum, tum quia ei parnit Archipresbyter; tum quia in Encyclica *cum semper oblatas* Dignitates etiam obligat *Benedictus XIV.* insignis Collegiatæ, qualis est illa Civitellæ, ad Missam conventualem. Idque pluries definivit Sacra hæc Congregatio, ac præsertim *in Ariminen. Missæ Conventualis* 18. *Septembris* 1751. *ad II. Dub.*, *in Faventina Missæ Conventualis* 3. *Junii* 1780. *ad I. Dub.*, *& in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum* 28. *Aprilis* 1781. *ad II. Dub*. Ne quid minimum contra percipere ait Archipresbyter ex Benefactoribus Capituli; proindeque nec ad Missam teneri conventualem, quæ juxta *encyclicam* Benedicti XIV. pro illis applicatur.

Nullam quoque Canonicis actionem esse contendit, ut eum cogant ex tertio Dubio ad celebrandam Missam parochialem ante matutinum; tum quia in Constitutionibus de Rubeis cavetur, ut *quemadmodum Archipresbyter nullam prorsus ingerentiam habere debet in rebus, quæ mere capitulares sunt, ita nec Canonici in rebus parochialibus*; tum quia libertatem ipse concedit Canonicis celebrandi (absque signo tamen tintinnabuli) ante Missam parochialem, unde avertantur incommoda, quorum meminit Episcopus; tum denique quia per epistolam permisit Abbas Mannelli celebrationem Missæ parochialis post matutinum. Hoc altera ex parte contrarium dicunt Canonici dispositioni juris; nam prima ante ortum solis celebranda est Mis-

Missa cum expositione Doctrinę christianæ pro agricolis, ex *cap. necesse de consecr. distinct.* 1., *Nicol. flosc. verb. Missa num.*31., *Ceccoper. Incubr. eccles. lib.*3. *tit.*12. *num.*5. Idque servatum ab anno 1735. per decessores Archipresbyteros, & ab ipso etiam Nannio post rescriptum Sacræ Congregationis, & decretum Episcopi anni 1787., ut cum aliis pluribus testantur qui fuerunt Archipresbyteri. Atque exemplo sunt Archipresbyteri Collegiatarum Brixichellæ, Meldulæ, & Feri Pompilii, qui ante ortum pariter solis Missam celebrant parochialem.

Ad quartum Dubium observat postremo Archipresbyter, expletam fuisse primam consortii erectionem absque Mansionariis, ideoque ministerium Diaconi, & Subdiaconi injunctum Canonicis in Constitutionibus de Rubeis, quæ ob illorum consensum plenam merentur executionem, per *Text. in cap. fin. de consuet.*, *Rot. coram Molin. decis.* 962. *num.* 7., Maxime quia consentaneæ sunt sacro cæremoniali; nam *Diaconus, & Subdiaconus semper quantum fieri potest, debent esse ejusdem ordinis cum celebrante, & non inferioris*, ut in hæc verba monet *Gavant. in thesaur. Sacr. rit. tom.*1. *part.*4. *tit.* 6., *Scarfant. ad Ceccoper. tom.* 1. *lib.*2. *tit.*5. *num.*14., & *seq.*, *Pignatell. consult.* 28. *sub num.*4. *tom.*4. . Mansionariorum vero institutionem derogare non potuisse juri sibi quęsito ex Constitutionibus. At ipsam Canonici urgent institutionem, veluti factam ab eodem de Rubeis, qui Constitutiones exaraverat, *per il servizio in qualità di Diacono, e Suddiacono alle Messe solenni*. Consuetudinem addunt decessorum Nannii, celebrandi nempe cum assistentia Mansionariorum, & jamdiu definitum ajunt a Sacra Rituum Congregatione, quod cogi nequeunt Canonici ad munus Diaconi, & Subdiaconi extantibus Mansionariis, ut *in Sarnen.* 15. *Septembris* 1691., & *in Bituntina* 14. *Junii* 1692. relat. in Decretis ejusdem Congregationis typis impressis *num.*635.

Dubia sunt.

I. *An judicatum Curiæ episcopalis Brictinorii super chorali servitio sit confirmandum, vel infirmandum in casu &c.*

II. *An decretum Curiæ episcopalis Brictinorii super ce-*

le-

lebratione ; & applicatione Missæ conventualis per turnum sit confirmandum vel infirmandum in casu &c.

III. *An decretum Curiæ episcopalis Brictinorii super hora celebrandi Missam parochialem sit confirmandum, vel infirmandum in casu &c.*

IV. *An, & quibus diebus solemnioribus celebranti Archipresbytero teneantur inservire Canonici in munere Diaconi, & Subdiaconi in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius.

Ad IV. Affirmative ad formam Constitutionum de Rubeis, & amplius.

SENOGALLIEN. CAPELLANIÆ, Ex omnibus suis bonis instituit anno 1675. Petrus Angelus Mattioli laicalem capellaniam hebdomadalium Missarum quinque in Ecclesia S. Marię de Platea Montis Novi ad Altare SS. Nominis Jesu, & in una testamenti parte hortatus fuit Capellanum *a volere compiacersi di confessare gratuitamente, e di cooperare alla salute delle Anime nel modo migliore che potrà*, in altera præscripsit, *che il Prete si avrà da eleggere dopo il Signor Don Pietro Paolo Brunacci da me eletto sia Sacerdote atto alla confessione*. Jus nominandi Capellanum post obitum Brunaccii ab ipso nominati, Familiæ reliquit Brunacci, & in ejus defectum Abbati Ecclesiæ S. Mariæ, ac Moderatoribus Minorum Conventualium, & Reformatorum oppidi, quibus auctoritatem dedit eum removendi, *se in alcun tempo mancasse al suo Officio*. *Sess.22. cap.6. & sess.23.cap. 15. de Reform.*

Qui ad hæc tempora fuerunt Capellani, fere omnes audiendæ confessionis onus subierunt. In novissima idcirco Capellani electione decreverunt Collatores (Abbas nempe S. Marię, ac Moderatores Conventualium, & Reformatorum, ad quos delatum est jus nominandi) *che se non prenderà la confessione nel termine di un mese, ed in quel tempo principii ad esercitarla in questa Chiesa, si possa venire all'elezione di altro Cappellano*; seque electus Capellanus, Sacerdos scilicet Petrus

trus Coccoli, qui facultate carebat excipiendi confessiones, indefinite obligavit *di sodisfare tutti gli obblighi appartenenti a detta capellania*. Hoc non obstante, immunem se autumans ab exequendo Testatoris consilio ex prioribus illis testamenti verbis *a voler compiacersi di confessare*, fieri neglexit Confessarius ab anno & ultra, donec hac de re vexatus, Vestram postulavit declarationem; suistamen votis consentaneam.

Emus Senogalliensis Episcopus retulit, quod *contra preces acriter insurrexit Sacerdos Joannes Franciscus Festarini unus ex Collatoribus, utpote qui parochialem regens Ecclesiam, in qua prædicta erecta est capellania, pro ejusdem Ecclesiæ servitio onus Capellano impositum excipiendi Fidelium confessiones prætendit. Alii vero duo Collatores mitius agendo, vel in negativam potius partem inclinant, vel indifferenter se gerunt. Quod in capellaniæ acceptatione onus etiam expresse assumpserit Orator audiendi confessiones, licet plenæ probationis non proferatur monumentum, ex eo tamen desumi prætenditur, quod in folio Congregationis a Collatoribus habitæ, in quo controversum onus referebatur, se subscribere Orator non dubitavit, licet generice quoad suscipienda onera fuerit loquutus. Ad observantiam quod attinet, omnes fere Oratoris Prædecessores confessiones audiendi onus subierunt. Verum non satis exinde deductum præsumitur argumentum, id ratione prætensi oneris, quum ex libera eorumdem voluntate, libentique animo, vel ex circumstantia, quod primitus nimirum Confessores reperirentur constituti, potuerit contingere.*

Dum proponenda erat instantia Coccoli, EE. Vestris supplicavit Sacerdos Dominicus Balè, qui alter fuit ex concurrentibus ad capellaniam, ut deliberare etiam dignarentur, num ob non adimpletam electionis conditionem ceciderit Coccolus capellania. Duo igitur urgere videntur, ne adigatur Capellanus ad Sacramentales excipiendas confessiones. Primo scilicet, quod simpliciter hortatus fuerit Testator *a voler compiacersi di confessare*. Quod enim committitur alicujus voluntati, in libero relinquitur, absolutoque illius arbitrio, ut *in Leg. cum quidam ff. de legat. 2.*, *Menoch. de arbitr. judic. lib. 1. quæst. 7. num. 2. & 3. Barbos. dict. 378. num. 1.*. Secundo, quod non omnes deces-

so-

sores Capellani fuerunt Confessarii, ut ex illis Emi Episcopi verbis *omnes fere* ; neque constat de coactione ejus, qui talis non esset, ad facultatem obtinendam excipiendi confessiones . Id porro confirmat Capellanorum arbitrium, & contrariam interpretatur observantiam, quod ii nempe, qui confessiones exceperunt, vel fecerint *ex libera eorumdem voluntate, vel ex circumstantia, quod primitus Confessores reperirentur constituti*, ut Emus observat Episcopus .

Notandum contra, quod hortativa illa verba, *esortandolo a voler compiacersi di confessare*, veluti prolata in ultima voluntate, resolvuntur in præceptum, & obligationem inducunt, juxta *Ulpianum in Leg. si sic legatum* 78. *in princ. ff. de legat.* 1., ne morientis scilicet desiderium, consilium, vel preces inutiliter stare videantur, ut explicat *Voet. in Pandect. lib.* 36. *tit.* 1. §. 1. Quæ in una de cetero testamenti parte per verba ad Capellanum directa simplex fuit exhortatio, quasi expressa in altera per verba indirecta fuit voluntas. Mandavit enim Testator, *che il Prete si avrà da eleggere .. sia Sacerdote atto alla confessione*. Dum Sacerdotem profecto excipiendis confessionibus idoneum voluit de tempore electionis, actu Confessarium designasse censetur, *Abb. in Clement. ut hi, sub num.* 18. *vers. item pone exemplum de ætat. & qualit.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 47. *num.* 8. *& seqq.*, *Constant. vot.* 35 *num.* 1., *& Rot. in Firmana Beneficii* 4. *Februarii* 1791. §. 5. *coram Despuig*. Idque confirmatur ex observantia; nam licet non omnes ab instituta capellania fuerint Confessarii, id tamen quoad unum vel alterum evenire potuit ob conniventiam, vel negligentiam Collatorum, satisque ad rem videri potest, quod *omnes fere confessiones audiendi onus subierunt*.

Hac posita in Capellano necessitate audiendi confessiones, cecidisse videtur Coccolus capellania ob non impetratam Confessarii pagellam intra mensem ab ejus electione, juxta Collatorum legem, voluntati Fundatoris consentaneam. Maxime quia in subscribendis actis Congregationis promisit *di soddisfare tutti gli obblighi appartenenti a detta cappellania*. Per hanc sane licet genericam promissionem, omnia despondit, quæ in subscriptis continebantur actis, & sic onus etiam ob-

tinendi facultatem excipiendi confessiones intra mensem, per *Text. in Leg. emptor* §. *Lucius ff. de pact.*, & *Leg. sicut* §. *non inducitur ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* Altera ex parte non decreverunt Collatores caducitatem *ipso facto*, statim nempe elapso mense absque impetrata Confessarii pagella, sed resolutivam in hoc casu addiderunt, quod *si possa venire all'elezione di altro Cappellano*. Quum hac igitur usi non sint facultate, & ob egregias Coccoli virtutes, major ei faveat illorum pars, locus fortasse esse poterit purgationi moræ. Maxime quia neglexit Coccolus fieri Confessarius ex opinione, quod id Testator simpliciter consuluisset. Quælibet enim ratio, minus etiam vera, a pœna excusat caducitatis, *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 154. *num.*5., *Valent. de ult. volunt. part.*2. *vot.*7. *num.*58.

Deliberandum itaque

I. *An Cappellano Mattioli incumbat onus excipiendi Fidelium Confessiones in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus privationi Cappellaniæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, & præfigendum esse terminum arbitrio Emi Episcopi ad excipiendas confessiones.

*Sess.*22. *cap.*7. *de reform.*

FIRMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Relata fuit hujus Causæ species in folio diei 23. elapsi mensis Februarii sub duplici Dubio. Quærebatur I. *An & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione hereditatis Censori*, quam Aloysius Amati germanus frater Mariæ Nicolaeæ Censori in levamen suæ pauperatis implorabat. II. *An, & quomodo sit locus exequutioni rescripti* 28. *Maii* 1791. Obtinuerat enim Venantius Bidini Vir superstes Mariæ Nicolaæ facultatem erigendi perpetuam Cappellaniam ex suis & defunctæ Uxoris Bonis, quæ post utriusque obitum juxta reciprocam dispositionem jam conditam anno 1787., in tot

tot manuales Missas erogari debuissent; mox vero questus, quod ob erroneas præces ejus nomine porrectas in ea resolutione sua etiam comprehensa fuissent Bona, de quibus aliter disponere deliberaverat, ab Emis Vestris declarari petiit, ut ex Bonis tantum Uxoris erigeretur Cappellania salvo tamen ejus favore usufructu ad formam Testamenti. Ad primum autem ex præmissis Dubiis rescripserunt Emi Patres = *Negative*; ad alterum = *Dilata*. Instante igitur Bidinio indecisum hoc reproponitur Dubium; resumptisque rationibus in folio diei 23. elapsi mensis Februarii deductis, deliberare dignentur.

An & quomodo sit locus exequutioni Rescripti 28. *Maii* 1791. *in casu &c.*

Negative, & servandam esse dispositionem Censori ad formam Testamenti.

JANUEN. IRREGULARITATIS. Familiæ Marenco ex Oppido Usciniæ januensis Diœcesis famulatus gratia addictus erat Antonius Petronari, quum die 23. Aprilis 1790. postquam Clerico Andreæ Marenco Cœnam ministraverat, Ballistam igneam in ejus Ædibus repertam arripuit, ut in illius explosione suam experiretur peritiam. Ignorans Clericus an Ballista ignea pulvere tormentatio, plumbeisque glandulis preparata esset, Famulum statim monuit, ut ab ancipiti cessaret experimento, cumque nil profuisset consilium, ad vitandum tandem quodcumque infortunium, Ballistam ab ejus manibus eripere tentavit. Vix autem illam tetigit Clericus, repente explosus est ictus in infelicem Famulum qui post quatriduum ab accepto vulnere occubuit. *Sess.* 13. *cap.* 7. *de Reform.*

Instaurato Processu, auditisque sub formali examine Interesse habentibus, Clericum ab omni culpa immunem agnovit Fiscus, proindeque definitiva Sententia diei 21. Februarii 1791. archiepiscopalis Curia illius dimissionem decrevit *facta prius promissione, & præstita fidejussione de se personaliter præsentando novis supervenientibus indiciis*. Ut Sacris ergo Clericus ipse initiari valeat Ordinibus, & optare ad Beneficia, dispen-

spensationem ab irregularitate ad cautelam ab Emis Vestris implorat, ejusque precibus indulgens Archiepiscopus, de probitate morum, quibus pollet Orator ex ipso Processu constare monuit, *nilque deinceps* (addit) *contra eum unquam est renunciatum quod malè oleat*. Necessitatem rursus atque utilitatem Ecclesiæ in Oratoris promotione ex eo ostendit, quod Parochialis Loci Usciniæ ob inopiam Sacerdotum Inservientibus indigeat.

Dubitari non immerito posset de irregularitate. Hanc enim in casuali homicidio contrahi negant Canonistæ quoties contigerit ex opere licito, & debita ad illud vitandum adhibita fuerit diligentia. Ita *post cap. Dilectus* 13., & *cap. Ex litteris* 14. *de homicid.*, docent *Piringhius in lib.* 5. *decret. tit.* 12. *num.* 46., & *Reiffenstuel. ibid. num.* 176. Casualem vero fuisse Petronarii necem ex Processu confirmat Archiepiscopus, nec Orator rei illicitæ dabat operam, dum ab inexperti Famuli manibus Ballistam igneam auferre tentavit, quin imo Viri prudentis cautelam adhibuisse videtur, ut repentinæ explosionis periculum averteret.

Dimissus nihilominus fuit Orator cum præcepto de se repræsentando *novis supervenientibus indiciis*. Hęc vero clausula quemadmodum Inquisiti innocentiam excludit, ut censuit S. hæc Congregatio *in Vigilien.* 23. *Septembris* 1613. *lib.* 28. *decret. fol.* 170., & in terminis consimilis clausulæ *ex hactenus deductis*, tradunt *Pignatell. consult.* 93. *num.* 3. *tom.* 6., & *Monacell. tit.* 13. *formul.* 3. *num.* 37. *tom.* 2., ita dubium relinquit, quin homicidio licet fortuito causam vel remotam dederit Clericus, tentata fortasse per irregularem modum Balistæ igneę apprehensione; quo in casu etiam in re licita, cum debitam non adhibuerit diligentiam in vitando Homicidii periculo, irregularitatem proculdubio contraxisset *Cap. Præsbiterum* 1. *de homicid. Piringhius in lib.* 5. *decret. tit.* 12. *num.* 55.

Quatenus ergo Emi Patres dispensatione opus esse reputent notandum erit, quod non de promoto, sed de promovendo agitur Clerico, cui obstare posset dispositio S. Concilii Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* ubi cautum, ne voluntarius homicida ullo, *tempore ad Sacros Ordines promoveri possit*; notanda rursus brevitas temporis à sequuto homicidio; Illud enim præ

cæ-

cæteris spectari solet, quod deleta sit memoria Facti juxta *Fagnan. in cap. Henricus de Cleric. pugnan. in Duell. num.* 35. Plura de cætero ad Gratiam conferre videntur; qualitas scilicet casualis homicidii, pro quo indulgendum decrevit *Tridentina Synodus in cit. Sess. 14.cap.7. de reformat.*; morum probitas qua pollet Orator; necessitas atque utilitas Ecclesiæ, quæ in illius promotione concurrit; & propitium demum Archiepiscopi votum. In his vero terminis dispensationis non desunt exempla, & præsertim *in Spoletana* 18. *Maii* 1776., & *in Asculana Irregularitatis* 10. *Julii* 1790. Ex his ergo judicent Emi Patres.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANA. Decessor Episcopus Forlani dum unitas regebat Cathedrales Civitatis Castellanæ, & Hortæ, proprio ut fertur marte, scuta septuaginta ex Mulctis pecuniariis ad hortanam Curiam spectantibus impendit, ut Thronum alterius Cathedralis Civitatis Castellanæ serica supellectili ornaret. Hoc itaque fretus exemplo modernus Episcopus jam scuta decem circiter ex Mulctis percepta, in sacras quasdam Supellectiles favore utriusque Ecclesiæ erogavit; cumque nonnulla adhuc Utensilia in suis Cathedralibus deficiant, & alia vetustate consumpta renovanda sint, præmissam nedum approbari petiit erogationem, sed facultatem etiam applicandi deinceps in similes usus alias summas juxta rerum circumstantias, & occurrentes necessitates moderatè detrahendas ex Capsa Maleficiorum; *haud tamen neglecta applicatione earumdem pecuniarum aliis Locis piis, & Pauperibus pro rata tamen in Capsa Maleficiorum reperienda.* *Sess.23.cap.1. & Sess.25.cap. 3. & 14.de Reform.*

Consilium ipsis utile unisona resolutione, plenisque suffragiis probarunt Capitula; questi tamen sunt Capitu-

tulares Hortæ de veteri applicatione, quam nullo, ut ajunt, intercedente ipsorum consensu bon. mem. Episcopus Forlani in utilitatem alterius Cathedralis imperavit ex pecuniis perceptis = *dalla Cassa de' maleficii di questa nostra Curia, per cui possiamo ancora riclamare contro chi sia di ragione*. Reque, vera dum præmissa pendebat Instantia, recursum habuerunt ad Emas Vestras, rogantes ut in illius resolutione jura Civitati hortanæ reserventur ad obtinendam reintegrationem de prædictis scutis septuaginta quæ in sacras Hortanæ Ecclesiæ Supellectiles erogare cogitant. Hæc autem quoad suas præces retulit Episcopus = *Reditus* (ait) *Ecclesiarum ceteroquin tenues in hac penuria temporum sunt valde imminuti, & è contra publica gravamina aucta etiam ultra vires, neque exceptis bonis primæ erectionis ex quo fit, quod Præbendarii ulterius gravari minime possint, nec sperandum idcirco sit aliud subsidium ex piorum Fidelium oblationibus, quam maxime imminutis; pro his enim eadem militat ratio*. Mensam vero episcopalem ex eo pauperem probare nititur, quod post quinquennium nondum ex reditu contractum in sua promotione æs alienum pro necessariis sumptibus dimittere potuerit. Nec demum dissimulat, quod Prædecessores licet Mulctas quandoque in utensilium manutentionem erogarint, de propriis tamen reditibus subsidium aliquod etiam dederunt, quod & ipse præstitisse fatetur.

Veteri quidem Doctorum opinione ecclesiastici Judices sibi applicare poterant pœnas pecuniarias in nonnullis casibus, quos exponit *Reiffenstuel. in lib.5. decret. tit. 37. num.100.*; At hodie obsoleta hæc est Jurisprudentia, atque alia invaluit post Concilium Tridentinum. Ut sublata enim esset omnis avaritiæ suspicio, ne scilicet Judices immoderatas exigerent pœnas, *S. Synodus* easdem in posterum *Locis piis* applicandas decrevit *in sess.25. cap.3. de reformat.*, *vel Fabricæ Ecclesiæ*, *ut in sess.25. cap.14. de reformat.*. Contra hanc autem conciliarem dispositionem constanter confirmatam pluribus resolutionibus Sac. hujus Congregationis, & Episcoporum & Regularium, quas refert *Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 107. num.19. & seq.*, in Episcopi utilitatem cederent Mulctæ pecuniariæ, quo-

quoties erogandæ sint in sacras Supellectiles . Ubi namque peculiares in id reditus deficiant ; vel cogi nequeant capitulares præ inopia redituum , tunc Episcopus manutentioni sacrorum Utensilium prospicere tenetur , *Albert. de Sacris Utensil. cap.*12. *sub num.*61. *& num.*303. *tom.*1. , neque alia profecto de causa, nisi ut suo implerent muneri , tam decessores , quam hodierni Antistes pro Sacris supellectilibus subsidia dedisse videntur . Impetrata autem in hos usus Mulctarum applicatione , alieno ære Episcopus sese ab hoc onere expediret , Locisque piis fortasse magis indigentibus detraherentur subsidia .

Suam contra Episcopus impotentiam supplendi hisce impensis ex eo defendit, quod pauperem habeat Mensam. Unus enim a præmissa regula excipitur casus , ut nempe egenti Episcopo tribui possint Mulctæ ex Doctrina *Fagnan. in cap. Presbyterum de pœnis num.*22. *& Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.*10. *cap.*10. *n.* 1., & *seq.* , proindeque & applicari in ejus levamen manutentioni Utensilium , *Albert. loco citat. num.* 297. . Hæc de cetero limitatio tunc solum locum obtinet, quoties Episcopus *vere esset pauper , sufficientem ex reditibus Episcopatus substentationem pro suo statu non habens* , ut his verbis monet *Reiffenstuel in lib.* 5. *decret. tit.* 37. *num.* 103.

Ad hanc autem probandam indigentiam orator exponit, nondum post quinquennium dimittere potuisse æs alienum in sua promotione contractum ; ex quo argui forsan posset , quod reditus suarum Cathedralium congruam non attingant scutorum mille a Sacro Concilio Tridentino præfinitam *in Session.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* . His ergo de causis si Episcopo roganti aliquid indulgendum reputent Eminentiæ Vestræ , decernendum etiam erit de summa , & de tempore . Indefinitum enim indultum concederetur contra regulam S. hujus Congregationis , quam exemplis illustrat *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 2.

Quoad summam vero jam erogatam cogendus esset Orator ad restitutionem , cum non liceat Episcopis absque prævio Sacræ hujus Congregationis Indulto hujusmodi applicationes decernere *Piringh. in jus canon.*

lib.5. tit.37. num.7. & Albert. de Sacris Utens. loc. citat. num.298. Vestram tamen mereri posset veniam, ex eo quod de tenui agitur summa scutorum decem jam erogata ad exemplum decessoris Episcopi in Sacras Supellectiles, & ea fortasse credulitate, quod facilioris negocii esset vestrum Beneplacitum.

Quod demum ad hortani Capituli Instantiam pertinet, extraneum sub infrascripto Dubio visum est examen. Agitur enim hic de Mulctis jam applicatis ab hodierno Episcopo, & in posterum applicandis in causam Utensilium, ita ut quæcumque fuerit hac de re EE.VV. resolutio, nullum inferre poterit præjudicium juribus Civitatis Hortæ, si quæ habet, ad vindicandas Mulctas a defuncto Episcopo Forlani erogatas favore Ecclesiæ Civitatis Castellanæ. Quum vero petita Jurium reservatio ad obtinendam reintegrationem directa sit, interpellandi fuissent heredes defuncti Episcopi, vel alii Interesse habentes; & asperum contra videri posset Emis Vestris, ut post diuturnum hortani Capituli silentium illius Episcopi Cineres turbentur.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus applicationi Mulctarum quoad futurum, & approbationi quoad Mulctas jam erogatas ab hodierno Episcopo in casu &c.

Die

Die Sabbathi 11. *Maii* 1793. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

JANUEN. IRREGULARITATIS. *Sess.14.cap.7. de reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Aboleto præcepto de se repræsentando recurrat.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANA: *Sess.23.cap.1. & Sess.25.cap. 3. & 14.de Reform.*

An & quomodo sit locus applicationi Mulctarum, quoad futurum, & approbationi quoad Mulctas jam erogatas ab hodierno Episcopo in casu &c.

Quoad præteritum affirmative, quo vero ad futurum scribatur juxta Instructionem.

Sess.25.cap.11 de reformat.

FIRMANA EMPHITHEUSIS. De Bonis spectantibus ad duo unita Beneficia B. Virginis Lauretanæ, & S. Joannis Evangelistæ, quæ in priorali Ecclesia erecta sunt Castri Lapedonæ, modernus Rector Sacerdos Lutius Clavari anno 1790. locationem per privatam Apocham convenit favore Quirici Serena Berdozzi ad Triennium à mense scilicet Januarii 1792. ad totum mensem Decembris 1794. Pensionem promiserat Berdossius in annuis scutis 26., cumque Gregorius Ruggieri eam auxisset ad scuta 40. posteriori anno 1791, eadem Bona pro eodem Triennio, quod nondum incæperat Beneficiatus Ruggierio locavit. Primus igitur Conductor, ut sui contractus exequutionem vindicaret judicio egit, obtinuitque Causam per definitivum A. C. Riganti Decretum Clavario, & Ruggerio contradicentibus. Dum Lis interim pendebat adhuc super refectione Expensarum, rem fore magis utilem sperans Clavarius si eadem Bona in eamphitheusim concederet, die 17. Decembris 1791. opportunum in id requisivit Beneplacitum, affixisque Ædictis de mandato S. hujus Congregationis pro Emphitheusi ad tertiam generationem masculinam inter plures Licitatores duos selegit Archiepiscopus, Cajetanum nempe Emilj, qui ceteros omnes vicerat per oblatum Canonem scutorum 82. ab omnibus oneribus etiam Missarum immunem, & Vincentium Graziani, qui dempto Missarum onere scuta despondit 86. 80., eodemque suscepto scuta 75. sub hac de cætero conditione in utroque casu, *che tutti gli Alberi esistenti in detti Beni debbano stimarsi prima della Concessione, e che del Capitale ne sia sempre l'Enfiteuta obligato a favore dello stesso Beneficio, e che la spesa delle Lettere Apostoliche sia a mio carico.*

Ad Emas Vestras igitur de his tantum rescribens Oblationibus ait, *quamvis meliorem fecisse, Emilium condionem certum sit; nihilominus prorsus prœligendum Gratianum humiliter censeo. Ille enim nil prorsus habet in Bonis, & in minori ætate est constitutus. Hic autem qui inter patricias Familias hujus Urbis recensetur opulento Patrimonio, quod ære alieno omnino vacat, est ample ditatus, potissimum quia ab alio Oblatore non longè distare videatur, & sumptus pro expediendis Litteris Apostolicis subire non renuat &c.* Nec mirum dixit, *si Bona hæc, quæ usque dum pro Num-*

mis

mis vigintisex locari consueverunt ad Canonem tam longè majorem ascenderint. Etenim Oblatores fere omnes, inter quos ipse Emilius in ea fuerunt sententia, ut sibi ipsis fas esset, & impune seu clam recidere eam enormem Arborum quantitatem, quæ certè adest in ipsis Bonis, & earum pretium in propriam utilitatem liberè convertere. Non sic autem censuit Gratianus vir integer, qui easdem Arbores ceteroquin annosas in æstimationem recipere, & de earum pretio se semper teneri velle favore Beneficii declaravit. Cumque interim Bonorum Conductor Berdossius rogasset, ne in suæ Locationis damnum Emphitheusis permitteretur, ad Clavarii preces Rescriptum fuit die 24. Martii 1792. *Pro facultate arbitria, & conscientia Archiepiscopi pro scutis* 86.80. *ad tertiam generationem masculinam Gratiani ad formam Oblationis incipien. finita quacumque legittima locatione, & sine præjudicio Litis pendentis coram A. C. Riganti salvo jure Vigesimæ, & Sextæ per Bullas.*

Ut primum hoc innotuit Rescriptum inter exclusos Oblatores gravis exarsit emulationis æstus. Siquidem die 12. posterioris mensis Martii Vigesimam obtulit Laurentius Bonanni, die rursus 30. sequentis Junii Sextam Cajetanus Emilj cum solidali Fidejussione Canonici Jo. Baptistæ Emilj, & die demum 28. Julii ejusdem anni Sextę item nomine Gregorius Ruggieri scuta addidit 63.20. supra Oblationem Gratiani, desponditque in totum Canonem scut. 150. Omnes vero de prælatione contendentes recursum habuerunt ad EE. VV., ne prima in favorem Gratiani sustineretur deliberatio; in id etiam supervenerunt preces Civium Lapedonæ, tum demum Beneficiati Clavarj, qui superventas omnes Oblationes reiiciendas rogabat de una certus Gratiani idoneitate. Semel hinc iterum, & tertio requisitus Archiepiscopus, ut omnibus præfixo termino ad deducendum Jura sua in Sac. Congregatione, transmissisque Oblationibus Vigesimę, & Sextæ de earum referret idoneitate, monuit præ cæteris de Vigesimario Bonanni nullam haberi posse rationem, cum vix interpellatus nuncium miserit suæ oblationi, illamque irritam dixerit ob minorem ejus ætatem. De Ruggerio deinde agens, hęc habuit = *In vili famulatu is fere usque ad hæc tempora stipem sibi comparavit, nilque in Bonis &c. actu possidet; spes sane est ei aliqua Bona recuperandi,*

sed

sed quæstio coram Judice adhuc est indecisa. Hinc mirum non est, si tam enormem oblationem titulo Sextæ modo præstiterit, pro cujus tamen firmitate, quod serio est animadvertendum nullum modo præstitit Fidejussorem, quem ceteroquin dedit in antecedenli oblatione (scutorum nempe 70. 50., quæ in prima obtulit Licitatione) *Animus ergo* (sic pergit) *Oratoris non est alius quam ut vel Grazianum divexet, vel potius, ut inito Emphiteusis contractu, sibi fas sit, impune, & clam eas Arbores in sui utilitatem incidere, quæ plurimæ sunt super Bonis in Emphiteusim concedendis, prout hoc ipsum innui in præcedentibus meis litteris*; probavitque demum Rectoris consilium his verbis = *Cæterum bene sentit* (Clavarius) *si cum solo Vincentio Graziani contractum ipsum Emphitheusis inire exoptat. Quotquot enim apparuerunt Oblatores nemo est qui ejus superet idoneitatem, ita ut inspecto ejus satis amplo Patrimonio & qualitate tuto asserere possim, unicum ad subeunda onera Contractus de quo agitur esse idoneum*, a quo tandem, advertit, jam litteras Apostolicas in vim rescripti Sacræ hujus Congregationis die 24. Martii elapsi anni expeditas, a die 25. posterioris Mensis Augusti in sua Curia fuisse productas. Ablegato itaque ad Folium examine *citatis partibus*, ex una Clavarius, & Gratianus contra Rugerium, & Emilium judicio sistunt, hi vicissim contra Gratianum, atque inter se de prelatione contendunt.

Omnes quidem prælationem deberi fatentur ei, qui meliorem fecerit Beneficii conditionem ex comuni regula *Text. in Leg. cum qui 7. §. melior ff. de in diem addict.*, *de qua Petr. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 111. n. 20.*, & *S. hæc Congregatio in Senogallien. Emphyteusis 18. Septembris 1790.* Suam de cætero oblationem omnibus præferendam defendit Gratianus, ex qua una cautum de indemnitate Arborum; tum etiam ob sui Patrimoni opulentiam, qua neque Ruggerius neque Emilius pollent, neque ei obstare credit, quod nil primævæ addiderit oblationi, cum in hoc prælationis judicio non de una Canonis quantitate habenda sit ratio, sed de idoneitate etiam, & divitiis Oblatorum, quibus inspectis, qui minus obtulit quandoque Licitatori amplioris summæ præfertur ex Sententia Ulpiani *in leg. 5. §. melior autem ff. de in diem addict.*, ibi = *Melior autem conditio*

ad-

adferri videtur si pretio sit additum, sed etsi nihil pretio addatur, solutio tamen afferatur facilior vel maturior, melior conditio adferri videtur. Ex iisdem rationibus illum prę̨ferendum rogat Clavarius, ne concessa Emphitheusi Ruggerio, vel Emilio, qui juxta Archiepiscopi relationem nil pene in Bonis habent, vel Canonum solutionem difficilius exigat, vel demum periclitentur Arbores existentes in Bonis Beneficii, quarum pretium ex Peritorum fide ascendere ait ad scuta fere bismille.

Contra Ruggerius suam omnibus meliorem ostendit oblationem, quod Sextę̨ titulo a scutis 86. 80., quot obtulit Gratianus, Canonem auxit ad annua scuta 150., tantam vero utilitatem haud facile respuendam, ut Gratiano concedatur prælatio, qui in prima permansit oblatione, vel Emilio qui unam obtulit Sextam in genere, proindeque Canonem a Gratiano oblatum vix auxit ad scuta centum. Suam deinde pessumdatam conditionem vindicat plurium Testium fide, qui Familiam Ruggieri inter magis civiles Oppidi Lapedonæ referunt, neque de cætero, quatenus etiam vilis fuisset originis, obstare putat ineundis contractibus. Ad suam demum probandam idoneitatem exemplum memorat Sac. Congregationis Boni Regiminis, quæ similem concessionem de Bonis Communitatis ejus favore decrevit; plurium Testium depositiones addit, qui patrimonium controversum, ab hereditate Federici proveniens constituunt in scutis 19000., ex quibus ei semper superessent scuta 9000. quoties etiam ceciderit controversia, de qua meminit Archiepiscopus, contra suam nempe Amitam Semissem illius hereditatis impetentem. Et demum Phalangem exhibet Fidejussorum, quorum nonnulli inter primarios Lapedonæ Cives possidentes, ex aliis Testium depositionibus esse constat.

Urget vicissim Emilius, Ruggerii oblationem uti serotinam esse rejiciendam. Hanc enim exhibitam sub die 28. Julii elapsi anni, post emensum quadrimestre supervenisse notat a die 24. Martii, qua Emphytheusim favore Gratiani deliberavit S. hæc Congregatio. Jam vero juxta Motum proprium *Benedicti XIV.* incipien. *Essendo* in ejus *Bullar. tom. 1. pag. 95.*, pro locationibus Cameræ Apostolicæ editum, atque ad Ecclesiæ etiam contractus extensum, Sextariis a die primæ deliberationis trium tantum mensium terminus præfinitur. His autem præmissis, eo magis sibi competere tenet prælationem contra Gratianum, qui Sextam non obtulit, ne-

neque ejus divitias suam excludere posse idoneitatem, dum præsertim germani fratris fidejussionem exhibuit, cujus Patrimonium in bonis stabilibus Peritorum fide extollit ad scuta 3214.

Pertinent hæc ad prælationem, ad tempus de cetero quod spectat, aliis silentibus, communi consilio Clavarius, & Gratianus Emphytheusis initium decernendum tenent a die 15. Decembris 1791., quo triennalis expiravit eorumdem Bonorum affictus. Notandum tamen, quod Clavarius nondum hac expirata locatione ab anno 1790., aliam ad triennium inierat cum Berdossio incipien. a die prima Januarii 1792., quæ fuit ex sententia A.C. confirmata; qua de re S. hæc Congregatio, ne partæ victoriæ coram A.C. is fructus amitteret, die 24. Martii elapsi anni veniam dedit pro Emphytheusi, *incipien. finita quacumque legittima locatione*.

Proponitur ergo Dubium.

An, cujus favore, & a quo tempore sit locus stipulationi Instrumenti Emphytheusis in casu &c.

Affirmative favore Ruggieri incipien. finita quacumque legitima locatione, & præstita idonea fidejussione ab Archiepiscopo approbanda; nec non præfigiendum esse terminum unius mensis Gratiano ad deliberandum super prælatione.

Ses. 24. cap. 12. de Reform., & Sess. 25. cap. 5. de reform.

SENOGALLIEN. CANONICATUS. Sub uno Testamento Sancta Verri vidua Sanctis Piermartini, ejusque filii Canonicus Angelus, & Francisca Antonia Piermartini mandarunt anno 1753., ut post omnium obitum duo erigerentur canonicales Præbendæ in Collegiata S. Marię de Misericordia Oppidi Belviderii, ad quarum unam spectarent Prædia in vocabulo *della Pieve, e Monteleo*, ad alteram vero Latifundium *del Crocifisso*, & Arundinetum situm prope Oppidi mœnia. Quæ fuerint conditiones, & onera Possessori primæ Præbendæ injuncta inutiliter requirerentur, cum de altero tantum quæstio sit Canonicatu; atque unum scire præstat, Testatores de passiva quoad Canonicatum illum vocatione ita disposuisse. *Questo Canonico sia una volta della Casa di Agata Piermartini &c. maritata in Casa Carotti di Monte Carotto, ed un' altra vol-*

volta sia eletto uno della Casa di Lucia Piermartini maritata in Casa Piccini in S. Marcello .

Ad alteram vero, de qua tantum agitur, Præbendam, cui præter Arundinetum Testatores assignaverant Prædium *del Crocifisso*, vocarunt *uno di Casa del Signor Pietro Maria Verri di Belvedere* sub lege tamen, *che la linea mascolina preceda alla feminina, ma in mancanza di quella non privano questa*; & quoties *Casa Verri non avesse alcun Sacerdote o Chierico, e vi fosse in una delle Case sopradette di Agata* [Carotti] *e Lucia, sia eletto uno delle dette due Linee, e quando neppure in niuna di esse due linee vi fosse si elegga uno di Belvedere, e mai forastiere*; cumque demum Possessori pro tempore injunxissent implementum Missæ hebdomadalis, jus nominandi ad utramque Præbendam concesserunt ejusdem Collegiatæ Canonicis excepta tamen prima nominatione, quam his verbis sibi reservarunt . *Tutti tre i Testatori &c. vogliono essere in piena libertà, e dominio di cadauno di loro di nominare in individuo per la prima volta i due Canonici da loro creati .*

Cum hac dispositione obiit Sancta Verri, superstitesque Filii Canonicus Angelus, & Francisca Antonia ab ea recedentes anno 1759., separatis licet Tabulis pari tamen consilio, & voluntate sibi heredes ex asse fecerunt Monacos Cistercienses SS. Viti & Modesti de Urbe, inter quos duo Testatorum germani Fratres vota solemnia nuncupaverant. Licet vero hanc novam dispositionem anno 1763. Canonicus ratam habuerit, despondens sub fide juramenti, se nunquam ab ea discessurum, citò tamen inconsultę penituit promissionis, jamque revolvens animo, ob interim præmortuam Sororem sub ea dispositione, pessumdata fore Matris vota, quoad erectionem Canonicatuum nisi ipse denuo mutaret voluntatem, ad Sanctissimum confugit, implorans facultatem commutandi tam suum, quam Sororis Testamentum favore Cisterciensium conditum, *col dare* (sunt verba supplicis Libelli) *primieramente luogo alla disposizione fatta dalla defonta Madre dell'erezione del Canonicato colla sola facoltà però di riservarsi il detto Oratore il gius di nominare, ed il restante capitale poi erogarlo nell'erezione di una publica Scuola di Maestre pie in detta Terra*; hisque probatis præcibus ab Emo Episcopo ex Audientia SSmi diei 26. Junii 1782. Gratiam obtinuit per rescriptum =

Firma remanente executione voluntatis Sanctæ Piermartini ad formam omnino ejus Testamenti, Sanctissimus benignè annuit pro Gratia absolutionis Oratoris ab omni juramento, & obligatione susceptæ, nec non commutationis voluntatis ejusdem Sororis arbitrio, & juxta votum Emi Episcopi (nempe in pium Opus Magistrarum) *attento consensu P. Generalis Ordinis.*

Tertium itaque Canonicus Piermartini exaravit Testamentum anno 1789., quo maternæ inhærens voluntati, & SSmi rescripto canonicalem Præbendam erigi jussit post ejus obitum, demptoque Arundineto, unum in dotem assignavit Latifundium *del Crocifisso*, cumque hujus pretium scutorum mille longe superaret dotale creditum scutorum 450. pro quibus sustineri debuisset materna dispositio, ideirco declaravit = *che il maggior valore della Possessione assegnata supplisca la mancanza del Canneto*. De passiva porro nominatione disposuit, ut spectaret primum ad Lineam masculinam, deindeque fœmininam Familiæ Verri, & utraque deficiente, *o che non avesse Prete, o Chierico* substituit descendentes Agathæ Carotti, & Luciæ Piccini, & quemadmodum in materno Testamento cautum fuerat, lineam masculinam fœmininæ præferri jussit, deditque legem alternativæ, quoad passive vocatos, *quando tutte due le dette Famiglie avessero il Prete, o Chierico*. Confirmavit porro Capitulo Collegiatæ activum jusnominandi, dummodo deficientibus contemplatis seligerent *un Prete, o Chierico nativo di Belvedere &c. il più adattato al servizio del Coro, di miglior voce corale, colla prelazione di chi saprà il Cantofermo*; confirmavit rursus Possessori hujus novi Canonicatus onus Missæ hebdomadalis; & nonnulla demum Legata, in materno Testamento scripta, scilicet *libre* 53. *di grano, due barili di mosto, e trè bocali, e due libre d'Olio* Patribus Reformatis, nec non annuum subsidium scutorum quinque, pauperibus Oppidi Puellis restituit *da pigliarsi annualmente dal fruttato della mia Eredità*.

Nonnihil vero à materna discessit voluntate, dum Clericum ex passivè contemplatis ab onere Divini Officii exemit *fintantochè non sarà ordinato Suddiacono*; à chorali rursus frequentia studiorum causa, donec ad vigesimum quintum pervenerit ætatis annum, & reservata demum utens facultate nominavit in primum

Ca-

Canonicum = *uno de' Figli che sarà capace di prima Tonsura della Signora Giovanna Bevilacqua discendente da linea feminina di Casa Verri*, eumque instituendum voluit *ancorchè non abbia l'età di quattordici anni richiesta dal Concilio di Trento*; & quatenus demum nominatus ipse, *non potesse per qualunque causa godere dopo la mia morte il sudetto Canonicato*, tunc suspensa electione, reditus in augmentum Præbendæ cedere jussit, *finchè rimossa la Causa supposta possa esso goderlo, e andarne al possesso*.

His obsignatis Tabulis occubuit Canonicus die 27. Martii 1789., & sub die 7. sequentis Junii Franciscus Maria filius Joannæ Bevilacqua, ætatem agens annorum decem, uti unus ex vocatis ad primam nominationem, clericali Tonsura initiari curavit, deindeque ad Sac. hanc Congregationem recurrit pro dispensatione super ætatis defectu, atque habilitatione, ut ad formam novissimi Testamenti Canonici Piermartini erigendo Canonicato frui posset. Precibus non obstitit Collegiatæ Capitulum, dummodo fieret erectio salva dispositione Sanctæ Verri, & præsertim, *che quanto più presto sia possibile venga in Coro l'Eletto, avendo bisogno il detto Coro d'Individui per mancanza di voci*; Eñus vero Archipresbiter Lateranensis Basilicæ in cujus Solo fundata est Belviderii Collegiata Oratori indulgendum censuit *parvipensis conditionibus Canonicorum*, atque in eadem sententia fuit Eñus Episcopus, restricta tamen Gratia ad unum Clericum Bevilacqua, ne successores in Canonicatu, exemptionibus & privilegiis frui possint, quæ Piermartinus ultima dispositione, omnibus concessit passivè contemplatis. Præfixo interim Canonicis termino ad deducendum Jura sua in S. Congregatione, contentioni se immiscuit Sacerdos Augustinus Carotti, purificatam sui favore autumans vocationem ad Canonicatum, admissusque ad Causam, cum Capitulo sub infrascriptis Dubiis communem exhibet defensionem contra Clericum Bevilacqua.

Ut Canonicatus erectio ad tramites solius Testamenti Sanctæ Verri decernatur ab Eñis VV., memorat præ cæteris communis Defensor Capituli, & Sacerdotis Carotti, Sanctissimi Rescriptum, quo non aliter Piermartinus veniam obtinuit revocandi præcedens Testamentum, quam *firma remanente executione voluntatis*

tis Sanctæ Piermartini ad formam omnino ejus Testamenti. Ex hac vero Rescripti formula cum simplex esset maternæ dispositionis Exequutor, quidquid ab ea discrepat, sive quoad imminutam dotem, electionem Clerici non attingentis conciliarem ætatem, permissamque absentiam à chorali servitio usque ad annum 25., sive demum quoad alias omnes conditiones cum Canonici qualitate repugnantes, inutiliter Piermartinum novissimis Tabulis jussisse tenet ex vulgata regula, de qua *Lambertin. de Jurepat. lib.* 3. *artic.*3. *quæst.* 5. *num.* 4., *Vivian. eod. tract. lib.* 14. *cap.* 3. *num.*6. & 7., *Piton. discept. eccles.* 25. *num.* 9., & *S. Congregatio in Ariminen. Cappellaniæ* 26. *Februarii* 1774. Concedit quidem, ut diversam quis à Fundatione quandoque Legem ferre possit, sed tria requirit ex sententia *S.Rotæ in dec.*705. *n.*26. & *seq. cor. Olivatio*; dotis nempe augmentum,consensum rursus Episcopi, & Patronorum, quibus ad formam primævæ fundationis quæsitum erat jus ad futuram Præbendam; cumque de hoc non constet consensu, ad augmentum dotis quod pertinet, illud ex eo negat, quod licet Sancta de suo tantum dotali Credito scutorum 450. disponere potuisset, nulla tamen in comuni elogio facta est Patrimonii distinctio, sed omnes pro indiviso Testatores assignarunt canonicali Præbendæ Latifundium *del Crocifisso*, atque Arundinetum. Quatenus vero hæc facienda nunc sit, advertit, Piermartinum dempto Arundineto unum Præbendæ restituisse Prædium *del Crocifisso*. Ab hoc autem Prædio licet valoris scutorum mille detrahendam monet maternam dotem, & legitimam rursus Sororis, ut inde concludat non eam de suo contulisse largitionem, ex qua insignis Benefactoris nomen mereri valeat. Neque enim Sororis legitima in eo Latifundio cedere poterat in pium Opus magistrarum, ne simultaneum Matris & Filiæ Testamentum, cujus Sanctissimus firmam voluit executionem in diversa scindatur.

His de cætero missis quæstionibus ad comunem Canonistarum Regulam recurrit, qua cautum ut inter plures Dotantes licet quis minus conferat, æqualiter tamen cum aliis Juspatronatus acquirit, *Garzia de Benef. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 55., & *Lambertin. de Jurep. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 5. *num.* 1. & 2., quod proinde ob majorem largitionem alter invadere nequit, at-

atque ex his tandem, ut Sanctæ Piermartini exequatur dispositio, ad formam Rescripti SSmi, restituendum præ cæteris rogat Præbendæ ademptum Arundinetum; præfiniendam rursus quoad eligendos 14. annorum ætatem, eosdemque chorali servitio gravandos, prout quoad ætatem, decreverunt Tridentini Patres *in Sess.* 23. *cap.* 6., *de reformat.*, & quoad choralem interessentiam *in Sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* Hæc namque onera, de quibus nulla fit mentio in communi Testamento, sub Juris dispositione relicta fuisse videntur ad *Text. in cap. Quoniam de Jurepatr.*

Servatam contra fuisse notat Clericus Bevilacqua voluntatem Sanctæ Verri quoad omnia, quæ ejus tangunt substantiam. Siquidem canonicalem is erigi jussit Prębendam in ipsa Collegiata Belviderii; onus hebdomadalis Missæ Canonico pro tempore confirmavit; Capitulo ejusdem Collegiatæ, excepta prima nominatione, activum jusnominandi tribuit, reservata passiva vocatione iisdemFamiliis in materno Testamento contemplatis; & demum in eorum defectum, extraneis exclusis, Cives Belviderii vocavit. His itaque juxta maternam voluntatem dispositis, novas Leges quas Piermartinus addidit omnino confirmandas defendit ex canonica Jurisprudentia, quæ Fundatori, aut insigni Benefactori concedit, ut conditiones quaslibet etiam dispositioni Juris repugnantes in limine Fundationis adiicere possit *Piton. de controvers. Patron. allegat.* 80. *num.* 6., *Fargna de Jurepatron part.* 2. *can.* 27. *cas.* 3. *num.* 1., & *Rota decis.* 136. *num.* 11. *coram Kaunitz.* Hæc enim ex æquitate SS. Canonum data est venia, ne Fideles a piis Operibus retrahantur, ut ponderant *Lotter. de re benef. part.* 1. *quæst.* 52. *num.* 14., *Piton. discept. Eccles.* 25. *num.* 9., & *Fargna loco citat. in comment. num.* 1.

Qualitatem vero insignis Benefactoris in Piermartino ex eo probat, quod per emptionem is contigui Terreni cujus pretium in scutis 100. 60. Periti statuerunt, ampliarit Latifundium *del Crocifisso*; quodque illud scutis mille æstimatum pene integrum in Beneficii dotem de suo contulerit patrimonio. A materna enim dote scutorum 450. scuta detrahit 89. 50., quot juxta fidem Peritorum ad implenda requiruntur Legata frumenti, Vini, & Olei, nec non annui dotalis subsidii, quibus Piermartinus ipse liberavit Præbendæ Possessorem,

ju-

jubens, ut ex fructibus *suæ* hereditatis solverentur, detrahitque rursus legittimam in triente scutorum 150, hisque factis detractionibus concludit quod ex materna dote vix scuta 210. 50. supererant ad Canonicatus erectionem. Nullam porro habendam rationem de legitima Sororis quota super Latifundium illud, quod ex primo etiam Testamento Canonicatui erigendo fuerat addictum quoties per secundas Tabulas favore Cisterciensium jam ab ea dispositione Soror recesserat, & vicissim juxta litteralem Rescripti intelligentiam, facultatem a SSmo impetravit Piermartinus commutandi in pium opus Magistrarum secundã illius dispositionem. Conditiones demum a Canonico Piermartino adiectas uti licitas defendit, quia vetitũ ex jure non est quin ex speciali fundatione ab onere Divini Officii Beneficiatus eximatur, *Less. de Just.*, & *Jur. lib.* 2. *cap.* 34. *de Benef. dubit.* 30. *num.* 166., *Furgna de Jurepatr. part.* 2. *can.* 27. *cas.* 3. *num.* 13., ex jure iterum concessum ait absentiam studiorum gratia, *Piri rg'h. in lib.* 3. *decret. tit.* 4. *n.* 16., & *Reiffuestuel. ibid. num.* 14., & veniam demum celebrandi per alium ex ipso desumit Sanctæ, Testamento, quo vocatus fuit Sacerdos, aut Clericus, cui proinde Beneficium obtinenti, tacite permissum fuisse videtur implementum per alium.

Ad secundum quod pertinet Dubium, institutionem sibi vindicat Carottus ex verbis illis communis Testamenti, *se Casa Verri non avesse Sacerdote o Chierico, e vi fosse in una delle Case spradette di Agata* (Carotti) *e Lucia &c. sia eletto uno delle dette due Linee*. Hanc enim substitutionem sui favore purificatam esse tenet, cum de tempore obitus Canonici Piermartini, quo factus est locus erectioni Canonicatus, in Familia Verri Clericus deficeret, & ipse vicissim qui ab Agatha Carotti descendit, iamdiu Sacerdotio decoratus esset. Explorati namque Juris est in re beneficiaria, institutionem ei deberi qui juxta Fundatoris mentem volita pollet qualitate, quique licet nominatione careus, tamquam ab ipso Fundatore nominatus habetur ad tradita per *Lotter. de re benef. lib. primo quæst.* 36. *num.* 16., & *seq.*, *Piton. addit. ad discept.* 14. *num.* 13. *Rota decis.* 12. *coram Rovarella*, & *in Hortana Capellaniæ super Immissione* 26. *Januarii* 1777. §. 12. *coram Litta*. Ut porro superventam reiciat post lapsum circiter trium mensium ab obitu Ca-

nonici, qualitatem Clericalem in Francisco Maria Bevilacqua, distinguit inter qualitates a *Jure*, vel *Homine* requisitas, ut inde concludat, quod primas adesse sufficiat tantum habitu, non item alias, quæ actu concurrant oportet ex doctrina *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 47. num.6. & seq.*, & *Tondut. resolut. benef. part.1. cap.118. num.27.*

Actu tandem requisitum fuisse Clericatum ex iis desumit Comunis Testamenti verbis = *Se Casa Verri non avesse Sacerdote, o Chierico, e vi fossero in una delle Case sopradette &c. sia eletto uno delle dette due Linee*; quod sane verbum *sia eletto*, cum electionis, & præstationis tempus respiciat, actu in eligendo volitam fuisse demonstrat qualitatem Clericatus, ut disserit *Vannespennius in Jus eccles. part.2. tit.19. cap.2. num.4. & 5.*, & *Tondut. resolut. benef. part. 1. cap. 118. num. 27.* Jam vero electionis tempus cum venisset ab ipso momento obitus Canonici Piermartini, nemo institutionem sibi augurari posse tenet, nisi qui de tempore ipsius obitus clericalem jam exhiberet qualitatem. Neque obstare credit, quod Testatores comuni elogio primam sibi reservarint nominationem *in individuo* quia hæc facultas restricta videri debet ad genus vocatorum cum suis tamen qualitatibus, atque hanc demum interpretationem eo sane magis retinendam memorat in præsenti casu, quo ex una concurrit Carottus jamdiu Sacerdotio initiatus, pluribusque pollens meritis ad Chori & Ecclesiæ servitium aptissimus, ex altera vero simplex Clericus primæ Tonsuræ qui præ ætate, cæterisque requisitis ad sustinenda Canonicatus onera minus aptus videri posset. Siquidem de jure est ut inter æque dilectos ætate major & ordine Clericali antiquior, uti magis idoneus præferatur ut firmant *Amost. de caus. piis lib.3. cap.10. numer. 47. in fin.*, *Piton. de controvers. Patron. allegat. 85. num.15.*, *Panimoll. decis. 191. adnot.1. num. 12.*, & *Tondut. de Pens. decis.20. num.3.*

Institutionem contra sibi debitam contendit Bevilacqua, nedum quia ex linea fęminina descendit Familiæ Verri, quam Sancta Verri comuni elogio contemplavit, sed etiam quia nominatus fuit ab Angelo Piermartini, qui hanc nominationem & in primo Testamento, & in precibus SSmo porrectis sibi reservaverat. His autem probatis extremis invidendam non esse Præbendæ posses-

sessionem ob simplicem defectum ætatis ; neque enim obstat obtinendis Beneficiis, quoties ex fundatione minores ætate conciliari admittantur, *Piton de controvers. Patron. allegat.* 80. *num.*30., *Leuren. for. benef. quæst.* 30. *tom.*1. *num.*2., *& quæst.* 160. *num.* 1. *part.* 2., & quoties etiam obstaret, sublatum memorat impedimentum, cum jam decimum quartum tetigerit suæ ætatis Annum, qualis requiritur ætas ad obtinendos Canonicatus Collegiatarum, ut advertunt *Piton. de controvers. Patron. allegat.* 42.*num.*3., *& Piringh. in lib.*1. *decret. tit.*14. *sub. num.*12. Hanc suam de cætero ętatem eo magis sufficere tenet in presenti casu quo Fundatores communi Testamento simplices etiam Clericos vocarunt, *Fagnan. in cap. cum in cunctis de elect. num.* 71., *& de Luc. de Benef. discurs.*91. *num.*10. .

Ne vero ad obtinendum Beneficium obstare videatur superventa clericalis qualitas post obitum Canonici, notandum rogat ab Emis VV., quod intra Quadrimestre concessum Patronis laicis ad præsentandum primæ initiatus fuit Tonsuræ; quodque proinde hæc qualitas etiamsi requisita per Fundatorem in actu electionis, aut institutionis, tempore tamen habili in ipso supervenit, quod sane sufficit,ut qualificatus juxta Fundatoris voluntatem reputari debeat ; *Piton. de controv. Patron. allegat.* 61. *num.* 14. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 47. *num.*29., *& Rota decis.* 136. *num.*15. *coram Kannitz.* Secum ergo ex his reputent Emi Patres num Carottus, qui in secunda vocationis sede repositus fuit per ea verba = *Se Casa Verri non avesse alcun Sacerdote, o Chierico, e vi fosse in una delle Case sopradette di Agata* (Carotti) *e Lucia, sia eletto uno delle dette due Linee,* præferri debeat Clerico Bevilacqua, qui nedum ex Familia Verri descendit in prima vocationis sede contemplata, sed Testatoris etiam præsefert nominationem. Quamvis profecto inter pares gradu, & æque dilectos ætate major & ordine clericali antiquior sit seligendus ; hanc tamen prælationem sibi ex jure augurari nequit, qui remotiori est gradu, & in diverso substitutionis ordine fuit contemplatus ut ad *Text. in cap. cum in cunctis de elect.* observant. *Vivian. de Jurepatr. lib.* 12. *cap.*9. *num.* 25., *Piton. de controv. Patron. allegat.*10. *num.*9., *& Tondut. quæst. benef. part.*3. *cap.* 157. *num.*6.

Du-

Dubia sunt :

I. *An, & quomodo sit locus erectioni Canonicatus in casu &c.*

II. *An, & cui sit danda institutio in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta Votum Eminentissimi Arpresbyteri, & amplius.

Ad II. Institutionem dandam esse Clerico Bevilacqua, & amplius.

PERUSINA MONTIS PIETATIS. In Pauperum levamen duo sunt Perusiæ Montes Pietatis; primus ex veteri piorum Civium fundatione a Seculo XV. originem habuit; alter ex recentiori munificientia Raynerii Consolini, qui labente *Seculo* XVI. cum fundo scutorum 14000. novum Montem erexit idcirco nuncupatum *Monte consolino*. Pium hoc opus dum probavit san. mem. Clemens VIII. facultatem simul fecit illius moderatoribus exigendi a Mutuatariis scuta duo supra sortem pro quolibet centenario, & anno, ut Ministrorum stipendio, aliisque necessariis sumptibus consultum esset. Graviores tamen erant Usuræ in annuis nempe scutis tribus pro centenario, quas exigere solebant atque adhuc solent alterius montis Ministri; quo factum, ut quisque minori allectus Interusurio res oppignerandas ad Montem consolinum deferret. Tot ergo Pignoribus cum perbrevi temporis decursu vires defecissent, diu clausus Mons ipse remansit, iterumque ad primævum restitutus exercitium veniam impetravit a San. mem. Clemente XII. exigendi ad decennium scuta tria pro centenario, ut hoc Usurarum augmento a passis reficeretur ærumnis. *Sess.* 22 *cap.* 8. *de Reform.*

De perpetua hujus indulti prorogatione apud Emas Vestras Montis consolini Rectores egerunt anno 1771., constitutque, referente Episcopo, quod omnia tunc ipsius Montis Capitalia efferebantur ad scuta 12780. 15., quodque superiori decennio omnibus demptis certis, incertisque expensis a Pignorum Interusuriis, Mons fuerat in lucro scutorum 1835. 11., quam quidem pecuniæ vim servandam proposuit pro expensis *ex inopinato rerum eventu, aut infortuniis* quandoque contingentibus, prout hæc omnia pandit Folium publici Juris fa-

ctum die 14. Decembris 1771. Cum tamen propositum fuisset Dubium, *An Rectoribus Montis consolini Perusiæ sit concedendum indultum perpetuo exigendi scuta tria pro quolibet centenario*, Emi Patres die 11. Januarii 1772. rescripserunt, *affirmative ad decennium facto verbo cum Sanctissimo, & Episcopus incumbat Investimento faciendo*. Hoc expirato decennio, & renovata per Rectores similis prorogationis Instantia compertum est, in irritum cessisse S. hujus Congregationis mandata quoad iniunctum investimentum de præmisso Usurarum lucro. Ad novas enim preces monuit Episcopus, quod lucrum illud scutorum 1835. 11. jam ab anno 1771. erogatum fuerat *in totidem Pignoribus existentibus in dicto Monte, ita ut per errorem expositum fuerit de dicto anno EE.VV. dictas pecunias existere &c. ideoque summam quam investiendam præceperunt EE. VV. erat comprehensa in Capitali Montis idest in Pignoribus*.

Sermonem deinde convertens ad ejusdem Montis activum, & passivum Statum notabat, ab anno 1771. ad totum mensem Decembris 1780. aucta fuisse montis capitalia in scutis 510. 73., quæ omnibus deductis expensis Mons ipse superlucratus fuerat ex Pignorum usuris, in annuis nempe scutis 51. 07. atque hæc demum addidit, *satis non est, ut absque exactione scutorum trium ab Oppignerantibus Mons præfatus in posterum exerceri valeat. Inspectis enim Codicibus ipsius Montis, fructus certi qui annuatim percipiuntur ex illius Capitalibus pertingunt tantum summam scutorum 76. 90.. E contra vero exitus pro stipendiis Ministrorum ascendit ad summam scutorum 266. 74.. Præterea animadversione dignum esse censeo, quod inopinatis casibus est providendum, conservandæ sunt Ædes, existit alter Mons in hac Civitate, qui scuta tria pro centenario a Mutuatariis exigit unde si denegaretur petita facultas Monti consolino, omnes minori Interusurio allecti ad ipsum confluerent & quam cito cum notabili Pauperum damno universa ex Ærario pecunia deficeret*. Iterum ergo quæsitum fuit, *an Rectoribus Montis consolini Perusiæ ad aliud decennium sit prorogandum indultum exigendi scuta tria pro quolibet centenario, & anno*, iterumque rescriptum die 14. Decembris 1782., *affirmative, & scribatur Episcopo quod anno quolibet investiatur summa, quæ annuatim supererit, nec non referat de annuo reditu alterius Montis pietatis*.

Ter-

Tertiam nuper hujus Indulti prorogationem flagitarunt illius Montis Rectores, retulitque in absentiam Episcopi Vicarius generalis, *investimenta per EE. VV. demandata* 14. *Decembris* 1782. *de pecuniis quæ annuatim supererint, minime adimpleta*. Postremo hoc autem decennio constat ab exhibitis computis, quod reditus ascendit ad scuta 3318. 92½, exitus ad scuta 2974. 22., qua de re exhuberantes reditus fuerunt scutor. 344. 70½ in annuis nempe scutis 34. 47. Juxta fidem porro Ratiocinatoris, alterius Montis reditus consistunt in annuis scutis 280., *quem de cetero* [ait Vicarius generalis] *scitu dignum est ob multa passa infortunia & signanter nuperrima in scutis quatuorcentum supra duodecim millia per ultimum contumacem Capserium expilata vigere modo ex taxa per Munificentissimum, Sanctissimumque Pontificem super nonnullis Locis piis constabilita*. Quibus notatis quoad petitam demum prorogationis gratiam ad præcedentem se referens Episcopi informationem ita concludit. *Quæ tunc* [Anno scilicet 1782.] *rationum momenta in medium accuratissimè prolata eximiam benignitatem vestram excitarunt &c. eadem nunc ad imploratam obtinendam gratiam militare haud videtur ambigendum, & ne dicta repetam, omitto sperans id minime apud clementiam vestram reprobatum iri*. De more itaque ad Folium ablegato hujus petitionis examine, jura Montis consolini per memoriale Emis Vestris circumferuntur.

Constitutionem Leonis X. *Inter multiplices* editam in Lateranensi Concilio V. præmittunt Oratores, ut licitam in genere demonstrent exactionem Usurarum, quibus ad tramites ipsius Constitutionis Ministrorum stipendio, aliisque necessariis sumptibus, ad Montis conservationem prospicitur: quoad causas vero indulgendæ Prorogationis ita ratiocinantur. Novit, inquiunt, Sacra hæc Congregatio anno 1772. necessitatem prorogandi ad decennium primævum Indultum, licet Montis consolini capitalia ab Usurarum lucro aucta fuissent in scutis 1835. 11., iterumque novit anno 1782., quo ab iisdem Usuris aliud acceperant incrementum scutorum 510. 73. Eadem ergo nunc utendum concludunt æquitate, cum lucrum novissimo decennio perceptum longè inferiorem pertingat summam scutorum 344. 70. Prudenti autem consilio omissum notant investimentum ab Emis Vestris imperatum; non unum enim idemque fuit quolibet anno montis exitus, atque introitus,

& fieri idcirco poterat, ut quæ summa præcedenti anno investita fuerat, posteriori ad necessarios sumptus deesset.

Notandum tamen, quod semel & iterum Sacra hæc Congregatio rationes hujusmodi prospiciendi extraordinariis sumptibus ab Episcopi informationibus accepit, & nihilominus investimentum de reditu exhuberanti demandavit; quod ideo volitum fuisse videtur, ut auctis Montis consolini reditibus cessaret tandem necessitas exigendi Usurarum loco a Mutuatariis scuta tria pro centenario, atque ut reducerentur tandem usuræ ad scuta duo juxta Taxam, quam in fundatione ipsius Montis Clemens VIII. permiserat. Neglectum ergo videri posset investimentum, ut iisdem semper subsistentibus causis necessitas prorogandi primævum indultum emergeret, quæque Gratia ad tempus ab initio concessa fuit prorogationum ope fieret perpetua. Ex iis de cetero quæ in facto & relatione Vicarii generalis notata sunt deliberabunt Emi Patres, num necessariæ concurrant novæ prorogationis causæ. Ad eas excludendas notari posset, quod alterius Montis reditus consistunt in annuis scutis 280., neque fortasse necessarium, ut per petitam prorogationem augeantur Montis consolini reditus ad annua circiter scuta 332., quot novissimo decennio percepisse constat. Siquidem minores reditus sufficere possent ad rectam illius administrationem, reformatis præsertim superfluis expensis, quemadmodum alterius montis manutentioni sufficiunt. Deneganda igitur videretur Gratia, nisi ob unum illius Montis exemplum Emi Patres aliter decernendum reputent. Quoties enim ille a Mutuatariis exigit scuta tria pro centenario, si Mons consolinus Interusuria ad scuta duo reduxerit, omnium Pignorum copia depauperatus facile ad veterem redibit indigentiam.

Quæritur ergo.

An Rectoribus Montis consolini Perusiæ ad aliud decennium sit prorogandum Indultum exigendi scuta tria pro quolibet centenario in casu &c.

Prorogandum esse Indultum usque dum reintegrata fuerit primæva Dos Montis in summa scutorum 14000., & Episcopus invigilet pro omnimoda executione qua sequuta certioret.

CAME-

CAMERINEN. Laicalem Cappellaniam Canonicus olim Jacobus Mancini Testamento erigi jussit anno 1765. in rurali Ecclesia S. Francisci de Paula, quam ipse vivens suo sumptu ædificari curaverat penes Villam *delle Calve*. In dotem assignavit Testator activum censum scutorum mille, annuique reditus scutorum 35. injuncto Rectoribus onere, *di dovere col frutto medesimo celebrare in detta Chiesa sei Feste l'anno; cioè una il giorno di S. Francesco di Paola, la seconda di S. Giacomo Apostolo, la terza il dì della Consecrazione di essa Chiesa, la quarta il dì dell' Ottava di essa Consecrazione, la quinta il dì della Purificazione della Vergine SSma, e la sesta il dì dell' Ottava de' Morti, ed in ognuna di dette Feste debba farsi celebrare cinque Messe coll'elemosina di trè paoli per Messa. Debba inoltre col medesimo fruttato mantenere detta Chiesa, e li suoi suppellettili decentemente, ed il residuo debba impiegarlo in celebrazione di tante Messe alla ragione di bajocchi venti per ciascheduna Messa*. Oneribus vero ita dispositis in primum Cappellanum nominavit Ludovicum Franceschini, post cujus obitum, Nicolaæ Mancini heredi usufructuariæ tribuit Jus nominandi, deindeque proprietariis heredibus, eorumque descendentibus in infinitum. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Ex litera Fundationis Sacerdos Ludovicus Franceschini primo nominatus injunctum censuit implementum Onerum in rurali Ecclesia S. Francisci de Paula, quoad Missas tantum in sex præscriptis solemnitatibus celebrandas; his ergo exceptis, ceteras Missas a die adeptæ Possessionis implere cæpit in alia Ecclesia Civitatis Camerini, atque hac methodo ad annum 1785. injunctis oneribus satisfecit. Tunc vero ob reprobatam in Sacra Visitatione celebrationem earumdem Missarum extra titularem Ecclesiam S. Francisci de Paula, Sac. hanc Congregationem exoravit, ut implementum hujusmodi quoad præteritum & futurum etiam probaret. Precibus absque ulla conditione consensum dederunt Heredes proprietarii; non ita tamen Heres usufructuaria, & Parochus Villæ Palentis intra cujus limites situm est rurale Templum S. Francisci. Prima siquidem annuit dummodo in sui, & circumstantium Villicorum comodum festiva ex transferendis Missis relinqueretur celebratio in prædicta Ecclesia; alter vero præsumptæ innixus Testatoris voluntati, vel ad Paræciam trantferenda

renda substinuit hæc onera sub eadem lege festivæ celebrationis, ut Parochiani diebus festis secundæ Missæ utilitate gauderent, vel servandum omninò implementum *nella Filiale delle Calve, mai però in altra Chiesa estranea dalla Parochia di Pianpalente ne' giorni feriali per non distrarre ne' giorni festivi, e impedire il concorso del Popolo alla propria Parochia.*

In tanta opinionum discrepantia; cum suum reticuisset judicium Vicarius generalis qui absente camerinensi Antistite ad Sacram hanc Congregationem retulerat, die 11. Martii 1786. rescriptum fuit, *firmo remanente onere sex Festorum ad formam Testamenti, quoad reliquas Missas pro Gratia arbitrio Episcopi, & in Ecclesia ab ipso designata, dummodo diebus festis celebretur in Ecclesia in Testamento præscripta, servata forma Constitutionis Et si minime*; *& quoad præteritum pro Gratia absolutionis, dummodo constet de celebratione omnium Missarum*. Statim vero Franceschinius reclamavit contra injunctum onus festivæ celebrationis in Ecclesia titulari, rogavitque, ut communicata Positione, in hac parte rescripti exequutio suspenderetur; rejectis tamen precibus sub die 2. Decembris ejusdem anni per rescriptum *in decretis*, tertio ad EE. VV. recurrit, ut declarare dignentur, liberum esse controversi oneris implementum in qualibet Ecclesia, vel hanc saltem veniam ad sui vitam concedere; iterumque rogatus camerinensis Archiepiscopus, ut terminum præfigeret Interesse habentibus ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, injuncto is muneri satisfecisse retulit, præfixo quoad omnes termino unius mensis, atque una tantum omissa interpellatione usufructuariæ heredis, quoniam universa jura sua circa eamdem hereditatem, & capellaniam jam legitimè cesserat heredibus proprietariis; cumque nemo hactenus Contradictoris partes hac in re susceperit, ex officio Franceschinii preces ad vestrum deferuntur examen.

Arbitrium celebrandi ubique Missas, de quibus quæritur ex his desumit Orator Testatoris verbis: *il residuo debba impiegarlo in celebrazione di tante Messe alla ragione di bajocchi venti per ciascheduna Messa*; Quoties enim Testator certam non designaverit Ecclesiam, liberum reliquisse videtur celebrationis Locum, juxta *Pasqualig. de Legat. pro celebrat. Miss. quæst. 996. nu. 4. tom. 2.*

Id-

idque magis magisque colligitur a discretiva, cum Testator de celebrandis disserens Solemnitatibus earum implementum expresse imperaverit = *in detta Chiesa*, de qua vicissim si mentionem reticuit, ubi de aliis egit Missarum oneribus, ibidem celebrationem noluisse præsumitur. Diversa hæc enim disponendi ratio, diversam quoque indicat voluntatem ad tradita per *Piton. de controvers. Patron. allegat.* 42. *num.* 10., & *Benedict. XIV. de Sacr. Miss. Sacrif. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 3., illudque demum accedit, quod ab erectione Capellaniæ usque ad annum 1785. per integrum scilicet viginti annorum spatium, uno excepto onere sex annuis Festis adjuncto, cæteris Missis Orator extra Ecclesiam Sancti Francisci de Paula satisfieri curavit, ex qua quidem observantia dubiæ dispositionis sumenda esset interpretatio ad *Text. in cap. Cum dilectus* 8. *de Consuetud. Fagnan. in lib.* 3. *decret. cap. Tuæ num.* 14.

Præcipua è contra fuit Testatoris prædilectio erga ruralem Ecclesiam *delle Calve*, de qua indicia non ambigua exhibet Ædificium illud suo ære extructum, vel perpetuæ Capellaniæ fundatio, qua ejusdem manutentioni, & cultui prospicere voluit per *Text. in leg. penult. ff. de Oper. public.*, *Barbos. de off.*, & *potest. Episcop. par.* 3. *allegat.* 83. *num.* 12., *Amostaz. de Caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 35.; Nilque magis huic prædilectioni consentaneum videri potest, quam omnium Onerum implementum in prædicta Ecclesia. Hæc præsumpta voluntas, quæ statuendum sæpe indicat celebrationis locum, *De Luca de Testament. discurs.* 72. *num.* 15., & *S. Congregatio in Januen.* 16. *Februarii* 1788., satis de cætero declarata videtur sive ex præcedenti orationis parte, qua Testator annuas sex Solemnitates expresse celebrari jussit in Ecclesia S. Francisci de Paula, sive ex posteriori dispositione, de qua agitur. Ibi enim sub eadem sermonis periodo inquit, *debba inoltre* (Capellanus) *col medesimo fruttato mantenere detta Chiesa, e le sue suppellettili decentemente*; atque immediate prosequitur, *ed il residuo debba impiegarlo in celebrazione di tante Messe*. Licet ergo non edixerit, qua in Ecclesia celebrari deberent Missæ, per æquipollens tamen declaravit ob immediate præcedentem titularis Ecclesiæ mentionem; quo sane in casu extranea sunt argumenta discretivæ locutionis, *juxta Polit. de Fideicommis. dissert.* 27. *num.* 42. *tom.* 1., & alia

alia potius subintrat regula, ut a præcedenti orationis parte immediate posterior interpretanda sit, *Leg. Qui filiabus ff. de Legat.* 1., *Valent. de ultim. volunt. Vot.* 14. *num.* 75. *part.* 2., De hac autem Testatoris voluntate minus recte decerneretur ab observantia, quam Orator ipse in sui commodum, & utilitatem induxit; & in quolibet demum dubio de celebrationis loco, titularis præferenda esset Ecclesia, ut contra Capellanos de simili certantes arbitrio, alias definivit S. hæc Congregatio *in Auximana Capellaniarum* 16. *Decembris* 1703. *relat. in Thesaur. resolut. anni* 1740. *pag.* 111., & *in Compsana* 9. *Augusti* 1766.

Si ex litera dispositionis Capellano injunctam putaverint Emi Patres celebrationem Missarum, de quibus agitur, in rurali Ecclesia S. Francisci de Paula, tunc ad secundum dubium notari posset, jam a die 11. Martii 1786. Translationis Indultum Oratorem obtinuisse quoad easdem Missas sub onere festivæ celebrationis in Ecclesia titulari. Ne tamen onus illud ferat Orator, nullibi a Testatore imperatum notat implementum quoad has Missas sub diebus festis, proindeque servandam fundationis legem, prout scripta est, juxta regulam, de qua *Text. in cap. Porro de privileg.*, *Fagnan. in cap. conquerente num.* 24. *de Cleric. resident.*, & *S. Congregatio in Florentina*, & *in Tudertina Capellaniæ* 12. *Martii* 1718. Tertio circiter lapide distantem advertit ruralem Ecclesiam *delle Calve* a Civitate Camerini; qua de re ad festivam celebrationem, majorem obolis viginti necessariam fore eleemosynam, ex ipsa probare nititur Testamenti parte, qua triginta oboli assignantur pro Missis in sex annuis Festis imperatis; cessatam rursus advertit contradictionem usufructuariæ heredis, nulloque jure proposuisse Parochum translationem ad suam Ecclesiam sub eodem onere, quod ex Testamenti litera non scatet; et aliquid demum sibi indulgendum rogat, qui a Fundatore prædilectus fuit in prima nominatione, quique distensus munere Capellani urbani in Lateranensi Basilica, per se ipsum implemento eorumdem onerum vacare nequit.

Sed quatenus delenda sit ab Indulto anni 1786 conditio festivæ celebrationis, fortasse absque causa concessa videretur translatio. De Missis enim agitur celebrandis cum pingui eleemosyna obolorum 20., nec probat Orator deficientiam Sacerdotum, qui illarum implementum cum eodem stipendio suscipiant

piant ; et vicissim ideo festivam S. hæc Congregatio celebrationem imperavit, ut circumstantis Populi commodo consultum esset ; Hoc porro injunctum onus ex publica utilitate justam quoad superextantes Missas suadere poterat translationis causam, eodemque demum adempto cessaret penitus publica utilitas, de qua in Indulto anni 1786. habita fuit ratio.

Deliberandum itaque.

I. *An Missæ præscriptæ a Jacobo Mancini ex residuo redituum cum eleemosyna obulorum viginti sint celebrandæ in titulari Ecclesia S. Francisci de Paula in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus translationi in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad formam Indulti 11. Martii 1786.

CIVITATIS PLEBIS. In Ecclesia S. Mariæ *della Torre* Oppidi Montis Leonis Beneficium ab immemorabili tempore erectum est de Jurepatronatus illius Communitatis. Nullum ex authentica fundatione, quæ deficit, de oneribus Rectori impositis superest vestigium, atque unum exploratum est ex monumentis in episcopali Cancellaria existentibus, quod Communitas Ecclesiam illam suo sumptu extructam anno 1493. in genere dotaverit absque alia speciali indicatione. Cum autem ad idem Beneficium præsentatus fuisset anno 1592. Leonettus quidam Pieroni, ex copia Bullæ, quæ tamen non ex originali, sed ex folio simplici desumpta servatur in Archivio episcopali, constat clusinum Episcopum tunc dicti Castri Ordinarium postquam in proemio fundationis litteras vidisse narraverat, institutionem Leonetto dedisse, facta de quibusdam oneribus mentione his verbis = *Capellaniæ bene, & laudabiliter deservies, seu deserviri facies, illiusque onera debita supportabis, celebrans, seu celebrari faciens Missas singulis diebus dominicis, & qualibet tertia feria, & Sabbatho cujuslibet hebdomadæ*. De residentia demum

Sess.22.cap.3. &Sess.24.cap. 12. de reform.

Beneficiati, aliisque obligationibus cum in Curia Episcopali disceptatum fuerit anno 1607., Testes sub formali examine deposuerunt, *præcedentes Rectores in laudata Ecclesia celebrasse omnibus diebus festis, & bis in hebdomada, Parochoque inservisse in sacris functionibus.*

De his tamen oneribus post annum 1607. nullum exhibent indicium Acta sacrarum Visitationum, Missarum Codices, aut Tabellæ, atque hinc factum, ut Rectores ab ea Epocha ad hæc usque tempora Beneficio sine ullo Missarum onere frui consueverint, & in bonorum inventario anni 1733. illud renunciatum fuerit *senza alcun obligo di Messe*. Sub hac ergo inveterata opinione Beneficium obtinuit anno 1771. Sacerdos Teodorus Brizi, quin unquam præmissis oneribus satisfecerit. Ut primum vero alia quærens in Archivio episcopali, narratas perlegit notitias, dubitare cæpit, num ad implementum deinceps teneretur trium Missarum hebdomadalium, atque inserviendum Parocho in sacris functionibus, vestrumque idcirco imploravit oraculum.

Veterem consuetudinem Beneficiatos ab omni onere eximentes confirmans Episcopus, ab ea factum memorat, *cur ii, qui curarunt, ut parochialis Ecclesia Montis Leonis in Collegiatam erigeretur anno* 1777., *a Sede Apostolica impetrarint, ut hoc Beneficium reputatum obligationibus Missarum destitutum, post Oratoris mortem uniretur pertenui Canonicatui sub titulo S. Catharinæ Virginis, & Martiris*; hisque præmissis, suam de precibus sententiam pandit his verbis: *Arbitrarer antiquioribus monumentis quidpiam esse deferendum; siquidem vetustarum rerum notitia ab iis potius desumenda, qui factis, rebusque sunt propiores, quam ab iis, qui longius distant; & per consequens proclivis essem asserendo revera nonnullarum Missarum celebrationem, ut moris est, in fundatione Beneficiorum Rectori hujus Capellaniæ fuisse injunctam, nisi benignius opinando putare velimus, ipsas antiquitus celebratas fuisse tantummodo ad Populi devotionem, & commodum, & sine aliqua applicatione. Verum cum in præsentiarum Beneficii reditus vix quindecim scutata attingant, & cum manualis eleemosyna sensim excreverit, ut plurimum ad obolos duodecim cum dimidio, ad applicandas tres Missas pro singulis hebdomadis Rector adigi non potest, sed neque ab omnibus eximi. Quapropter remota proximis*

mis accommodando, mea ferret sententia (quidquid contra decernant Consiliarii Communitatis interesse habentes) qui per secreta suffragia antiquam observantiam non immutandam deliberarunt, *EE. VV. declarare posse aliquas Missas arbitrio vestro definiendas celebrari debere in posterum in ipsa Ecclesia S. Mariæ, & simul applicari pro Communitate a Beneficii Rectore.*

Ut onera Beneficiis adnexa dignosci possint, edantur oportet fundationis tabulæ, aut alia publica monumenta, quæ fundatoris voluntatem certo demonstrent, ut *ad Text. in cap. Porro de privileg.*, firmant *Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 22.*, & *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib. 13. cap. ult. §. 4.* Jam vero deficit omnino in præsenti casu fundationis authographum; rursusque de memoratis oneribus deficiunt monumenta in Actis sacrarum Visitationum, aut Tabellis, ex quibus quandoque peremptam fundationis memoriam instaurarunt EE. VV., ut *in Vercellen. 21. Novembris* 1750., *& in Brigantien. 28. Maii* 1791.; nec ullum demum argumentum desumi valet ab observantia, cum imo Orator plusquam centenariam in sui favorem præseferat, ob omissam nempe ab anno 1607. de his oneribus mentionem in sacris Visitationibus, & tabellis, retentumque ad hæc usque tempora per decessores Beneficium absque ullo onere. Ex his igitur immunis renunciandus videretur Orator a futuro præmissorum onerum implemento, ut deficientibus fundationis tabulis, aliisque legittimis monumentis, definivit S. hæc Congregatio *in Tudertina Capellaniæ 12. Maii* 1718., *in Montis Falisci 31. Maii* 1721., *& in Urbevetana 24. Novembris* 1787.; præsertim cum Beneficium prædictum, jam Sanctæ Sedis auctoritate post obitum Oratoris absque ullo onere, quemadmodum reputabatur, unitum fuerit Canonicatui S. Catherinæ.

Ad suadendam tamen Beneficiati obligationem quoad futurum implementum, urget mentio trium Missarum per hebdomadam, quę fit in copia Bullæ anni 1592. Nam fundationis deficientia ex Litteris collationum suppleri potest, ut tenent *Polit. de Jurepatr. dissert. 6. num. 32.*, *& Piton. de controvers. Patr. allegat. 11. num. 7.*, *& allegat. 72. num. 3.*; Quamvis autem simplex copia illius Bullæ absque originali legittimam non constituat onerum probationem, ex notissima regula *Text. in cap. Si scripturam de fide Instrument.*, quem

exornat *Schmalgrueber cons.* 11. *num.* 7. *tom.* 2., notandum tamen, quod onera, de quibus meminit eadem Bulla, confirmata etiam remanent a formali Testium examine anni 1607., quodque clusinus Episcopus, qui ea recensuit, fundationis tabulas perlustrasse professus est, & verisimile idcirco, ut ad tramites ipsius fundationis hebdomadale trium Missarum implementum demandarit. Sæpe vero in antiquis simplex etiam copia in Actis reperta, aliisque adminiculata probationibus, authenticam sibi fidem vindicat, *gloss. in leg. sicut iniquum verbo facile in fin. ff. de fide Instrum.*, *Mascard. de probat. conclus.* 711. *num.* 37., & *Polit. de success. dissert.* 3. *num.* 1. *tom.* 5.

Si de oneribus ex his constare arbitrentur Emi Patres, dubitari denuo posset utrum Orator ad applicationem etiam teneatur; atque ad negativam sententiam plura concurrunt argumenta. Siquidem onus applicationis neque ab originali fundatione cujus nullum superest vestigium, neque ex copia Bullæ collationis Anni 1592., neque demum ex judiciali Testium examine Anni 1607., injunctum fuisse constat; cum itaque illud sit exploratissimum, quod nemo teneatur ad onera per Fundatorem non injuncta, in hac rerum obscuritate præsumi potius deberet, volitam quidem fuisse a Comunitate fundatrice in Populi comodum celebrationem, sed cum simplici presentia; atque hanc quidem præsumptionem confirmat circumstantia demandatæ celebrationis juxta præmissam Bullam omnibus diebus festis. Ad affirmativam contra concurrit comunis regula, qua cautum, ut quoties Fundator præstito emolumento Missarum onus indixerit, applicationem etiamsi reticitam voluisse intelligatur. Ita pluribus adductis Sac. hujus Congregationis resolutionibus probat *Benedictus XIV. de Sacr. Miss. Sacrif. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 2., & jampridem firmarunt *Fagnan. in cap.* 11. *num.* 44. *de præbend. & Pignatell. consult.* 139. *num.* 12. & 16. *tom.* 1.

Quod si demum Oratorem ad applicationem etiam cogendum putaverint EE. VV., de reductione tunc quærendum erit, juxta secundum Dubium; illamque excludere possent reditus Beneficii in annuis scutis quindecim, ita ut ad manualem julii unius vix deficiat tenuissima summa obolorum 60. pro triplici Missa hebdomadali. At alia ex parte augmentum memorat Episcopus illius eleemosinę ad obolos 12. $\frac{1}{2}$, habenda rursus

sus est ratio de celebratione volita in designata Ecclesia, & sub præfixis diebus, quæ idcirco ratione majoris incomodi majorem etiam exigit eleemosinam *Tamburrin. de Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §.2. *num.* 35., & *seq.*, *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.*913. *num.*2., & *Sac. Congregatio in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772. iterumque de onere assistendi Parocho in sacris Functionibus, quod congruo etiam præmio dignum videtur; proindeque reductioni fortasse ad taxam perpetuæ locus esse posset præsertim cum de oneribus nunc primum cognitis agatur.

Deliberare itaque dignentur.

I. *An & quomodo Rector Beneficii S. Mariæ della Torre teneatur, ad implementum trium Missarum hebdomadalium, & præstandam Parocho assistentiam in Sacris functionibus in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Ad I. Affirmative in omnibus etiam, quoad applicationem.

Ad II. Affirmative ad Taxam perpetuæ sublato onere assistendi Parocho in Sacris Functionibus.

FOSSANEN. CELEBRATIONIS MISSÆ. Cum Anno 1614. Julius CæsarSampietro fiduciariam heredem scripsisset superstitem Conjugem, eodem Anno declarata fiducia per publicum Instrumentum innotuit, eam præ cæteris fuisse Testatoris voluntatem, ut jure Legati Pauperum Xenodochio Civitatis Fossani solvenda esset *la somma di scudi quattromila a fiorini otto l'uno moneta di Piemonte*, quorum scuta mille impenderentur in Hospitalis Fabricam, cætera vera termille in emptionem Census, ex cujus reditu Hospitalis Administratores Missam quotidianam in Ecclesia Minorum Conventualium ejusdem Civitatis celebrari curarent *nell' Aurora cadaun giorno, in ogni tempo*; ut rursus in stipendium hujus implementi Conventualium Cœnobio annua persolvi deberent scuta quinquaginta *da fiorini otto l'uno moneta di Piemonte al presente corrente*; ut quidquid demum ex Census reditibus su-

*Sess.*22. *de observ. & vitan. in celebrat. Mis & cap.*6. *de reformat.*

superesset *pagata la celebrazione, e manutenzione di detta Messa perpetua come sopra debba sempre, e senza difficoltà alcuna convertirsi nel pagamento di Medicine di essi Poveri, e Infermi, alli quali esso Ospedale provede.*

Legatum agnoverunt Xenodochii Curatores Anno 1616., receptisque scutis quatuormille ad injunctum investimentum, adnexumque onus Missæ quotidianæ juxta Testatoris voluntatem sese obligarunt. Persolventes itaque Conventualium Cœnobio annua scuta quinquaginta juxta præfinitum valorem Florenorum octo, Sacerdotes de familia vicissim quotidianæ celebrationi sub Aurora vacabant. At Anno 1660. Administratoribus ipsis nuntiatum est, quod Conventuales absque legitima facultate quotidianum onus reduxerant ad annuas Missas biscentum. Plures idcirco inter eos promotæ sunt controversiæ de validitate reductionis, quam Ordinis Visitatores probaverant, seu de persolvenda eleemosina ob variatum interim illius monetæ valorem. Omnes tamen solemnis excepit Concordia inita posteriori Anno 1663. de voto Vicarii generalis, in cujus personam compromissa res fuerat, & universo etiam consentiente illius Cœnobii Capitulo. In ea igitur conventum, ut Hospitalis Administratores pro implemento memorati oneris solvere deberent *incluso l'aumento monetale Lire cento da Soldi venti cadauna di moneta corrente*, quæ præfixis respondent scutis quinquaginta juxta valorem Florenorum octo, & annua conficiunt scuta viginti monetæ romanæ; & Patres vicissim continuarent implementum annuum biscentum Missarum *nell'ora dell'Aurora*; quod quidem onus in ipsa Concordia Successorum etiam nomine Capitulares susceperunt.

De viribus tamen arbitrariæ hujus reductionis dubitari cæpit in Sacra Visitatione Anni 1770., atque ad preces Administratorum, Sac. hæc Congregatio ex Audientia SSmi diei 20. Junii 1781., absolutionem & sanationem quoad præteritum concessit, eamdemque reductionem probavit quoad futurum *cum obligatione tamen celebrandi hora à Testatore præscripta, & prælativè diebus dominicis, & festis de præcepto*. Hoc impetrato Indulto Conventuales ne amplius incomodam ferrent celebrationem summo mane cum tenui eleemosina julii unius, concordiam Anni 1663. tamquam initam

tam abſque Superiorum consensu de nullitate redarguentes, recusare cæperunt illius executionem. Toleratum hinc fuit ab Administratoribus, ut præ arbitrio benevisis horis celebrarent quandiu ob fabricam novæ Cathedralis in ipsorum Ecclesiam translatis ejus Functionibus alia idcirco presto fuit Missa in Aurora; at expleta nuper Fabrica, restitutoque novæ Cathedrali Sacrarum Functionum exercitio, cum ea defecerit Missa, neque Sacerdos reperiatur, qui cum prædicta eleemosina onus hujusmodi suscipere velit, ad Emas vestras recurrunt Hospitalis Administratores, ut dempto onere antimatutinæ celebrationis, qualibet hora prædicto satisfieri possit Legato.

Procurator generalis Minorum Conventualium cum fuisset rogatus *de viribus Instrumenti Anni* 1663. *& celebratione quoad præteritum*, jura fossanensis Conventus hac de re his verbis recensuit. *Mei ordinis* (ait) *Constitutiones &c. Urbani VIII. Decretis de celebratione Missarum inhærendo, districte præcipiunt, ne perpetua Missarum onera acceptentur, nisi iisdem respondeat proportionalis* 60. *scutorum annuus reditus*; *Prælatique insuper, à quibus facultas obtineri debet sub pœna privationis Officii, præfata onera assumendi facultatem sub ea conditione dumtaxat possunt concedere, ita ut si secus fecerint, acceptatio onerum invalida sit & nulla. Patet propterea quale sit robur conventionis initæ Anno* 1663., *quæ & necessaria caruit superiorum facultate, & contra juris formam atque Urbani VIII. decreta peracta est*; mox pergit, *celebrata utique fuit Missa a Conventualibus in Aurora ad Annum usque* 1742. (seu ad Annum 1781. ut referunt Oratores, & constat ex precibus eodem Anno Sac. Congregationi porrectis), *non quia unus Julius censeretur pro Missa diluculo celebranda sufficiens, & congrua eleemosina, sed vel quia extabant tunc temporis Religiosi ex tam matutina celebratione incomodum non persentientes*; *vel potius quia tunc temporis, cum nullibi in fossanensi Civitate Missa in Aurora celebraretur, Fidelium indigentiæ voluerunt titulo charitatis consulere*; *vel tandem quia ad id præstandum ex præfata conventione se adstringi per errorem arbitrabantur*, cumque hæc ex præmissis invalida reputanda sit, renuentes tandem Religiosos ad Missæ celebrationem in Aurora jure cogi non posse defendit.

His

His rationibus consonat Votum Episcopi, qui cum vocatis per Edictum interesse habentibus, nullum precibus contradictorem fuisse retulerit, hæc ad Gratiam opportuna pandidit. *Perstant quoque Conventuales Patres in prædictæ ad Auroram Missæ onere recusando, quod ipsis pergrave foret; atqui annuus reditus a Fundatore assignatus neque minui, neque augeri potest, cum Hospitalis Administratores scuta viginti monetæ romanæ teneantur quotannis solvere. Hæc cum ita sint sentirem ego &c. posse de Apostolica indulgentia cum Oratoribus dispensari, eo potissimum, quod aliis in Ecclesiis ejusdem hujus Civitatis scilicet in Aurora Missæ celebrentur, quibus fit, ut nullum prorsus patiantur incomodum, qui summo mane avent Sacrosancto adesse Sacrificio,*

Apertissima est Testatoris voluntas, quoad implementum demandati oneris, *nell'Aurora cadaun giorno, in ogni tempo*, nec facile proinde commutanda, nisi rationabilis concurrat Causa, vel urgens necessitas, ut post Sac. Concilium Tridentinum *in Sess.22. cap.6. de reformat.*, docuit *Fagnan. in cap. ex parte de Constitut. num.23.*, *& Petra ad Constitut. Innocentii IV. num.* 49. *& seq.* Hæc autem Juris regula, si quoad omnes militat commutationes, præcipuum fortasse locum obtinet in præsenti, qua de transferenda quæritur celebratione antimatutina ad alias horas præ celebrantis arbitrio. Testatores enim ea plerumque finali causa ad hujusmodi feruntur legata, ut commodum audiendæ Missæ illis comparent, qui summo mane vel ad Agrorum culturam, vel ad respectivas artes proficisci tenentur, Semper vero spiritualis hæc utilitas fossanensi Populo decresceret, quoties hæc antimatutina cesset celebratio, quod vicissim ne inferretur præjudicium Sac. hęc Congregatio similem denegavit veniam *in Placentina celebrationis Missæ* 8. *Junii* 1771., firmamque rursus voluit conditionem *celebrandi hora a Testatore præscripta*, dum Anno 1781. illegittimam ejusdem oneris reductionem probavit.

Difficultas tamen exequendi Testatoris imperium omnem vincit Juris severitatem, justamque commutationis causam exhibet, *Barbos. de potestat. Episcopi alleg.* 83. *num.3.*, *&* 8. *& Sac. Congregatio in Romana Commutationis voluntatis* 27. *Februarii* 1734. *& in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756. Jam vero Conventua-

tuales Patres antimatutinum implementum recusant cum tenui eleemosina Julii unius, irritamque tenent Concordiam Anni 1663., ne ex ea ad datam fidem servandam cogantur; sæculares rursus non sunt Præsbiteri, qui hoc onus pro eodem acceptare velint stipendio, neque demum ad hoc augendum juxta Episcopum tenentur Hospitalis Administratores. Siquidem limitata fuit a Testatore eleemosina in annuis scutis quinquaginta ad ratam Florenorum octo pro quolibet scuto, quibus respondent centum libellæ seu scuta viginti monetæ romanæ, ut superextantes Census reditus erogari deberent *nel pagamento di Medicine di essi Poveri, e Infermi*. Quidquid ergo ultra eam summam præstare deberet Xenodochium pauperes amitterent Infirmi, qui omnem potius merentur favorem juxta Divum Hieronymum *in decret. can. cap. Odi* 24. *quæst. prima*, *Tiraquell. de nobilitat. cap.* 29. *num.* 50. *& Leoncill. de privil. pauper. parte prima quæst.* 3. *num.* 27. atque hac sane de causa veterem Missarum biscentum reductionem confirmasse videtur Sac. hæc Congregatio sub die 20. Junii 1781., ne scilicet Xenodochium ad obtinendum integri oneris implementum majorem prefinitis scutis viginti summam impendere deberet.

Hæc equidem omnia necessitatem suadere possent imploratæ Gratiæ, nisi de nullitate conventionis Anni 1663. dubitent Emi Patres. Licet enim ex decreto Urbani VIII., atque ex Ordinis Constitutionibus absque Superiorum licentia vetita esset Conventualibus acceptatio memorati oneris; immemorabilis tamen contra ipsos urget celebrationis observantia, ex qua nedum Superiorum licentiam, sed Apostolicum etiam beneplacitum accessisse præsumitur *de Luca de Can. discurs.* 19. *num.* 14. *& Piton. discept.* 17. *num.* 45.

Deliberandum ergo.

An sit locus commutationi quoad horam celebrationis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess.22. cap.6. & sess.25. cap. 11. de reformat.

BONONIEN. ALIENATIONIS. Ad incrementum Divini Cultus respiciens clar. mem. Cardinalis Jacobus Boncompagni olim bononiensis Archiepiscopus Testamento signato sub Annum 1722. cum eximia Dote 140. Locorum Montium, quatuor in sua Metropolitana Capellanias addidit, quarum Rectores inter Capituli Mansionarios recipi deberent. Mirum sane quanta fuerit benemeriti Antistitis solicitudo, ut novi Mansionarii injunctis oneribus sedulam navarent operam simulque congruum haberent emolumentum. Illos namque pauperes, & actu Sacerdotes bononienses eligendos voluit, qui nec ullo gauderent Beneficio, neque aliis unquam muneribus licet ecclesiasticis manciparì possent, eousque ut ab associatione etiam defunctorum eis abstinendum jusserit, nisi rogati cum aliis Capituli individuis interessent. Singulis autem quotidianum imposuit onus per se ipsos implendum, & per alios in casu infirmitatis, nec non chorale servitium, quemadmodom jam cæteri Mansionarii præstare solebant, atque ita demum dotis reditus distribuit, ut annua scuta 216. pro quotidianis distributionibus obolorum 15., residuum vero pro Missæ eleemosina consequerentur *col peso di pagare gli Utensili alla Sagrestia, e sopportare qualunque altro peso che porta seco l'esazione de frutti di detti Monti*.

Jam vero ad honestam Capellanorum exhibitionem nec satis consultum reputans, heredem denuo gravavit, ut alia sex Loca Montium in eorum favorem transferret, jussitque ex his perpetuum multiplicum *per poter supplire coi frutti de medesimi sei Luoghi di Monte, e del moltiplico alla diminuzione, che sopravenisse nel sudetto annuo assegnamento*. Archiepiscopis vero pro tempore, quibus jus nominandi ad omnes Capellanias reliquerat, arbitrium concessit permittendi suspensionem illius multiplici, quatenus ita necessitas exigeret; illos tamen rogans, *ad avere l'avvertenza che se la diminuzione, e calo di esso fruttato fosse in somma tenue onde non restasse l' annuo assegnamento di ciascun Cappellano sproporzionato al peso dell' Officiatura s' astengano dal far cessare detto moltiplico per averlo più pingue in caso di maggior bisogno*. Quod si demum nullum contigerit redituum decrementum, continuari voluit multiplicum donec par esset erectioni quintæ Capellaniæ cum iisdem oneribus.

Ali

Ab Anno itaque 1731. erectæ fuerunt Capellaniæ juxta narratam dispositionem, assignatis in dotem 140. Locis Montium, aliisque sex imperato multiplico addictis. Qui illas nunc obtinent ob tenues eorum reditus, alienationem 140. Locorum Montium sibi proposuerunt, ut pretium integrum investirent in Censibus cum Locis piis aut Communitatibus Status ecclesiastici, ex quibus maximum exinde augurantur reddituum augmentum; atque hujus spe moti utilitatis, ad hujusmodi alienationem Apostolicum assensum ab Emis vestris postularunt ita tamen, ut impensæ omnes ad alienationem, & novum Investimentum necessariæ ex eorumdem Locorum Montium pretio detraherentur. Preces æquitati consonas censuit Emus Archiepiscopus, iisdemque annuendum, ut augeretur Beneficiorum emolumentum, præsertim quum Capellani *oneribus non mediocribus tam positivis, quam negativis reipsa graventur*; atque hac de re necessarium fore dixit reddituum augmentum, illudque per imploratam alienandi veniam, & novum investimentum in Censibus facile haberi posse retulit.

Hanc rursus alienationem nec a Fundatore, neque ab Interesse habentibus prohibitam advertit, quorum nemo adest præter eumdem Emum Archiepiscopum jure nominandi honoratum, proindeque indultum quoad alia etiam sex Loca Montium sub lege multiplici legata, extendendum proposuit ita locutus = *Quia vero translatio pecuniæ Roma ad hanc Civitatem jacturæ, & expensis subiicitur, illud etiam petitur* (quod tamen suis precibus non postularunt Capellani) *ut quæ Montium Loca ad quintam erigendam Capellaniam sunt destinata, & remanent cumulanda, ea item addantur suffragatura ipsis quatuor Capellanis. Quod quidem putaverim fieri posse, vel ex toto, vel parte, pro ratione nimirum jacturæ, & pro ratione emolumenti, quod singulis Oratoribus obveniet ex pecunia hic fructifera ita tamen, ut cumulus pro quinta Capellania minime omittatur.* Sed his non obstantibus ad preces propositas inter supplices Libellos diei 27. Augusti 1791. EE.VV. rescripserunt. *Non expedire*. Instaurantes ergo Capellani eamdem instantiam denuo vestrum expectant oraculum.

Tunc permitti potest alienatio de rebus Ecclesiæ, ubi in evidentem cedat illius utilitatem juxta notissimam

Extravagant. Ambitiosæ de rebus Ecclas. non alienan.
Ad hanc eruendam memorant Oratores, quale ipsis obveniat damnum à retentione Locorum Montium, quæque vicissim expectari posset utilitas per investimentum in Censibus. Præter Cameralia enim onera, & Utensilium solutionem ferre coguntur Exactoris impensam in annuis scutis sex, damnum tursus scutorum circiter viginti quotannis, quæ Nummularius percipit, ut ad Bononiam Pecunia transferatur; quibus omnibus detractis impensis ex reditu 140. Locorum Montium supersunt scuta 356. 40., & quisque proinde Capellanus annua consequitur scuta 89., dum vicissim computata eleemosyna quotidiani Oneris ad manualem ibi vigentem obolorum duodecim, & quotidianis distributionibus in obolis quindecim consequi saltem deberet annua scuta 97. 05., qua de re damnum quisque sustinet in annis scutis octo. Vicissim, inquiunt, venditis 140. Locis Montium ad rationem scutorum 112. pro quolibet haberi posset capitale scutorum 15680., quæ fænori data sub moderatis licet Usuris scutorum trium cum dimidio, annua reddere poterunt scuta circiter 548., itaut cujusque Capellani stipendium augeretur ad annua scuta 137. Probatam ergo ex his autumant evidentem alienationis utilitatem, proindeque perito locus esse posse Beneplacito, quod denegari non solet ab hac Sacra Congregatione quoties hæc evidens concurrat utilitas ut pandunt exempla *in Asculana* 21. *Junii* 1788., & *in Maceraten.* 4. *Aprilis* 1789.

Verum notari posset, quod non agitur de pecuniis nunc primum investiendis, sed de alienando investimento a Testatore jam in Locis Montium relicto, ut denuò pretium diversimode,& minus tute investiatur;quæ sane facultas danda non est quoties evidens utilitas,& necessitas non concurrat. Deterior enim fieri nequit Beneficiorum conditio ut Rectoribus uberiores reditus tribuantur. Jam vero per alienationem Locorum Montium fundus Capellaniarum gravem pateretur imminutionem. Pretium enim LL. MM. de tempore Fundationis erat scutorum circiter 127., nunc vero vix pro scutis 112. venduntur, nec perempta spes est quin ad veterem in posterum redire possint æstimationem. Concessa itaque Gratia, Capitale 140. LL. MM., quod erat in fundatione scutorum 17780. decresceret

ad

ad scuta 15680., in scutis nempe 2108., decresceret rursus in aliis scutis 140. ob impensam saltem scuti unius pro quolibet Loco, in eorum venditione occurrentem; demumque decresceret ob impensas novi Investimenti.

Loca Montium præterea cum nullam recipiant hypothecam præter eam quam Litteræ patentales exhibent *De Luca de Regal. discurs.* 27. *in fin.* Evictioni non subiiciuntur, eorumque fructus paratam habent solutionem; Census contra facile depereunt, & frequentissimis sunt obnoxii restitutionibus, illudque ex his venit incommodum, ut donec alterum reperiatur investimentum, pecunia stet otiosa, eodemque reperto, denuo necessariis novi Investimenti sumptibus Capitale minuatúr; Sæpe etiam fit præ Debitorum mora, ut fructuum exactio plurimum differatur, vel quandoque etiam ad eos exigendos judicio agere oporteat, quo in casu Capellani nisi aliunde sint provisi ad vitam sustentandam, implementum onerum vel retardare, vel penitus omittere cogerentur, quibus certe de causis investimentum in Censibus idoneum reputari non solet pro Dote Beneficiorum, & passim idcirco Sacra hæc Congregatio illud respuit, ut *in Firmana Oneris Missarum* 23. *Junii* 1764., *& in Asculana* 21. *Julii* 1788. *ad II. Dub.* Neque hæc danda erit venia ad parcendum impensis Exactoris, aut Cambii, cum facile integra summa scutorum circiter 15000. Bononiæ fænerari non poterit.

Nullum insuper post Capellaniarum erectionem contigit fructuum decrementum (imminutio siquidem obolorum quinque pro quolibet loco, ex multiplico jam Capellanis compensatum fuit), & eodem nunc Rectores gaudent reditu, iisdemque gravantur oneribus, quæ anno 1731. vigebant. Siquidem Fundator assignavit scuta 216. pro distributionibus, reliqua vero scuta 204. pro Missarum eleemosyna; ab his porro detrahenda etiam tunc temporis erant onera cameralia, iterumque impensæ utensilium, Exactoris, & Cambii; qua de re, his demptis, merito concludi potest, quod a fundatione non scuta 97., uti referunt, sed scuta tantum 89. perceperunt. Si ergo a fundationis Epocha, ad hæc usque tempora reditus, & onera eadem fuerunt, si annuum Capellanorum stipendium hactenus absque ulla eorum querela congruum visum est ad decentem susten-

stentationem, si Oratores ipsi cum iisdem reditibus, & oneribus Beneficia acceptarunt; nulla concurrere videtur necessitas augendi annuum stipendium. Quod si demum ob mutatas temporum circumstantias prædicti reditus tenues nunc videantur, ex ipsa Fundatoris dispositione augendi arbitrium datū est Emo Archiepiscopo per multiplici suspensionem. Quoties ergo patet via ad supplendam deficientiam, nec necessaria, neque utilis, imo perniciosa penitus videri posset alienatio LL. MM. ad novum, & minus tutum peragendum in Censibus investimentum.

Quatenus Beneplacitum pro LL. MM. 140. concedendū dijudicent EE. VV., decernere etiam dignentur, instante Emo Archiepiscopo in sua informatione, quid de Locis Montium ad Multiplicum assignatis agendum sit.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Junii 1793. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FOSSANEN. CELEBRATIONIS MISSÆ. *Sess.22. de observ., & vitan. in celebrat. Miss., & cap. 6. de Reform.*

An sit locus commutationi quoad horam celebrationis in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, & ad D. Secretarium cum SANCTISSIMO.

BONONIEN. ALIENATIONIS. *Sess.22. cap.6. et Sess.24.cap. 11. de Reform.*

An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Negative, & preces amplius non recipiantur.

DUBIA SUPER MATRIMONIIS INTER CATHOLICOS, ET HÆRETICOS CLIVIENSIS DUCATUS. *Sess.24. cap.1. de Reform.matrim.*

Inter angustos Cliviensis Ducatus fines facile Hæreticis nubunt Catholici, sequiturque fœmina ritum viri, Catholica scilicet cum dimissoriis proprii Parochi coram acatholico Ministello, Hæretica coram catholico, prævíis utriusque denunciationibus: idque ex concordatis anni 1672., quæ vocant *Recessus Religionis*, Electoris Brandeburgi (Regis nunc Borussiæ, cui subest Ducatus) & Comitis Palatini. Ad sedandas nuper Catholicorum conscientias, omnemque removendum scrupulum a catholicis Parochis, qui dimissorias ad ea contrahenda matrimonia concedunt, *Sanctissimo Domino Nostro* supplicavit Christianus Riffart Parochus Xantis pro extensione declarationis S. M. Benedicti XIV. diei 4. Novembris 1741., quoad matrimonia Hollandiæ, fœderatique Belgii editæ, *ut in ejus Bullar. tom.1. Const.34.*, reque ad Sacram hanc Congregationem delata, juri consonam censuit instantiam Apostolicus Coloniæ Nuntius, ut ex sequenti ejus di-

ser-

sertissima relatione. Supremo igitur *Sanctissimi* oraculo tria EE. Vestris proponuntur Dubia, quorum duo priora juxta supplicem concinnata sunt libellum, quem triginta quatuor alii ejusdem Ducatus Parochi Apostolico deinde dederunt Nuntio. Quoniam vero de quæstionibus agitur gravissimi momenti, imperavit *Sanctissimus* Sacræ Congregationis Secretario, ut suas etiam EE. Patrum oculis subiiceret *Adnotationes*, quæ in calce sunt præsentis Folii.

Quæritur itaque.

I. *An matrimonia contracta inter Catholicos, & Hæreticos coram Ministellis acatholicis Ducatus Cliviensis sint valida, & licita in casu &c.*

II. *An, & quomodo Parochi catholici ejusdem Ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda in casu &c.*

III. *An declaratio Benedicti XIV. quoad Hollandiam, & Belgium sit extendenda ad prædictum Ducatum in casu &c.*

Consulendum *Sanctissimo* pro extensione declarationis san. mem. Benedicti XIV. ad Ducatum Cliviensem juxta instructionem.

RELATIO

Reverendissimi Nuntii Coloniensis.

§. 1.

Ducatus Cliviensis, quem Rhenus intersecat, in Imperio Germanico, & in Circulo Wertphaliæ comprehensus, ad orientem cum territorio Serenissimi Electoris Palatini, qua Ducis Montensis; ad occidentem cum Belgio fœderato, & Principatu Leodiensi; ad austrum cum Electoratu Coloniensi; ad septentrionem cum Belgio fœderato iterum conjungitur. Sunt in Ducatu Cliviensi plures Civitates quarum Clivia (Cleves) Metropolis est in rebus civilibus. Colonia Trajana autem (Santen) quoad res Ecclesiasticas primum locum sibi vindicat.

§. 2.

Non est dubitandum, quin Religio Catholica etsi nonnullis interdum turbata fuerit vicissitudinibus, dominari in Ducatu Cliviensi (quem Duces Catholicæ Reli-

ligioni addicti habebant sæculo XVI.) etiam post fatale Religionis dissidium perrexerit . Hinc facile intelligitur , Concilium Tridentinum etiam in Ducatu Cliviensi receptum fuisse , cum P. Hedderich doceat , in ditionibus Prælatorum , Principumque Catholicorum Germaniæ , hujusmodi receptionem contigisse , *Elem. Jur. Can. part.* 1. §. 102. *nota D.*

§. 3.

Verum etsi nemo dubitet, quin in unaquaque Parœcia earum Regionum publicatum fuerit Decretum *Sessionis* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* , quod formam ineundi matrimonii respicit ; tamen hoc non demonstratur *per positivam probationem , quæ saltem colligatur ex immediata nec interrupta serie plurimum actuum similium , & Decreto uniformium .*

§. 4.

Post mortem Joannis Guillelmi Ducis Cliviæ , Montium, & Juliæ , quæ anno 1609. contigit , Comes Palatinus Dux Neoburgi has ditiones ex æquo ferme obtinuit cum Electore Brandeburgico atque anno 1626. Comiti Palatino Ducatus Juliæ , & Montium ex concordato obtigit ; Elector vero Brandeburgicus Cliviam , Marchiam , & Ravensbergiæ medietatem fuit consequutus; *Teschenmacher Annales Cliviæ , Juliæ , & Montium Marcchiæ &c. editi anno* 1721. *Francofurti , & Lipsiæ pag.* 360. Quum itaque Ducatus Cliviensis in Principis acatholici potestatem devenisset , Religio Catholica , quæ antea ibidem dominabatur , tolerari tantummodo incepit . Hinc *efformatæ fuere duæ hominum societates inter se plane distinctæ ; altera catholica , & altera acatholica , quæ nunc invicem permixtæ in eisdem regionibus versantur .*

§. 5.

Hinc pluribus motibus circa Religionis exercitium in Ducatu Cliviensi excitatis , Catholicorum , & Protestantium intuitu data fuit opera , ut omnes hi motus amicabili compositione sedarentur . Idcirco plura pacta fuerunt inita inter Fridericum Electorem Brandeburgicum , & Philippum Guillelmum Comitem Palatinum , decretumque fuit , ut Serenissimus Elector Palatinus

residentem Clivis Ministrum haberet, qui rei Catholicæ patrocinium ageret, pactorumque exequutionem urgeret. In præsentia Rex Borussicus Ducatum Cliviensem habet; sed nomine Electoris Palatini patrocinium agit rei Catholicæ Dominus de Hasenbach, qui identidem in Effelt prope Ruremundam moratur; plerumque vero in Urbe Clivis suum domicilium constituit. Ad hunc Clivienses Catholici confugiunt, dum Religionis querelas instituunt, & gravaminum religiosorum reparationem exposcunt.

§. 6.

Etsi omnia pacta inter Fridericum Electorem Brandeburgicum, & Guillelmum Comitem Palatinum sint habenda ad instar legum fundamentalium quoad Ducatum Cliviensem; nihilominus peculiari animadversione digna est transactio, cujus titulus in latinam linguam versus sic habet: *Religionis transactio inter Serenissimum Principem, & Dominum Fridericum Guillelmum Marchionem Brandeburgensem, & Serenissimum Principem, ac Dominum Philippum Guillelmum Comitem Palatinum Rheni super negotiis Religionis, & Ecclesiarum in Ducatibus Juliæ, Cliviæ, & Montium, etiam Comitatibus Marchiæ, & Rovensbergii respective*, 26. *Aprilis* 1672. *Coloniæ ad Spream*, & 3. *Julii* 1673. *Dusseldorpii* = Integra hæc transactio sermone germanico exarata recensetur in libro inscripto: = *Subsidia miscellanea historiam, & jurisprudentiam ecclesiasticam, Coloniensem præcipue illustrantia, usui Elem. juris canonici pro Auditorio Bonnensi editorum destinata = Bonnæ sumptibus Joan. Frides. Abshoven, & hæredum Rommenskirchen.*

§. 7.

Jam vero qua ratione in Ducatu Cliviensi populus Catholicus rebus Divinis, Sacris, & Religiosis utatur, paucis dicam. Archidiæcesis Coloniensis in sex Archidiaconatus divisa est, quorum unus ab Urbe Xante nomen accipit. Hic nempe est Archidiaconus Catholici Capituli Xantensis, quod triginta sex Canonicos enumerat. Is retroactis temporibus non solum juribus fruebatur, de quibus Canonistæ agunt dum de Archidiaconis disserunt; non solum præerat Diaconatui Xan-

Xantensi, seu Parochorum collectioni in districtu Xantensi commorantium, verum etiam exhibebat Officialem perpetuum, qui residens Cliviæ, nomine Archidiaconi causas ecclesiasticas per totam Archidiaconatus regiunculam in prima instantia dijudicare deberet. Verum circa annum 1765. Clemens XIII. Archidiaconatum istum per annos triginta suppressit, concessitque Capitulo, ut reditus Præposituræ, seu Archidiaconatus, summam scutorum sexcentum non excedentes, in ære alieno extinguendo erogarentur.

§. 8.

Sublato tamen Archidiacono, Officialis ipsius superfuit, quem deinceps a Capitulo Xantensi nominatum Regimen Clivense confirmavit. Quo facto *summa rerum ecclesiasticarum, Ducatum Cliviensem respicientium, ad Officialem Xantensem devoluta* .....

§. 9.

Ceterum in Ducatu Cliviensi floret Catholica Religio, etsi nihil novi, quod spectet ad amplificandum Catholicæ Religionis exercitium, liceat inducere. In usitatis tamen puta, in publicis, etiam magno apparatu peractis supplicationibus, in Sacramentorum administratione, Sanctissimi per compita ad ægrotos deductione, aliisque innumeris, libertas summa, impedimenti nihil, nihil contemptus ab Acatholicis metuendum. Parochi Ducatus Cliviensis immediate subesse deberent Archidiacono Xantensi; atque hinc intelligitur, cur eodem sublato, magnum ipsi cum hodierno Officiali nexum habeant.

§. 10.

His de Ducatu Cliviensi prælibatis, quæ inferius dicendis lucem præferent, venio ad adjunctas preces, quæ nomine Christiani Riffart delatæ sunt ad EE. VV. Rmas. Egregius vir iste nuper a Capitulo Xantensi *Officialis Commissarius in spiritualibus* nominatus, atque a Regimine Cliviensi confirmatus in Urbe Xantis, etiam Parochi munere fungitur. Jam vero V. Kal. Sextiles anni 1787. mandatum est mihi ab Emo, ac Rmo Domino Cardinali Pallotta Sac. Congregationis Concilii

Præfecto, ut EE. VV. Rmas distincte redderem instructas super expositis adjunctarum precum, animique mei sententiam aperirem. Atque ut huic mandato obsequerer, in primis quærendum esse existimavi, an quæ Dominus Riffart in suis precibus attulerat, aliorum Parochorum Ducatus Cliviensis testimonio, & fide niterentur. Sed facile agnovi, preces delatas a Domino Riffart plurium Parochorum Archidiaconatui Xantensi subjectorum votis omnino esse consentaneas. Nam Parochi isti obtulerunt mihi supplicem libellum ab iisdem subscriptum, in quo eadem ferme continentur, quæ in precibus ad EE. VV. delatis afferuntur; & petitio eo spectat, ut solutioni dubii excitati quoad matrimonia viri acatholici inita cum muliere catholica, & juxta concordatum §. 6. memoratum celebrata, operam darem. Hunc supplicem libellum ad EE. VV. talem remitto, qualem ego met recepi.

§. 11.

Atque ut distincte reddam instructas EE. VV. Rmas super expositis adjunctarum precum, enucleanda sunt fusius singula, quæ in precibus tantummodo indicantur. Angustia loci, & habitatio inter Acatholicos efficit, ut in Ducatu Cliviensi frequentia sint matrimonia inita a viro acatholico cum muliere catholica. Hujusmodi matrimonia illicita quidem sunt, non tamen irrita, nec dirimuntur *arg. Cap. decrevit* 14. *de hæret. in* 6. & in locis ubi hæresis invaluerit, hujusmodi matrimonia dissuadenda potius, quam poenis interdicenda sunt, ut Sacra Congregatio Propagandæ Fidei censuit anno 1638. apud *Nicol. Instit. Civil. tit. de nuptiis inspect.* 6., *Gravina Inst. Can. lib.* 2. *tit.* 12., *Guadagni Inst. jur. civil. lib.* 1. *tit.* X. §. 5. *nota* 9.

§. 12.

Verum quotiescumque in Ducatu Cliviensi vir acatholicus catholicæ mulieri nubit, hæc ineundi matrimonii forma servatur. Fiunt proclamationes in utriusque Religionis Ecclesia, & deinceps Parochus sponsæ catholicæ eidem literas dimissorias concedit his verbis conceptas: = *Testor, Titium cum Caja tribus successive Dominicis ex ambone proclamatos, neque quidquam obmotum fuisse, quominus matrimonio jungi pos-*

possint. Quare poterunt iidem mea pace matrimonium contrahere =. Jure stolæ, quæ pro hisce dimissoriis sponsa catholica solvit Parocho suo summam juliorum sex monetæ romanæ non excedunt. His peractis sponsa catholica sequens acatholici viri Parochum, seu potius Ministellum, coram eodem matrimonii celebrandi causa se sistit, & postquam Ministellus utrique bene fuit apprecatus, pro legitimis conjugibus ambo in Ducatu Cliviensi habentur.

§. 13.

Hæc ineundi matrimonii forma deprompta est ex articulo x. §.5. transactionis supra memoratæ, quem hic in latinam linguam versum transcribere operæ pretium esse existimo: *Si fiant matrimonia inter Personas diversæ Religionis, proclamationes fiant in utriusque Religionis Ecclesia, etsi etiam in eadem Urbe, vel Parochia sitæ sint. Dimissoriales hinc inde pro solita taxa petantur, quæ sine conditione, & difficultate dentur. Novi sponsi vero se copulari faciant apud Pastorem, & Ministellum suæ Religionis, hoc tamen modo, quod si sint diversæ Religionis, sponsa debeat sequi sponsum in puncto copulationis. De cetero etiam Romano Catholici Sacerdotes, & Pastores non conjungant Evangelicæ Religioni addictos, nec viceversa Evangelici Pastores, aut Prædicantes non jungant Romano-Catholicos sine dimissorialibus suorum respective Sacerdotum, Pastorum, & Prædicantium. Si Romano-Catholicus, vel Evangelicus in loco, vel extra locum sui domicilii, & Parochiæ apud suæ Religionis communitatem, & in vim memoratarum dimissorialium matrimonio junctus fuerit, neque Sacerdotes Romano-Catholici, neque Pastores Evangelici jura stolæ postulabunt.*

§. 14.

Verum hæc matrimonia, quæ certo illicita sunt (§.11.) an etiam irrita haberi debeant propter descriptam formam, quæritur. Nam qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentant, eos Sancta Synodus *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reformat.* ad sic contrahendum om-

omnino inhabiles reddidit, & hujusmodi *contractus irritos, & nullos* esse decrevit. Nemini autem dubium esse debet, quin ex principiis catholicis Minister protestanticus pro legitimo Parocho nequeat haberi. Videndum tamen, an Decretum die 4. Novembris an. 1741. conditum a S. Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, & a Summo Pontifice Benedicto XIV. approbatum, descriptæ ineundi matrimonii formæ suffragari possit. Porro in secunda ejusdem Decreti parte definitum fuit, valida habenda matrimonia, quæ contracta forent inter duas Partes unam catholicam, & alteram acatholicam *sine Parochi præsentia*, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu formæ Concilii Tridentini non servatæ, novum matrimonium inire. Verum ex ipsius Decreti inspectione perspicuum est, idem ad loca fœderatorum Ordinum ita pertinere, ut tamen comprehendat etiam eos, qui addicti sunt legionibus, & militaribus copiis, quę ab eisdem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*, & præterea etiam Civitatem Mosæ Trajectensis, quam Resp. fœderatorum Ordinum, & Episcopus Princeps Leodiensis ex indiviso possident. Jam vero, cum idem Decretum ad certum locum adstringatur, communis juris regulæ impediunt, quominus idem ad alias Regiones trahamus. Cum igitur perspicua sit Concilii Tridentini lex, cumque ad Ducatum Cliviensem Decretum memoratum minime se extendat, patet, validitatem matrimoniorum, de quibus agimus, ad minimum in dubitationem posse revocari. Quare si matrimonia, quibus sponsa catholica viro acatholico nubit juxta formam ex memorata sæpius transactione depromptam, in dubio saltem validitatis statu versentur quo ad Cliviensem Ducatum, si in matrimoniis nequeat quidquam incerti adhiberi; est sane cur Parochorum, & Conjugum conscientiæ angantur.

§. 15.

Nam sponsa catholica vereri debet, ne ipsa potius in contubernii, aut concubinatus, quam matrimonii statu versetur. Neque facile ipsa virum suum induceret,

ret, ut coram Parocho catholico matrimonium contraheret, præsertim cum in hujusmodi consensus renovationibus periculum insit, & gravia incommoda inde sint metuenda. Parochorum vero conscientia ex eo angitur, quod propter literas dimissorias catholicis mulieribus concessas, quodammodo in earumdem nuptiis cum acatholico viro ineundis influere videantur, neque ipsi contra easdem dimissorias denegare possent, nisi ut eorum verbis utar, *rem Catholicam plane pessumdare* vellent . . . . . Necessitate igitur morali, scilicet evitandi majoris mali gratia adiguntur Parochi ad hasce concedendas dimissorias mulieribus catholicis, quæ viris acatholicis nubere debeant. Illud insuper peculiari animadversione dignum est, hasce dimissorias nihil expressi continere, ex quo argui possit, catholicam mulierem ad Ministellum remitti. Sciunt quidem Parochi, fore ut mulier coram Ministello acatholico se sistat ad nubendum viro acatholico; sed vitio caret qui scit, sed prohibere non potest; *leg.* 50. *ff. de reg. juris*, *leg.* 4. *ff. de nox. act.*

§. 16.

At cum ea obvenit species, ut de actione, quam declinare difficillime possumus, utrum sit permissa, an prohibita, dubium exoriatur, quærenda sunt media, quæ omnem dubitationem evellant. Cum vero omnis dubitatio evanescat, si ad Ducatum Cliviensem Sedes Romana memoratum Decretum anno 1741. conditum extendat, hanc Sedis Apostolicæ definitionem Dominus Riffart exposcit, ut eam unanimi suorum Confratrum in districtu Xantensi morantium consensu amplectatur. Id autem Orator se consequuturum confidit, propterea quod eædem rationes quoad Ducatum Cliviensem concurrunt, quæ fuerunt in causa, cur Benedictus XIV. Sac. Congregationi Concilii præceperit ut conficeret *declarationem*, *& instructionem*, = *qua veluti certa regula, ac forma omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii*, *& Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant*.

§. 17.

Jam vero rationes allatas ab iis, qui in Congregatione convenerunt, ut conficerent hujusmodi declarationem, ipse

ipse *Benedictus XIV. lib. 6. cap. 6. a num. 7. ad 12. de Syn. Diœces.* copiose explicavit. Quare necesse est has rationes diligenter expendere, & num hæ etiam Ducatui Cliviensi conveniant, investigare. Alii innitebantur postremis verbis *Capitis primi Sess. 24. Conc. Tridentini*, quibus sancitum est, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parœcia suum robur post triginta dies habere inciperet, a die primæ publicationis in eadem Parœcia factæ numerandos. Ex quo inferebant, nullam huic Decreto inesse vim posse, nisi *per positivam demonstrationem* probetur, in singulis Parœciis hujusmodi Decretum fuisse promulgatum. Verum quoad Belgium hæc demonstratio non aderat: ergo matrimonia inita in Belgio aliter ac in eodem Capite Concilii Tridentini præcipitur, ex ejusdem conciliaris Decreti tenore, nullitatis vitio nequaquam subjacent.

Verum hæc ratio locum etiam sibi vindicat in Ducatu Cliviensi: nam etsi nemo dubitet, quin Concilii Tridentini decreta reformatoria in eodem Ducatu recepta fuerint, longe tamen abest, ut in singulis Parœciis hoc factum fuisse *per positivam demonstrationem* probetur, quemadmodum superius ostendi §. 3.

§. 18.

Alii, pergit Benedictus XIV., duas reputabant hominum societates inter se plane distinctas, alteram catholicam, & alteram acatholicam, quæ nunc invicem permixtæ in Belgio versantur. *Quapropter etiamsi ante civiles motus publicatum fuisset Decretum*, de quo agitur, cum nondum exorta, neque ibi constituta tunc esset altera illa acatholicorum societas, hæc ipsis minime videbatur ejusmodi Decreti publicatione adstringi potuisse. Enim vero ex his, quæ §. 4. præmisi, perspicuum est, hanc etiam rationem in Ducatum Cliviensem cedere.

§. 19.

Alii animadvertebant, idcirco conditionem fuisse adjectam Decreto, quod ipsum non obligaret, nisi post 30. dies, ab ejus publicatione in singulis Parœciis elapsos, ut aliquid etiam Acatholicis daretur. Nam si vim Decreti ab ejusdem publicatione taxative dependen-

dentem Patres Concilii Tridentini non constituissent, etiam Acatholici servandæ matrimoniorum formæ adstricti fuissent. Nam lex ecclesiastica obligat omnes Fideles, quo nomine etiam Acatholicos comprehendi nemo inficiatur. Hinc magnus Etherodoxorum querimoniis campus apertus fuisset, eorum aversio a Concilio, dum illius Decreti vigore uxores suas pro concubinis haberi, suasque liberos illegitimos declarari doluissent. Contra cum vis Decreti ab ejusdem conditione, seu publicationis necessitate pendeat, sequitur, eadem non existente, nec purificata conditione, Acatholicos nequaquam eodem Decreto obstringi. Hæc autem conditio inter Acatholicos ut deficeret oportebat, siquidem nunquam futurum erat, ut Acatholici novum hoc Decretum reciperent, eorumque matrimonia coram Parocho catholico celebrarentur. Atque ex hac argumentatione inferebatur, Patrum Concilii Tridentini eam fuisse mentem, ut Acatholicorum matrimonia in medio reliquerent, & tacite Decreto isti subducerent. Sed si hæc argumentatio, atque illatio habeat aliquid ponderis, omnes nullo discrimine Acatholicorum societates comprehendit, & per consequens etiam illas quæ in Ducatu Cliviensi versantur. Nonne enim Acatholici in Ducatu Cliviensi commorantes possent queri, quod a Concilio Tridentino eorum uxores concubinæ declarentur, & liberi tamquam omni legitimitatis jure destituti habeantur?

§. 20.

Alii tandem perpendere non omittebant, *quod si matrimonia, de quibus agebatur, irrita declararentur, si quando aliqui conjuges de abjuranda hæresi statuissent, ut ipsis liceret in conjugali societate permanere, necesse haberent consensum renovare coram Parocho catholico, & duobus testibus, alioquin pro legitimis conjugibus se invicem habere non possent.* Quantum porro in hujusmodi consensus renovationibus periculum insit, & quam gravia incommoda inde metuenda essent, enarrando pergebant. *Primum videlicet, quod plures conjuges, quibus Catholicam Religionem amplectendi desiderium inesset, illud fortasse abiicerent, utrinque metuentes ne alter ab altero cum quo multorum annorum spatio libenter vixissent, relinqueretur.*

Deinde quod si forte vir uxori, aut uxor viro displiceret, nec alia ipsis suppeteret via, qua se a contracto vinculo liberarent, facillime evenire posset, ut simularent se ad Fidem Catholicam converti, quo sibi solutionem à matrimonii vinculo quærerent, requisitam nempe consensus renovationem post simulatam conversionem alter alteri denegando. Tertium, quod etiamsi conjuges ad Sanctam Religionem serio, ac firmo proposito converterentur, attamen fieri posset ut præcipua causa ad conversionem impulsiva esset spes recuperandæ libertatis, & abrumpendi vinculi, quod ipsis ad ferendum molestissimum esset; quod ubi eveniret, nemo est qui non videat, quanti conversiones hujusmodi faciendæ sint =. Profecto patientia EE. VV. Reverendissimarum abuterer, si longa oratione probare contenderem, hasce rationes, quas generales esse, & nulli Acatholicorum peculiari loco adstringi nemo non intelligit, etiam Acatholicis in Ducatu Clivensi commorantibus convenire. Res probatione non eget, & si quid adderem, perspicuitatem argumentatione elevarem.

§. 21.

Hæc dicenda putavi, ut singula, quæ in adjunctis precibus brevius angustiusque indicata sunt, uberius, & fusius enuclearem, atque ut juxta formam mandati, super earumdem precum expositis EE. VV. Reverendissimas distincte redderem instructas. Reliquum est, ut de eisdem precibus sententiam meam aperiam. Verum ex his, quæ hactenus dixi, satis superque colligitur, quid ego de eisdem precibus sentiam, & quantum ego deferam Domino Riffart, qui in Ducatu Clivensi de Religione Catholica præclare benemeretur. Itaque supervacaneum putans longius immorari in exponenda animi mei sententia, adferam in medium quæ de hac re sane gravissima duo Canonistæ Germani, qui inter ceteros eminent, edisserunt. *Schmidt Inst. Jur. Eccl. Germ. tom. 2. §. 104.* =ibi= *Certum est principiis catholicis, Ministrum protestanticum non posse haberi pro legitimo Parocho. Quare gravis illa in Germania difficultas exoritur, quid sit de valore matrimoniorum tum inter solas protestanticas Personas, tum inter Catholicum, & Protestantem coram Ministro protestantico, si hic ex loci, & Provinciæ, aut Imperii le-*

legibus adiri debeat, contractorum in locis, & Parochiis ubi Tridentinum receptum fuit olim, promulgatumque. Certum est in primis (cum ex Pace Westphalica Protestantibus sit permittendum, ut juxta suæ Religionis principia vivere queant; hæc autem matrimonia secundum ista contrahantur) pro foro illo externo, & quoad effectus civiles in Imperio nostro habenda pro legitimis: immo vero & alias valida mihi videntur, ut defendunt Kugler de matrim. an. 894., Pichler ad tit. de sponsal. num. 98., & de clandestin. desponsat. num. 15.; quoniam credi non potest de Ecclesia, quod velit urgere leges, ex quibus post fatalia Religionis dissidia, subsequutasque inde paces, plus jam detrimenti, quam utilitatis sit enasciturum, præsertim cum earumdem observatio inextricabilibus difficultatibus obnoxia videatur: adde quod cum nihilominus publicæ ejusmodi matrimonia celebrentur, aliqua jam ratione menti Tridentini satisfiat. Demum sat celebris declaratio Benedicti XIV. 14. Novembris 1741., quæ quidem solum de Belgis sub ditionibus Ordinum foederatorum loquitur, huc nihilominus etiam ADPLICANDA videtur cum eædem in Germania, atque in Belgio persæpe sint circa hanc Tridentini Constitutionem difficultates =. Riegger Jurisp. Eccl. par. 4. n. 76., ibi = Sit quod per expressam legem contrariam hoc Decretum Tridentini Concilii ab Ecclesia nunquam fuerit revocatum; nobis tamen sufficiat, quod Ecclesia id non urgeat, nec urgere possit, quia in Territoriis Principum, & Statuum Imperii Augustanæ Confessioni addictorum, observantia ejus Subditis evasit moraliter impossibilis, & respectu habito ad universam Germaniam plus mali, quam boni post se traheret, cum liberi ex hisce matrimoniis clandestinis procreati, essent illegitimi, & despicarentur; quod pacem atque tranquillitatem mutuamque concordiam, adeo legibus nostris fundamentalibus commendatam, perturbandi quotidianam occasionem præberet =. & in scholio addit idem Riegger, quod menti Decretalium omnino conforme apparet ex Cap. ultimo qui filii sint legitimi, ibi = Ceterum prolem de infidelium conjunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel ulteriore gradu secundum opinionem illorum matrimoniali contraxerunt affectu, post fidem receptam (utilitate publica suadente) legitimam volumus reputari.

ADNOTATIONES

Theologico-Canonicæ

R. P. D.

GABRIELLI

A Secretis Sacræ Congregationis Concilii.

§. 1.

CATHOLICA Religio, quæ Cliviæ olim dominabatur, ab anno 1626., quo in absolutam acatholici Electoris Brandeburgi potestatem venit illius Ducatus, etherodoxæ coæquari cepit. Duo hinc constitutæ hominum societates, catholica, & acatholica; pluresque, ut necesse erat, circa Religionis exercitium ortæ contentiones. Ad eas igitur componendas quædam anno 1672. sub nomine *Recessus Religionis* inita fuerunt pacta inter Electorem Brandeburgi, Comitemque Palatinum (qui ab anno 1609. ad annum 1626. indivisam Ducatus possessionem cum eo retinuerat) illudque præsertim, quod nubere deberet catholica mulier cum dimissoriis proprii Parochi coram acatholico viri Ministro, acatholica coram catholico. Post diuturnam tandem hujusce legis observantiam, tria nunc EE. Patrum judicio subiiciuntur.

DUBIUM I.

An matrimonia contracta inter Catholicos, & Hereticos coram Ministellis acatholicis Ducatus Cliviensis sint valida, & licita in casu &c.

§. 2.

Qui prioribus Ecclesiæ sæculis recta deficiebant fide, ita apud Orientales saltem aversabantur, ut omni interdicta

cta communione, irrita quoque inter eos; & Catholicos essent matrimonia, *Van-Espen. jur. eccles. part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 8. *num.* 6., *Pont. de matrim. lib.* 7. *cap.* 47. *num.* 11. Et quamvis ex universali deinde Ecclesiæ consuetudine, jureque scripto temperatus fuerit rigor, valideque illis Catholici, licet illicite nuberent, *can. cave*, & *can non oportet* 27. *quæst.* 1., *cap. decrevit de hæretic. in sexto*, & *Divus Thomas in* 4. *sentent. distinct.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. *in respons. ad* 5.; post *Sacrum* tamen *Concilium Tridentinum* dubitari cepit de matrimoniis celebratis coram Ministro acatholico; nam *qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia vel Ordinarii, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit*; ut *in cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.*

§. 3.

Tuebantur alii illorum validitatem, in locis etiam ubi publicatum fuisset Decretum Concilii. ac præ ceteris, *Van-Espen. jur. eccles. tom.* 1. *part.* 2. *tit. de spons. num.* 31., *Stalen. dissert. theolog. polit. part.* 2. *pag.* 17., *Teophil. Raynaud. in hæther. spiritual. tom.* 16. *fol.* 7. *ad* 14., *Gobat. theolog. experiment. tract.* 9. *num.* 33. & *seqq.* Contrariam alii tenebant sententiam; tum quia soluti non essent Acatholici legibus Ecclesiæ a qua turpiter secesserant, *Petr. ad Const.* 12. *Joann. XXII. num.* 19. *& seqq. tom.* 4, *Fagnan. in cap. Clericus num.* 56., *& seq. de for. competen.*, *Reinfest. in jus can. lib.* 4. *de clandes. despons.* §. 3. *num.* 132. & *seqq.*, *Schmalzgrueber. eod. tit. num.* 115., *Pignatell. consult. can.* 79. *num.* 26. *tom.* 5., *Rebell. de obligat. just. lib.* 1. *quæst.* 5. *num.* 14., *Pont. dictionar. theolog. moral. tom.* 2. *verb. impedimentum clandestinitatis cas.* 20., tum quia parochialis beneficii titulo destituerentur Parochi, seu Ministelli acatholici, *Fagnan. in cap. quod a prædecessore num.* 26. *ad fin. de schismat.*, *Card. Lauria in* 4. *tentent. disput.* 8. *art.* 3. *num.* 37. Ut verior tamen negativa hæc recepta fuit opinio: *Cum in Romanæ Curiæ Tribunalibus, & Cardinalium Congregationibus, quarundam causarum matrimonialium occasione, super hujusmodi quæstionis capite deliberabe-*

beratum esset, negari nequit, illis ut plurimum magis arrisisse opinionem ipsam, quæ eorum matrimoniorum nullitatem tuetur ut ait *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 6. cap. 6. num. 4., & Sacra Congregatio Concilii in Hollandiæ Matrimoniorum 23. Augusti 1681. lib. 31. Decret. pag. 459., & in Coloniens. 21. Februarii 1728.*

§. 4.

Plura autem sunt testimonia de publicatione conciliaris Decreti in Cliviensi Ducatu, qua posita, irrita essent, juxta secundam sententiam, matrimonia coram Ministellis acatholicis contracta. De ea porro fidem perhibent Parochus Riffart, aliique Parochi, qui secundis subscripserunt precibus. Coloniensis item Nuntius per illationem a catholica dominante Religione ad annum 1609., quo novissimus decessit catholicus Dux; auctore etiam *Patre Hederich. in element. jur. canon. part. 1. §. 102. Not. D.*, qui receptum affirmat conciliare Decretum ab universis Germaniæ Prælatis, Principibusque catholicis. Nuntius insuper Bruxellarum, qui ad Supremam Inquisitionem in simillimo rescribens casu, probabilem dixit illius publicationem in Cliviensi Ducatu, eo quod *erat illo tempore, Ducatus ille* (sunt ejus verba) *ex integro Catholicæ Religioni, ipsique Duces Sedi Pontificiæ maxime addicti. Et quamvis speciale nihil de hoc constet, novi tamen hactenus neminem qui dubitaverit.* Et in altero tandem matrimoniali casu, quem ad Supremam ipsam remisit Inquisitionem Sacra Congregatio de Propaganda Fide, idem testabatur quidam Hollandiæ Parochus, & Archipresbiter Amstelodami sub fide Pastoris Wesaliæ, nempe *Tridentinum in regione ista* (Cliviæ) *verisimilius promulgatum fuisse.*

§. 5.

Ne Acatholici contra absque legitimis essent matrimoniis, novumque contemnerent Concilii Decretum, provide *Tridentini Patres* Ordinariis præscripserunt, ut *cum primum potuerint, curent hoc Decretum Populo publicari, & explicari in singulis Parochialibus Ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime, deinde vero quoties ex-*

expedire viderint; declaratione addita, *ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*.

§. 6.

Nisi certis igitur, perspicuisque probationibus constet de publicatione Decreti, valida in quolibet dubio censeri debent matrimonia etiam *mixta* coram acatholicis Ministellis, seu quod idem est, absque præsentia veri Parochi celebrata; *Navarr. de clandest. despons. cons. 2. num. 6.*, *Marchant. Tribunal. Sacrament. tract. 1. tit. 7. quæst. 10. conclus. 5. tom.. 3. Gobat. in appendic. 1. ad cas. 18. num. 101. litt. E.*, *Pichler de clandest. despons. num. 12.*, & *Sac. hæc Congregatio in Antuerpien. 13. Augusti 1571. lib. 1. Decret. pag. 74.* In dubia enim possessione legis standum est pro libertate, *Salas. part. 2. tract. 8. disput. unic. sect. 18. num. 189.*, *Azor. part. 1. instit. lib. 2. cap. 19. quæst. 12.*, & in terminis Decreti Tridentini *Marchant loc. cit. conclus. 3.* Illudque insuper constare debet, expletam fuisse publicationem in singulis cujusque loci Parochiis, non in Regno tantum, Provincia, vel Synodo, *Petr. ad Constit. 12. Joannis XXII. num. 33. tom. 4.*, *Zipaeus de sponsal. & matrim. cons. 4. num. 3. lib. 4.*, *Reinfest. in jus canon. lib. 4. tit. 3. de clandest. desponsat. num. 21.*, *Schmalzgrueber. in jus can. lib. 4. eod. tit §. 2. num. 98.*

§. 7.

Deficere quidem videtur in nostro themate hujusmodi probatio, quum aliud non sint testimonia relata *sub* §. 4., quam præsumptiones, & conjecturæ, a catholica Ducatus, & priorum Ducum religione desumptæ. Ex his profecto explorata dici nequit publicatio Decreti, nisi probabilis testantium opinio pro veritate habeatur. Maxime quia contrario excluditur æque probabili argumento. Anno siquidem 1563., quo Tridentinam Synodum confirmavit *Pius IV.*, dominabatur Cliviæ Dux Willelmus, isque de calviniana suspectus hæresi, in furore decessit anno 1592. Eodem laboravit furoris malo successor Dux Joannes Willelmus ejus filius ad annum 1609., quo & ipse interiit, teste *Joanne Jacobo*

bo Hoffman. in lexic. univers. verb. Clivia ex ever. Reid. annal. Hollan. lib. 3. pag. 232. . Ac post varios tandem belli casus Ducatum quæsivit acatholicus Marchio Brandeburgi , *Mavery diction. histor. v. Cleves , annal. Cliviæ , Juliæ , Montium &c. editi anno 1721. Francofurti , & Lipsiæ pag. 360.* Verisimile igitur est, publicatum non fuisse conciliare Decretum sub Ducibus de hæresi suspectis , & mentecaptis; indubium autem sub Principe acatholico ,

§. 8.

Probari posset promulgatio ex observantia Decreti , ubi celebrari scilicet consuevissent matrimonia coram Parocho , & duobus, vel tribus testibus secundum *Fagnan. in cap. quod a prædecessore num. 143. de schismat; Schmalzgrueber in jus canon. lib. 4. de clandest. desponsat. §. 2. num. 100. Pignatell. consult. 79. num. 40. tom. 4. , Marchant. in Tribun. Sacram. tract. 1. tit. 7. quæst. 10. conclus. 1. tom. 3. part. 3. , Farinacc. part. 4. decis. seu resol. Sac. Congregationis fol. 271. , & Sacra ipsa Congregatio in Constantinopolitana 16. Decembris 1634. lib. 13. Decret. fol. 140. terg.* , quibus accedit *Benedict. XIV.* in Constitutione *Paucis ab hinc annis* 19. Martii 1758., nam post relata *Concilii* verba, nempe *decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos* , hæc addit §. *Tandem = Quum prævideretur , facile deperditum iri probationes , unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet Parochia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas , num executioni demandata fuisset præscripta conciliaris Decreti promulgatio , numque propterea vim suam obtinere deberet , approbante Pontifice Maximo sancitum fuit a Congregatione Concilii , ad eamdem promulgationem comprobandam sufficere diuturnam observantiam ejusdem conciliaris Decreti , cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis , quo matrimonia in Parœciis coram Parocho , ac duobus testibus celebrata fuerunt , ut videre est in Tricarien. 26. Septembris 1602. lib. 10. Decret. pag. 47. , & in quadam Poloniæ 13. Novembris 1738. lib. 16. Decret. pag. 117. , atque nos ipsi observamus in opere nostro de Synod. Diœces. lib. 12. cap. 5. num. 6.*

Etsi

§. 9.

Etsi vero hujusmodi observantia quoad matrimonia vigeat Acatholicarum cum Catholicis, de quibus non agitur; nam ex *Recessibus* anni 1672. celebrantur coram Parochis orthodoxis ad formam conciliaris Decreti; eam tamen quoad matrimonia Catholicarum cum Acatholicis, quæ coram etherodoxo celebrantur Ministello, incertam affirmat Coloniensis Nuntius in hæc verba: *etsi nemo dubitet, quin in unaquaque Parœcia earum Regionum publicatum fuerit Decretum sessionis 24. cap. 1. de reform., tamen hoc non demonstratur per positivam probationem, quæ saltem colligatur ex immediata nec interrupta serie plurium actuum similium, & Decreto conformium.*

§. 10.

Inobservantiæ immo argumenta sunt tum perantiqua consuetudo celebrandi matrimonia coram Ministellis acatholicis, non servata scilicet conciliari forma; tum rescriptum *Clementis XI.* per Supremam Inquisitionem. Quæsierat anno 1717. Magnus Coloniæ Vicarius normam administrandi *Sacramenta* Cliviensibus Catholicis, qui Acatholicis consanguineis coram Ministello acatholico absque dispensatione Apostolica nupsissent; eamque Summus Pontifex quoad unum consanguinitatis impedimentum in hæc dedit verba; *Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit, ad mentem: & mens est, quod instruantur Parochi, & Confessarii catholici Ducatus Cliviæ, quod moneant suos Parochianos, & Pœnitentes catholicos respective, qui hujusmodi matrimonia contraxerunt, nempe cum hæreticis in iis gradibus prohibitis absque dispensatione Apostolica, ipsos esse in statu peccati mortalis, ideoque consulant propriæ conscientiæ; & si velint in his incestuosis conjugiis persistere, denegent illis Sacramenta. In posterum vero curent dicti Parochi, & Confessarii, ne sequantur hujusmodi matrimonia, monendo, & instruendo Populos sibi commissos, quod absque Pontificia dispensatione non est validum matrimonium inter consanguineos, & affines, illosque hortentur ad contrahendum cum Catholicis; & quatenus sint inter se consanguinei, & affines, excepto primo gradu, recurrant ad S. Se-*

dem pro obtinenda dispensatione Apostolica, quæ ipsis benigne concedatur. Dum nil ergo Summus ille Pontifex de celebratione disposuit hujusmodi matrimoniorum coram acatholicis Ministellis, implicite eam declarasse videtur validam, ob inobservantiam fortasse conciliaris Decreti.

§. 11.

Aliqua sunt observantiæ indicia in *Recessibus*. Cavetur enim *sub artic.* 10. §. 5. de proclamationibus, dimissoriis, & celebratione matrimonii coram alterutro viri Parocho, catholico, vel acatholico ad formam pene conciliaris Decreti, ibi = *Si fiant matrimonia inter Personas diversæ Religionis, proclamationes fiant in utriusque Religionis Ecclesia, etiamsi in eadem Urbe, vel Parochia sit. Dimissoriales hinc inde pro solita taxa petantur, quæ sine conditione, & difficultate dentur. Novi sponsi vero se copulari faciant apud Pastorem, & Ministellum suæ Religionis, hoc tamen modo, quod si sint diversæ Religionis, sponsa debeat sequi sponsum in puncto copulationis.* At certum non præbent observati Decreti argumentum. Proclamationes etiam ante Concilium servabantur. Acatholicus vero Ministellus neque ex deductis *sub* §. 3. verus est Parochus, de quo loquitur *Concilium*, neque legitimus Sacerdos, qui juxta conciliarem dispositionem assistere valeat matrimonio Catholici de licentia Parochi. Quodquè magis est, nulla in *Recessibus* fit mentio de testibus in conciliari Decreto præscriptis.

§. 12.

Magis in Hollandia, fœderatoque Belgio præcisa erat, magisque conciliari Legi consentanea matrimonii forma; nam si unum etherodoxum excipias Ministellum, reliqua omnia exequebantur Catholicorum solemnia. Præcesserat immo mandatum Philippi II. Hispaniarum Regis pro publicatione Concilii; illudque exequi fecerant Margarita Parmensis, quæ Regiones illas ante defectionem ejus nomine moderabatur, per insertionem etiam *Decreti de reform. matrim.* in duabus provincialibus Synodis; & tamen in Causa *Ipren. Visitationis Sac. Liminum*, satis ex ea observantia, Regiisque exequutis

quutis mandatis constare non censuit Sacra Congregatio de illius publicatione *in singulis Parochialibus Ecclesiis*, ac valida idcirco censuit matrimonia mixta, coram etherodoxo Ministro contracta *Ita Benedictus XIV. de synodo diœces. lib.6. cap.6. §.7.*, ibi = *Quamvis admitterent, qui in ea Causa suffragium tulerunt, edita fuisse Regia mandata pro Concilii publicatione, neque denegarent, decretum de refor. matrim. in supra laudatis provincialibus Synodis insertum fuisse; attamen ex his desumi posse dixerunt, nisi quamdam præsumptionem, quod Decretum promulgatum fuerit, ut par erat, in singulis Parochiis, quod tamen ad effectum, de quo agitur demonstrari oporteret per positivam probationem, quæ saltem colligeretur ex immediata, nec interrupta serie plurium actuum similium, & Decreto uniformium, quæ sane probatio in proposito casu non adest.*

§. 13.

At posita etiam sub orthodoxis Cliviæ Ducibus legitima publicatione Decreti, fortasse tamen non afficeret Acatholicos, qui post delatum ad etherodoxum Principem Ducatum, eo ex aliis illius Ditionibus confluxerunt, distinctamque constituerunt societatem, ut ex *Histor. Ecclesiæ Ultrajectinæ Pauli Floynch. in appen. pag.95.*, de similibus societatibus dixit *Benedictus XIV. de Synodo Diœcesan. lib.6. cap.6. §.2. in fin.* Idque ex mente ipsius Concilii; nam ideo cavit, ut *hujusmodi Decretum non prius in unaquaque Parochia suum robur habere incipiat, quam post triginta dies, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*, ne major ab ipso esset Acatholicorum aversio, si illius Decreti virtute uxores pro concubinis, *filios pro illegitimis habere cogerentur*, ut refert *Card. Pallavicinus in Histor. ejusdem Concilii lib. 22. cap. 8. num. 10.*

§. 14.

Dum Clivienses ergo Acatholici, penes quos certe nec publicatum, nec receptum est conciliare Decretum, ab eo immunes sunt ratione distinctæ societatis, ut Angli, Saxones, Dani, Borussi, aliique etherodoxi,

qui illud pariter non receperunt, eadem profecto ob individuitatem contractus gaudere videntur immunitate Catholici, qui cum illis matrimonia contrahunt, *Gobat. Theolog. experim. tract.9. cas.18. num.479.*, *Engel. ad tit. de clandest. despons. num.20. conclus.1. & 2.*, *Van-Espen. de jur. Eccles. part.2. tit.12. cap.5. num.36.*, *Wames. cons. can.530.*, *Svvan. dissert. tit. de spons. duorum §.7.*, *Benedict. XIV. de Synodo diecesan. lib.6. cap.6. §.12.* Potissimum quia juxta *Recessus* anni 1672. necessario orthodoxa fœmina nubere debet coram etherodoxo Ministello viri, nec sine Acatholicorum indignatione, Catholicæque Religionis detrimento, orthodoxum adire valet Parochum, ut Tridentinam servet legem, juxta coloniensem Nuntium. Ubi lex profecto ex morali etiam necessitate exequi nequit, non obligat, & perinde habetur ac si non fuisset inducta, *can. erit autem dist.4.*, *S. Thomas in prim.2.*, *quæst. 95. 96. 97.*, *Fagnan. in cap. si clericus de for. competen. num.58.*, *Marchant. in Tribun. Sacram.*, *part.3. tit.1. quæst.8. conclus.3.*. Nemo enim tenetur ad impossibile, ex *reg.6. jur. in 6.*, diciturque impossibile, quod commode fieri non potest, *gloss. in can. Catinensis Ecclesiæ*, *verb. impossibile*, *distinct. 61.*, & Sac. Congregatio *in Tricarien. 19. Januarii 1605.* relata per *Gallemart. in cap.1. sess. 24. de reform. matrim.*

§. 15.

Omnia vitari possent incommoda, si Catholicæ nuberent Catholicis, juxta monitum *Apostoli 1. ad Corinth.7.*, *in Domino nubant*, aliudque *Clem.XI.* ad Magnum Coloniæ Vicarium, *illos hortentur ad contrahendum cum Catholicis*. Id vero non semper permittit *angustia loci & habitatio inter Acatholicos*, qui majori etiam sunt numero, ut coloniensis notat Nuntius. Ex his porro, aliisque difficultatibus nedum permissa, sed valida etiam inter Catholicos, & Acatholicos censent matrimonia, *Van-Espen. in jus Eccles. tom.1. part.2. tit. de spons. num.31. ad fin.*, *Martin. de Svvaen. de spons. duor. Theophil. Raynaud. in Heterocl. spirit. tom.16. pag.7. ad 14.*, *Gobat. Theolog. experimental. tract.9. num.33.*, *& seq.* ceterisque missis *Schmidt. instit. jur. Eccles. German. tom.2. §.104.*, *Riegger jurispr. Eccles. part.4.*

part.4. num.76., quorum verba exscribit *Nuntius* §.21. *ejus relationis*.

§. 16.

Sive igitur ob incertam conciliaris Decreti publicationem, sive ob peculiares circumstantias Cliviensis Ducatus, in quo Acatholici numerosiores sunt Catholicis, lexque viget de contrahendis matrimoniis coram etherodoxis Ministellis, dubitari non posse videtur de illorum validitate. Quid vero si centenariam spectemus observantiam? Jugiter namque ea matrimonia ab editis *Recessibus*, ac universo spectante Orbe inita fuerunt, & juxta universalem opinionem, *valide*, teste *Van-Espen. tom.1. part.2. tit. de spons. num.32. & seqq.* Vim sane habet consuetudo abrogandi ecclesiasticam quoque legem, si *rationabilis sit*, & *legitime* præscripta *cap. ult. de consuetud.*, *Leg. fin. Cod. quæ sit longa consuetud.*, *Sanol. de matrim. lib.7. disput.4. num.14.*, *Pont. eod. tractat. lib.6. cap.4. num.6.*, *Perez disp.21. sect.6. per tot.*; & in terminis matrimonii clandestini *Wiestner. in jus can. lib.4. de sponsal. & matrim. art.9. num.191.*

§. 17.

Rationabilis in nostro videtur themate, quia conformis juri naturali, & Divino, ex quo valida olim erant matrimonia absque Tridentina forma, & quia nulla in conciliari Decreto est clausula contrariæ consuetudinis abrogatoria. Legitime præscripta, quia satis ad id quadragenariam cum titulo & bona fide censent *Panorm. in cit. cap. fin. de consuetud.*, *Azor. instit. part.1. lib.5. cap.4. quæst.4.*, *Molin. de contract. disp.77.*, *Zoes. de consuet. num.14.*, & utrumque immo cum centenaria concurrit requisitum. Coloratus saltem desumitur titulus ex *Recessibus*, qui catholicas cogunt fœminas ad contrahenda matrimonia coram Ministellis acatholicis contra formam Concilii. Bona vero fides ex constanti Parochorum, & catholicorum Antistitum silentio; quandoquidem = *i matrimonj contratti in quel Ducato contro le disposizioni Conciliari frà un Cattolico, ed una Acattolica, e viceversa, dalla Nunziatura di Colonia non si sono riprovati, e da quei Parrochi sono stati*

stati riconosciuti validi . Ne apparisce , che su tali matrimonj sia stato mosso per lo passato alcun dubbio ; ut ad Supremam Inquisitionem retulit Bruxellarum Nuntius .

§. 18.

Eoque firmior censeri valet hujusmodi consuetudo , quia eam ut prænotatum est , implicite probavit *Clemens XI.*, dum re ex magno Coloniæ Vicario cognita , Catholicos anno 1717. hortari tantum jussit *ad contrahendum cum Catholicis* . Tolerandum ergo censuit , si contra formam Concilii Acatholicis nuberent , ideoque pro legitima consuetudinem habuit ; nam *ipsa consuetudo in tali multitudine prævaleus , in tantum obtinet vim legis , in quantum per eos toleratur , ad quos pertinet multitudini legem imponere . Ex hoc enim ipso videntur approbare , quod consuetudo introduxit* , ut docet *Divus Thomas prima secundæ quæstionis* 97. *art.*3. *ad tertium* , ac post eum *Suar. de Legib. lib.*7. *cap.*18. *num.*20.

§. 19.

Pluries actum in hac Sacra Congregatione de matrimoniis celebratis coram Ministellis acatholicis , constantique sententia declarata fuerunt nulla , ubi de publicatione constaret Concilii , valida ubi deficeret . Casus , & resolutiones sunt post *adnotationes Secretarii in Causa Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum* impressa *in tom.*10. *Thesauri anni* 1741. *pag.* 46. , *& seqq.* Hæc satis quoad primam primi Dubii partem . Quo vero ad secundam , illicita profecto inter Catholicos & Acatholicos censet matrimonia *Tertullianus ad uxorem lib.*2. *& de Corona militis* , *S. Ciprianus de lapsis* , *& Divus Thomas in* 4. *sentent. distinct.*39. *quæst.*1. *art.*1. *ad* 1. per hæc verba = *Si aliquis Fidelis cum Hæretica baptizata matrimonium contrahit , verum est matrimonium , quamvis peccet contrahendo , si sciat eam hæreticam ; sicut peccaret , si cum excommunicata contraheret .*

§. 20.

§. 20.

Advesantur siquidem Juri Divino, quum Religionis diversitas verum inter Conjuges impediat amorem, æternamque Partis catholicæ, sobolisque salutem in discrimen adducat, *S. Ambrosius lib.2. de Abraham cap.9.*, *Van-Espen. part.2. tit.13. cap.8. num.9.* Ea propterea antiqui detestantur Ecclesiæ Canones, ut *ex Concilio Laodiceno can.10. tom.1. collect. Arduini col.784.*, *Agathensi can.67. relat. per Gratian. caus.28. quæst.1. cap.16.*, *Calcedonensi can.14.*, quibus accessit sanctio Bonifacii VIII. *in cap. decrevit de hæret. in sexto*. Eaque uno ore improbant *Pont. in append. de matrimonio Catholicorum de, & cum Hæreticis per tot.*, & inter Germanos ipsos, penes quos frequenter celebrantur, *Laymann. lib.5. tract.10. par.4. cap.14. num.2.*, *Gobat. Theol. experim. tract. 9. cap. 11. num. 216.*, *Engel. ad tit. de matrim. contra interdict. Eccles. §.2. num.2. in fin.*, *Schnier. jur. prod. can. civil. part.3. lib.4. tract.3. cap.5. sect.3. num.55.*, *Pirhing. tit. de spons. num.166.*, *Pichler. eod. tit. num.129.*, *Reinfestuel. num. 360.*, *Schmalzgrueber. in 4. decretal. tit 6. num.137.*, *Neessem. de Sacram. tract.8. quæst.7. Dub.15.*

§. 21.

Flagitiosa insuper sunt hujusmodi matrimonia ob communionem Catholicorum cum Etherodoxis in rebus sacris, graviterque sanctitatem lædunt Sacramenti, ut post *Div. Thom. loc. cit.*, docent *Natal. Alexand. Theol. dogm. moral. de Sacram. Matrim. cap.4. art.8. reg.8.*, *Tournely de matrim. pag.95.*, *Chardon. tom.6. histor. Sacram. cap.13. pag.402.*, *Benedict. XIV. de Synod. dieces. lib.6. cap.5. num.3.*, & *Sac. hæc Congregatio die 22. Junii 1624.* in Causa, cui titulus, *Dubia Jurisdictionis Capellanorum Exercitus lib.12. Decret. pag.183.* Et quamvis Acatholicorum plerique matrimonium excludant a Sacramentis, habeantque pro contractu mere civili, reipsa tamen ea est connubialis contractus ratio, ut baptizatus contrahens cum baptizata, Sacramentum etiam accipiat, quod *Jesus Christus Dominus noster* veluti individuum contractui adjecit, *Serar. in cit. opuscul. de matrim. Cathol. cum Hæret.*

Hæret. cap. 1. *num.* 3. Crescitque flagitium ob illorum celebrationem coram Ministellis acatholicis ; nam peccant mortaliter , qui coram eis tamquam Ministris Ecclesiæ contrahunt , ut definitum refert *a Sac. Congregatione S. Officii* die 29. Novembris 1672. , *Benedict. XIV. de Synod. diœces. cit. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 3. Ex matrimoniali autem illorum formula , ut sacros plerumque adhiberi Ministros affirmat *Lessius in auctar. cas. conscient verb. Hæreticorum cum Catholicis conversatio cap.* 25. , licet aliter sentire videantur *Doctores* quidam apud *Benedict. XIV. loco citato* ,

§. 22.

Illud etiam accedit , quod in cunctis Germaniæ locis , in quibus permixti sunt Catholici Acatholicis , tacitum in illorum matrimoniis , vel expressum est pactum educandi masculinam prolem in falsa patris secta , fœmininam in catholica Religione matris , si fides adhidenda est germanis ipsis Canonistis , quos inter *Reinfest. in lib.* 4. *Decretal. titul. de sponsal.* , & *matrim.* §. 10. *num.* 368. , & *seq.* , illudque quoad Cliviensem Ducatum ex *Recessu* desumitur *Religionis anni* 1672. , ut videre est *in Colonien.* 17. *Januarii* 1728. *relata in Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum* 1741. *tom.* 10. *pag.* 54. Iniquum porro , sacrilegumque hoc pactum cum *Jure* pugnat *Divino* , ex quo parentes educare tenentur filios in vera Religione , in qua una est salus , ut ponderat *Reinfestuel. loc. cit.* , & *Navarr. lib.* 1. *cons.* 1. *quæst.* 25. *num.* 63.

§. 23.

Neque ullo in pretio habenda consuetudo cum *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 72. *num.* 5. , & *Azor. lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 5. ; quandoquidem abusus potius est , & corruptela , quum absque *sacrorum Canonum* contemptu , catholicæque Religionis dedecore contrahi nequeant matrimonia mixta coram Ministellis acatholicis , multoque magis cum iniquo illo educandæ sobolis pacto , juxta *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 6. *cap.* 5. §. 3. , qui serio hac de re , graviterque post *Clem. XI.* Episcopos , Vicarios Apostolicos , Parochos , & Missionarios Hollandiæ , Belgiique fœderati hortatus fuit , *ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis , in propriarum*

Ani-

Animarum perniciem ineundis, quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant; veluti ex *Constitutione* 44. in Causa *Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum* in ejus *Bullar. tom.* 1. §. 3.

§. 24.

Licet vero ob resistentiam Juris res sit de matrimoniis illicitis, fieri tamen valent licita ex dispensatione Summi Pontificis, qui illud justis de causis relaxare, & interpretari valet, *Lezan. de matrim. consult.* 43. *num.* 29., *& seq.*, *Hortad. de matrim. disput.* 24. *difficult.* 2., *Perez eod. tractat. disput.* 36. *sect.* 2. *num.* 7., *& Bened. XIV. de Synod. diœces. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 4. Potissima dispensationis causa est Acatholicorum conversio ad veram fidem: sed æque in id æstimatur Catholicæ Religionis bonum, quod aliquando in mixtis permittendis matrimoniis concurrit, *Lezan. loc. citat. num.* 38., *& seq.*, *Card. de Lug. de fid. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 20.. Hoc autem ex illis in Cliviensi Ducatu optimum, quod *in publicis etiam magno apparatu peractis supplicationibus, in Sacramentorum administratione, Sanctissimi per compita ad ægrotos deductione, aliisque innumeris libertas summa, impedimenti nihil, nihil contemptus ab Acatholicis*, ex testimonio Coloniensis Nuntii.

DUBIUM II.

An, & quomodo Parochi Catholici ejusdem Ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda in casu &c.

§. 25.

Veluti consectarius ex præmissis descendit, licite Clivienses Parochos ad illicita cum Acatholicis coram etherodoxis Ministellis contrahenda matrimonia dimissorias concedere non posse. Per eas namque peccaminosum approbant actum, quem ad monitum *Clem. XI.*, *& Benedict. XIV.*, ac secundum doctrinam *Serarii in cit. opuscul. cap.* 4. *num.* 39. impedire tenentur. Si quis audiat *La-Croix lib.* 6. *punct.* 3. *de matrim. dub.* 2. *quæst.* 89. §. 4. *num.* 246., *& Pont. in appendic. de matrim.*

Cathol. cum Hæret. cap. 9. §. 1. num. 4., licentia contrahendi matrimonium coram Ministellis acatholicis, non formalem, & proximam, sed materialem, remotamque præbet causam actui illicito. Quoad se enim indifferentem ponit actionem, qui illam concedit, ita ut per accidens, & præter ejus intentionem, illicitum sequatur matrimonium. Quidquid vero sit de hac sententia *in abstracto*, haud certe procedit *in concreto*.

§. 26.

Orthodoxi porro Cliviæ Parochi ex *Recessibus* anni 1672. dimissorias concedunt, ut catholicæ mulieres nubere valeant Acatholicis coram etherodoxis Ministellis; ad quem effectum præmittunt etiam denunciationes. Directe ergo illicitis cooperantur matrimoniis, proximeque influunt in malum, quod absque dimissoriis non sequeretur, ut ex firmiori aliorum Theologorum sententia docent *Antoine Theolog. moral. tract. de virtut. Theolog. cap. 6. §. 4. quæst. 6. respons. 2.*, *Cunibiat. tract. de primo Decal. præcept. cap. 9. §. 6. num. 19.* Remotior est denunciationum actus; & tamen Parochus, ut sacer Præco *istiusmodi matrimonii*, *illicitum hoc*, *sacrilegumque matrimonium adjuvat*, ut monet *Serar. in cit. opusc. cap. 3. num. 25.*

§. 27.

In *Sacrum* etiam peccare videntur *Concilium*, dum illegitimos Ministellos acatholicos per dimissorias, indirecte saltem, substituunt, ut matrimoniis assistant, *Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 20. num. 10.*, & *disputat. 21. num. 5.*, *Serar. in citat. opusc. cap. 5. num. 46.*, *Reinfest. lib. 4. decretal. tit. 3. §. 2. num. 81.*, *Pont. de impedim. matrim. cap. 26. §. 26.*, *Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 4.* Hoc porro nec ratione excusari valet loci, in quo permixti sunt Catholici Acatholicis; nam absolute inter eos, ac per consequens ubique interdicta sunt matrimonia, absoluteque prohibetur illorum celebratio coram Ministellis acatholicis, ita ut neque catholicis liceat Parochis dimissorias ad ea contrahenda concedere, ut censuit Sacra Congregatio *in Guesnen. anni 1590. lib. 6. Decret. pag. 111.* Quærebatur sane quoad Russiam, & Pomeraniam, in quibus omnes fere

fere sunt etherodoxi, *an liceat Presbyteris virum Catholicum cum hæretica muliere, & e converso, matrimonio jungere*, prodiitque rescriptum = *non licere conjungere*.

§. 28.

Videt Ecclesia Cliviensium Parochorum indulgentiam; absque positivo tamen actu inferri non potest, quod approbet; Immo *quantum in se est, impedit, nec super eis licentias concedit, nisi vitentur mala, & incommoda, & pericula supra indicata, ob quæ Catholici cum hæreticis contrahere prohibentur: quod etiam servare debent Episcopi, Nuntii Apostolici, & Parochi, ut eadem matrimonia non permittant, nisi Pars hæretica velit ad catholicam fidem redire*, ad tradita *per Card. Petr. ad Constit. Apostol. tom.* 4. *pag.* 75. *num.* 10., & *Pignatelli consult.* 139. *num.* 3., & *consult.* 188. *per tot, tom.* 4. Ex gravi quidem, publicaque causa licitas reddere valet illorum dimissorias, *Serar. cap.* 3. *num.* 21., sed eas absque ipsius dispensatione concedere nequeunt Parochi, *Petr.*, & *Serar. loco cit.*, *Pont. de matrim. in append. cap.* 8. *in fin.*, *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 2., & 3., & *Sacra Congregatio in Causa Capellanorum Exercitus* 6. *Maii* 1694. *lib.* 44. *Decret. fol.* 79. *ad Dub.* VIII.

§. 29.

Hoc igitur quærendum, num justa concurrat dispensandi causa, & quomodo dispensatio componi possit, ut nihil illicitum, nihilque vetitum præseferant actus in vim illius gerendi. Ex *Recessibus* profecto anni 1672. imposita est necessitas Cliviensibus Parochis concedendi dimissorias: alias enim periculum esset, de quo colonienſis monet Nuntius in ejus informatione §. 15. Publicum ergo ex circumstantiis concurrere videtur Catholicæ Religionis bonum, ut id eis auctoritate Apostolica permittatur, consulentibus *S. Bernardo lib.* 3. *de considerat. lib.* 4., & *S. Augustino Epistol.* 50.

§. 30.

Ad rem confert rescriptum Sacræ Congregationis S. Officii 6. Septembris 1724. . Quum enim Episcopus Claudianopolitanus remedium exposceret adversus Vicarium Generalem Episcopi S. Thomæ, qui licentiam concedebat contrahendi inter Catholicos, & Acatholicos matrimonia, Sacra illa Congregatio rescripsit - *Matrimonia inter Catholicos, & Hæreticos esse valida, sed illicita, & sine gravi publica causa, seu etiam privata, saltem reductive bonum publicum in Religione respiciente, non esse permittenda*. A contrario ergo sensu, posita causa publica, vel etiam privata bonum publicum respiciente, permitti valent.

DUBIUM III.

An declaratio S.M. Benedicti XIV. dici 4. Novembris 1741. quoad matrimonia Hollandiæ, & Belgii, sit extendenda ad prædictum Ducatum, in casu &c.

§. 31.

Dubium non est, quin *Benedictina declaratio* tamquam localis, vim in aliis non habeat Regionibus ex regula *Text. in Leg. jus singulare ff. de Legib.*, quam exornat *Rot. in recent. decis.* 316. *num.* 10. *part.* 9., & *in nuperr. decis.* 261. *num.* 2. *tom.* 2. . Idque ex posterioribus confirmatur illius extensionibus, de quibus infra. His enim opus non fuisset, si reipsa *Benedictus XIV.* universalem legem constituisset. Si tales vero sint Cliviensis Ducatus circumstantiæ, quales erant Hollandiæ, Belgiique fœderati, pro quibus declaratio emanavit, modo etiam locus esse posset extensioni. Hæc potissimum in Causa *Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum* concurrebant: *Primo* scilicet, quod certo non constaret de publicatione Concilii, licet gravissima essent illius argumenta, ut in primo notatum est Dubio: *Secundo*, quod post defectionem ab Hispania, duæ in Hollandia, Belgioque constitutæ fuissent ex Catholicis, & Acatholicis societates, neque conciliaris Decreti publicatio ad acatholicam pertineret: *Tertio*, quod servare non consuevissent Acatholici conciliare Decretum, & tamen pro validis habebant

eorum

eorum matrimonia Vicarii Apostolici, quorum primus fuit anno 1671. Joannes Episcopus Castoriensis: Et *quarto* demum, quod ea non fuisset mens Concilii, ut ad etherodoxas societates Decretum extenderet; nam *magnus Etherodoxorum querimoniis campus apertus foret, eoque magis aucta fuisset eorum aversio a Concilio, dum illius Decreti vigore uxores suas pro concubinis haberi, suosque liberos illegitimos declarari doluissent. Siquidem nunquam futurum erat, idque Patres ignorare non poterant, ut novum Decretum ab illis acciperetur, & exequutioni demandaretur, eorumque matrimonia coram Paroccho catholico celebrarentur.*

§. 32.

Eadem ipsa profecto in Cliviensi concurrunt Ducatu. Ex demonstratis siquidem *a* §. 7. *ad* 13. certo non constat de publicatione conciliaris Decreti *in singulis parochialibus Ecclesiis*. Duæ insuper sub Electore Brandeburgi constitutæ fuerunt hominum societates, catholica, & acatholica, neque acatholicam tangit asserta publicatio. Ab editis rursus *Recessibus Religionis* anni 1672. servatum non fuit Decretum in matrimoniis Catholicorum cum Acatholicis, & tamen pro validis habita fuerunt hujusmodi matrimonia coram Ministellis celebrata, ut notatum est §. 17. Et æque demum, ac in Causa *Ipren.*, quoad acatrolicam dici valet Cliviæ societatem, eam non esse Concilii mentem, ut ad illam Decretum extendatur. Hac igitur posita rationum identitate, ad cliviensem extendi posse videtur Ducatum Benedictina providentia, per *Text. in Leg. quod dictum est ff. de pact.*, *Navarr. cons.* 32. *num.* 5. *de sentent. excomm.*

§. 33.

Idque in bonum tenderet Catholicæ Religionis ob spem conversionis acatholici conjugis; aliaque averteret mala, quæ Apostolicus innuit Nuntius; nam si irrita declararentur matrimonia, coram Ministello acatholico contracta, renovandus esset consensus coram Parocho catholico, facileque nonnulli, sive ex animo, sive simulate ad catholicam Religionem conversi, ab eo præstando abstinerent, ut libertatem vindicarent. Difficile præterea esset Acatholicos cogere ad contrahenda ma-

matrimonia coram Parocho catholico contra *Recessus Religionis*. Valdeque postremo urget, quod *generaliter in Territoriis Principum, & Statuum Imperii Augustanæ Confessioni addictorum observantia ejus* (Decreti Tridentini) *subditis evasit moraliter impossibilis, & respectu habito ad universam Germaniam plus mali, quam boni post se traheret, cum liberi ex hisce matrimoniis clandestinis procreati, essent illegitimi, despicatui haberentur; quod pacem, atque tranquillitatem, mutuamque concordiam, adeo legibus nostris fundamentalibus commendatam, perturbandi quotidianam occasionem præberet*, ut in hæc verba disserit *Riegger. Jurispr. Eccles. part. num. 76.*

§. 34.

Nec similia desunt exempla. Benedictinam sane extendit die 29. Novembris 1764. *Clemens XIII.* per supremam Inquisitionem ad Quebecum, & Canadam: die 21. Februarii sequentis anni 1765. ad Uratislaviam: die 12. Septembris ad Malabariam, & die 17. Maii 1767. ad Bombainum. Idem fecit die 5. Maii 1774. *Clemens XIV.* quoad Culmiam. Idemque Sanctissimus Dominus Noster PIUS VI. anno 1780. 2. Martii quoad eam Poloniæ partem, quę Moscorum subest Imperanti. Ad formam etiam Benedictinæ valida declaravit SANCTITAS SUA die 3. Martii 1785. mixta Hiberniæ matrimonia; iterumque die 15. Julii 1790. in particulari Cliviensis Ducatus casu per Supremam Inquisitionem rescripsit = *Ex hactenus deductis non constare de nullitate matrimonii.*

Atque ita sub censura &c.

Julius Gabrielli a Secretis Sacræ Congregationis Concilii,

AME-

AMERINA MATRIMONII. Impenso animo nupsit die 21. Junii 1788. Comes Aloysius Pontici Nobili puellæ Gertrudi Melchiorri. Præ sua vero frigiditate inutiles fuerunt per triennium & ultra maritales congressus, licet venerem excitare studuisset medica arte. Querebatur hac de re uxor; sed viri, & soceri amore Judicem adire distulit. Mense tandem Aprili elapsi anni 1792. *Sanctissimo* supplicavit pro dissolutione matrimonii, ejusque instantia delegata fuit Sacræ huic Congregationi. Vix inchoato coram Amerino Episcopo processu, contradixit Comes, seque idoneum declaravit virum, etsi matrimonium consumare non potuisset cum renuente & inofficiosa uxore. Contrarium deinde sub formali deposuit examine, favitque instantiæ uxoris, itaut in hanc Episcopus prorumpat exclamationem: *Quæ est ista inconstantia? Quæ est ista dictorum contradictio! Modo est strenuus ad opus conjugale, modo imbellis, & iners! Fortasse hujusmodi scænica species nihil aliud est, quam mentis etiam imbecillitas.* *Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.*

Ad rem autem Antistes ipse ex judicialibus peritiis de impotentia testatur viri *vera, reali, perpetua, & insanabili*, ac de intacta virginitate uxoris; sacrisque pro nullitate matrimonii allegatis Legibus, negotium remittit EE. Patrum judicio, & hæc in deliberando rogat notanda. *Habetis*, inquit, *adolescetulam florentissimæ adhuc ætatis annorum 24., quæ præter formam non inelegantem, egregiam præfert corporis omniumque partium conformationem, optime aptam ad opus conjugale. Habetis exquisitam virginitatis inspectionem. Habetis querelam ab uxore delatam, invictasque confessiones, in longa conjugali palestra matrimonium minime fuisse consumatum.*

Regulam præmittunt Defensoras mulieris de dissolvendo statim matrimonio, ubi rectum ex perspicuis probationibus proferri valeat judicium de impotentia viri, juxta *can. quod autem 29. caus. 27. quæst. 2., cap. 1. & 6. de frigid. & malefic.*, quæ exornant *Pont. de matrim. lib. 7. disp. 107. num. 3.*, *Sanch. eod. tract. lib. 7. disp. 92. num. 2.*, *disp. 98. num. 3.* Satis autem est impotentia, quæ ex interiori, atque invisibili procedit causa, *Gonzal. in cap. laudabilem num. 7. de frigid., & malefic., de Just. de dispensat. matrim. lib. 2. cap. 17. num. 11.*, ejusque sufficiunt signa moraliter certa; quod concors nempe sit Peritorum judicium de perpetua, & insanabili

bili frigiditate, eamque juramento confirment Conjuges, & ipsorum Propinqui, qui *septima* ex numero nuncupantur *manus*, *Reinfestuel in ius. can. tit.* 15. *de frigid.*, *& malefic. n.* 43., *Engel. eod. tit. n.* 6., *Schmalz grueber. in Decretal. part.* 3. *tit.* 15. *num.* 78., *Krimer. qu. can. lib.* 4. *Decretal. tit.* 15. *de frigid.*, *& malefic sub num.* 1304.

Duo siquidem Chirurgi, totidemque Medici, qui virilia Comitis Aloysii imperio Judicis recognoverunt, uno ore de absoluta, perpetua, & insanabili testantur illius impotentia. Licet ea namque ad excitandam venerem adhibuissent, quæ *avrebbero fatto qualche sorta di sensazione in un vecchio decrepito*, Comitis tamen penis *non diede alcun motivo*, *o segno di erezione*, *e nè meno di tumefazione*, *cosi che non si mosse per ombra*. Hujusmodi autem impotentiam tribuunt musculorum erectorum paralysi, quæ nulla omnino sanari valet arte, secundum *Zacch. quæst. medic. legal. lib.* 9. *tit.* 10. *quæst.* 2. *n.* 5., *Sinibald. in Geneantrhop. lib.* 3. *cap.* 10., *Deleboe prax. medic. lib* 3. *cap.* 2. §. 7., *Teichmeyer. instit. medic. legal. cap.* 15. *de impotent. conjug.*, *Lient. compend. tom.* 2. *sess. delle malat. delle part. genital.* Medici enim quum hujusmodi paralysim *non intelligere*, *neque sanare potuerunt*, ut inquit *Boerav. prælect. in instit.* 654., ibique *Haller. in not.*, *& Tronchin. de nymph. pag.* 68.

Judicialis accedit utriusque Conjugis confessio de non consumato matrimonio; quidquid in prima extrajudiciali confessione de sua virili potentia dixisset Comes *per sfuggir le derisioni del volgo*, *e per il gran dispiacere*, *che provavo*, *e provo ancora di dovermi separare da detta Signora Geltrude*, *che amavo quanto gli occhi miei*. Et cum septima tandem propinquorum manu depositio concurrit Obstetricum, aliorumq. Peritorum de virginitate mulieris, quæ consumationem excludit matrimonii, per *Text. in cap. proposuisti* 4. *de probat.*, *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 109. *num.* 6., *Guttier. eod. tract. part.* 3. *cap.* 120. *num.* 21. Certa autem adesse virginitatis signa, probat *Text. in cap. causam matrimonii* 15. *de probat.*, dum præscribit, deputari Matronas *ad inquirendum*, *utrum Puella virginitatis privilegio sit munita*; & contra alios sustinent *Valentin. novell. medic. legal. cas.* 8., *Vesling. anatom. cap.* 1., *Bartolin. instit. anatom. lib.* 1. *cap.* 31., *Teicm. instit. medic. legal. cap.* 4. *num.* 2., *Ruysch. thesaur. anatom. lib.* 3. *tom.* 2. *theor.* 5. *num.* 56.

num. 56., *Scuring. in mulieb. lection.* 2. *cap.* 5. §. 9. & *seqq.*, *Heister. compend. anatom. pag.* 104.

Ex his igitur exploratam censent Defensores Gertrudis absolutam Comitis Pontici impotentiam ad opus maritale, ita ut post inutile veneris periculum per annos fere quatuor, supervacanea sit ulterior cohabitatio juxta *cap.* 5. *de frigid.*, & *malefic.* Decernitur enim triennalis cohabitatio, ubi de absoluta, & perpetua non constat impotentia viri; non item si de ea conveniant Periti, Conjuges, & Propinqui, *Barbos. in jus can. cap.* 1. *n.* 8. *de frigid.*, & *malefic.*, *Leurenn. in jus can. lib.* 4. *tit.* 18. *quæst.* 252. *num.* 2., *Pont. de matrim. lib.* 7. *cap.* 66. *num.* 11. *Pirinch. in decretal. lib.* 4. *tom.* 5. *num.* 16., *Sanch. de matrim. lib.* 9. *disp.* 107. *num.* 3., *Mascard. de probat. concl.* 211. *num.* 3., & *concl.* 813. *num.* 5.

Certam contra non autumat Defensor Matrimonii impotentiam viri, ut ad dissolvendum Sacramenti vinculum ex præmissa canonici juris regula requiritur, Valde profecto de ea dubitandum ait ob non delatam illius querelam ad Judicem post mensem, aut duos, secundum *cap.* 1. *de frigid. & malefic.* Verisimile enim non est, quod cohabitare voluerit mulier cum impotente viro per quatriennium. Extrajudicialiter quidem ab inito matrimonio queri cepit de non sequuta illius consummatione; sed contra præsumptionem potentiæ, a diuturno mulieris silentio ductam, judicialis dumtaxat attenditur querela, ut exornando *cit. cap.* 1., notant *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 109. *num.* 2. & *seq.*, *Brunell. de sponsal. concl.* 28. *limit.* 1. *num.* 16. Parumque qui matrimonium tuetur, deferendum censet juramento Conjugum, quum suspicione non careat ipsorum conventio pro dissolutione matrimonii, *gloss. in dict. cap.* 1. *verb. probari*, *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 108. *num.* 3., *Pont. eod. tract. lib.* 7. *cap.* 66. *nu.* 4. Maxime quia de sua vir juravit potentia in prima declaratione, quæ prævalet secundæ *ex cap. cum in tua, de testib.*, *Menoch. de arbitr. cas.* 108. *num.* 10., *Card. de Luc. de judic. disc.* 32. *num.* 71. & *seq.*

Exceptione pariter non vacat juramentum Propinquorum. Hi enim, qui de auditu a muliere, vel ex oculari inspectione in ejus recognitione, de non consumato testantur matrimonio, septem tantum sunt Propinqui mulieris & viri, cum tot esse deberent ex parte utriusque, juxta *cap.* 5. *de frigid. & malefic.*, & *can. requisivisti* 2. *caus.* 33. *quæst.* 1., *Sanch. de matrim. lib.* 7

*disp.*108. *num.*7. *& seq.* Despicitque matrimonii Defensor quatriennem cohabitationem, tum quia secundum primam viri declarationem, neque continuam, neque officiosam, contra dispositionem *cap.*5. *de frigid. & malefic.*, tum quia expletam absque decreto Judicis, a quo incipit triennalis *in eodem capitulo* præscripta, *Card. de Luc. de matrim. disc.*9, *num.*20., *Pont. eod. tract. lib.*7. *cap.*66. *nu.*12., *Rot. post Zacch. quæst. medic. legal. decis.*22. *num.*5. *& seqq.*, *& Sacra hæc Congregatio in Januen. Matrimonii* 16. *Aprilis* 1791. Neque Emos Patres morari debere inquit, quod consummatum non fuerit matrimonium; nam evidens impotentiæ viri signum non arbitrantur virginitatem mulieris *Tondut. quæst. benefic. cap.*79. *num.*3., *Sanch. de matrim. lib.*7. *disp.*109. *num.*10., *& Rot. post Zacch. quæst. medic. legal. decis.*14. *num.*10. Impediri enim potest virilis potentia maleficio, *Sanch. cit. lib.*7. *disp.*24. *num.*6. Quamquam ex primis Comitis vocibus adhibuerit Episcopus ad illud dissolvendum exorcismos,

Inficiatur de cetero Defensor matrimonii signa virginitatis cum *Gentil. tract. de nupt. tit.*9., *Teichmeyer. de virginit. cap.*6. *quæst.*6., *Salmuth. annot. in Guid. Pancirol. rer. memorab. part.*2. *tom.*10., *Ursaya discept. eccles.*13. *num.*64. *tom.*4. *part.*1., *Pont. de matrim. lib.*7. *cap.*63. *num.*4. Ac perfecta tandem ostentat virilia Comitis, licet per quatriennium inutilia. Ex illorum namque conformatione argumentum desumit virilis potentiæ ex doctrina *Innocent. in cap.*1. *de frigid. & malefic.*, *Alciat. de præsumpt. reg.*1. *præsumpt.*45. *num.*1., *Sanch. de matrim. lib.*7. *disp.*113. *num.*20.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

*Sess.*21. *cap.*2. *& sess.*23. *cap.* 12. *&* 16. *de reformat.*

ASCULANA ORDINATIONIS. Quæsitum fuit in Congregatione diei 24. Martii elapsi anni = *An Subdiaconus Aloysius Ciannavei sit promovendus ad sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines*; & in posteriori Congregatione diei 21. Aprilis rescripserunt Emi Patres = *Recurrat humiliter ad suum Ordinarium*. Asculanum nempe Episcopum, qui Aloysium à dicta promotione constanter rejecerat. Dimisso itaque seraphico Ter-

tia-

tiarii habitu ad triennium delato, pluries Subdiaconus mandatis obtemperans Sacræ hujus Congregationis Episcopum adiit, qui post varias demum repulsas, ut Vicario Capitulari à testibus fide dignis relatum est, *post aliquid temporis petitum ordinem se ipsi collaturum promisit*. Quum morte vero præventus, supplicantis vota implere nequiverit, denuo Subdiaconus Ciannavei Eñas Vestras exorat, ut veniam Vicario Capitulari concedere dignentur relaxandi sui favore Dimissorias, quarum ope ad Diaconatus ordinem promoveri possit.

Super his autem precibus nonnulla Vicarius capitularis ad rem notat in hæc verba: *Præcipuum defuncto Episcopo eiiciendi Oratorem fundamentum erat, quod ludo vacaret. Attamen emendationis signa etiam post dimissum seraphicum habitum Orator exhibuit, idque mihi duorum Parochorum testimonio probatum est, qui etiam retulere, Ecclesiæ servitio ipsum esse addictum, moresque Ecclesiastico statui convenientes induisse. Hisce præmissis* [concludit] *attento tot annorum lapsu, ac mora inter Minores Observantes facta, qui Vicario generali recinetensi à me interpellato bonum de Oratore testimonium præbuere, supremum EE. PP. judicium erit decernere, an annuendum pro Dimissorialibus, ut quatenus reperiatur quoad Doctrinam idoneus, ad petitum Ordinem valeat promoveri*. Resumpto itaque Folio diei 24. Martii elapsi anni, ad Dubium juxta preces reformatum respondere dignentur Eñi Patres.

An Vicario capitulari dandum sit indultum relaxandi Dimissorias pro Diaconatu favore Subdiaconi Aloysii Ciannavei in casu &c.

Expectet.

ALBINGANEN. Testamento diei 15. Junii 1756. jussit Sanctinus Cassinelli, ut ex sua pecunia numerata, aliorumque bonorum pretio post ejus mortem acquirerentur stabilia, eorumque fructus æquis dividerentur portionibus inter binas suas filias, Candidam Rosam nempe monialem professam in Monasterio SS. Annuntiatæ Vighizzolis, & Franciscam Xaveriam professam in Monasterio SS. Visitationis oppidi S. Romuli, cum reciproca inter eas substitutione. Utraque vero defuncta mandavit, *che dei detti frutti, o sia redditi ne* *Sess.22. cap.6. & sess.25. cap. 4. de reform.*

restino possessori, o siano padroni li due sovrascritti Monasteri, coll'obbligo però che ognuno dèi detti due Monasteri sia tenuto far celebrare tante Messe nelle respettive loro Chiese, che corrispondino alla limosina di soldi dodici moneta fuori Banco in perpetuo, ed in suffragio dell'Anima di esso Codicillante, e di dette sue figlie; quali due Monasteri potranno dividersi la metà de frutti, o sia redditi sudetti, o pure fare che un' anno li goda e sfrutti il Monastero di Vighisolo, e l'altro il Monastero di S. Remo. Die hinc 28. sequentis Julii donavit Monasterio SS. Visitationis S. Remuli januenses libellas 10000. cum onere præstandi sibi quoad viveret, eoque defuncto Franciscæ Xaveriæ ipsius filiæ annuas libellas 400., deindeque instituendi in Ecclesia ejusdem Monasterii perpetuam quotidianæ Missæ capellaniam cum eleemosyna solidorum sexdecim.

Ad componendas post obitum Cassinellii filiarum controversias, conventum per transactionem fuit anno 1764. inter eas, ac respectivi Monasterii Moniales, ut quemadmodum Francisca Xaveria ex donatione anni 1756., ita annuas Candida Rosa consequi deberet libellas 400. ex altero investimento libellarum 10000., *quale impiego si farà in testa e credito del detto Monastero della SS. Visitazione di S. Remo, per doversi però li frutti di esso riscuotere liberamente dalla detta Suor Candida Rosa sua vita naturale durante . . . e dopo la vita di detta Suor Candida Rota dovranno detti frutti spettare alla detta Suor Francesca Saveria di lei Sorella . . . e dopo la vita di entrambe tanto il capitale, come li frutti dovranno restare a disposizione del detto Monastero di S. Remo per adempirne la celebrazione delle Messe ordinate dal detto Santino loro comune padre alla forma del detto suo testamento.* Investimentum hoc libellarum 10000. accurate ad formam transactionis expletum fuit, ac post obitum superstitis sororis Cassinelli mense Martio 1791. delatum est ad Monasterium S. Romuli cum altera summa libellarum 15000., quas Monasterium ipsum habuit vigore donationis, & testamenti.

Existit adhuc capitale illud libellarum 10000., ejusque fructus in celebrationem eroganntur quotidianæ Missæ. At libellas alias 15000. consumpserunt Moniales S. Romuli in lites adversus debitores hereditatis, in sumptus transactionis, canonizationem earum Fundatricis, propriamque sustentationem, ut ex testibus fide dignis

(ob

(ob defectum adnotationis in codicibus Monasterii) in prima informatione retulit Albinganensis Episcopus. Hoc tamen non obstante, plurimas Missas celebrari fecisse asserunt Moniales cum viveret adhuc Soror Francisca Xaveria, *quod ad id se adstrictas, utpote simplices, putarent*; aliasque Missas 476. celebrari fecit hodierna Abbatissa post obitum Testatoris, *non sine tamen Monialium sibi subditarum incommodo, quod ideo sibi non parum de decenti sustentatione detractum viderent*, eodem Episcopo teste. Nuper tandem *Sanctissimo* supplicavit Abbatissa pro absolutione quoad præteritum, & futurum ab onere Missarum, quæ celebrari debuissent, & deberent pro consumpto capitali libellarum 15000., precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, notavit in prædicta informatione Episcopus, quod *si ea quindecim lirarum millia collocata fuissent in Locis S. Georgei Genuæ, quemadmodum erant de more collocanda, quum ibi annuus fructus sit fere semper duo cum dimidio in centena singula, summa fructuum annuatim 375. liras monetæ genuensis attigisset; ac proinde juxta constitutam a Testatore in obolos duodecim monetæ genuensis in singulas Missas eleemosynam, Missarum quotannis celebrandarum numerus sexcentarum viginti quinque attigisset.*

Favens hinc Oratrici, hæc habuit: *Jam quis tam obdurato animo sit, ut infelicem harum Monialium conditionem non misereatur? Ingens est Missarum numerus, queis nondum adimpletum est; ingens in perpetuum quotannis celebrandarum, quibus sane oneribus ferendis impares omnino sunt. Etenim præterquamquod ea quindecim lirarum millia non amplius extant, quamplurimis, iisque gravissimis detrimentis, ac ærumnis Monasterium per hosce annos fuit obnoxium. Pecuniarum variis in partibus collocatarum jactura: mala citrina cum arboribus, quorum maximus in ea regione reditus est, frigore adusta, atque interfecta; Monialium ejusdem Ordinis, Massilia præsertim, ac Nicæa emigrantium, atque alio commorantium, ad hospitale Monasterium frequentissimus concursus. ea plane sunt, quæ meum maxime animum movent, ut ad EE. VV. supplex & ego orator accedam.*

Iterumque requisitus, in secunda addidit informatione, quod *Monasterium, de quo agitur, constat in præsens Monialibus quadraginta quinque, cum per elapsos annos quæ de choro erant, numerum hunc attingerent, aut*

etiam excederent; quarum quidem industria suis in mu-niis obeundis versatur, tum in fœmineis laboribus, quos inter non postremus est lanificium ad ipsius Monasterii usum atque utilitatem. Et hæc de activo retulit, & passivo Monasterii statu: *Huic Monasterio redeunt quotannis partim ex fundis, & si quæ sunt emolumenta ex piorum hominum satis nunc temporis refrigescente liberalitate, circiter mille quingenta romana scuta. Onera vero sunt, præter quotidianas expensas, tercenta quinquaginta circiter romana scuta, quæ in persolvendis fructibus, in Missis celebrandis, in mercedibus impendendis insumuntur. Quod autem non exigui oneris est, debet Monasterium circiter quatuor millia quingenta romana scuta. Hoc scilicet æs alienum contractum ab eo est duodecim annorum proxime elapsorum spatio tum ob damna ab gelu fundis per hosce annos illata, tum ob communem annonæ caritatem; quamquam sane non defuerit major, quæ haberi posset in iis, quæ ad victum, & vestitum necessaria sunt, parsimonia.*

Deliberandum igitur primo de futura Missarum celebratione. In pietate siquidem confidens religiosarum mulierum S. Romuli, insigne Testator eis credidit capitale, ne suffragium unquam sibi deficeret Missarum. Durum idcirco nimis, asperumque videtur, piam frustrari ejus voluntatem, per *Text. in can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. Capitale insuper illud, quod per transactionem anni 1764. libellarum fuit 15000., in commodum cessit Monasterii, & Monialium, ut refert Episcopus; ideoque eo etiam non existente, injunctum adimpleri debet Missarum onus, *Pasqualig. de scrific. Miss. quæst.* 1065. *num.* 2., & 3., cum aliquo etiam Monialium incommodo, *ex cap. qui sentit. de regul. jur. in sexto*. Si aliquid porro majori parsimonia ex Monasterii sumptibus dematur, facile annua cogi possent scuta romana 75., quot pro Missis 725. cum eleemosyna obolorum duodecim requiruntur.

Altera vero ex parte ponderandæ sunt circumstantiæ Monasterii. Annuum quidem habet reditum scutor. 1500., sed detractis oneribus scutorum 350., quæ meminit Episcopus, aliisque scutis 180., quæ verisimiliter ad taxam legalem pro fructibus solvuntur scutorum 4500., quorum debito gravatum est Monasterium, libera remanent scuta 970.. Summa hæc inter 45. Moniales divisa, cuilibet pro victu, & vestitu scuta obtingunt 21.50., quæ ad id fortasse nostris temporibus non sufficiunt

ciunt. Parum de cetero per celebrationem Missarum 625. singulis detraheretur; nam ad cogendam summam scutorum 75. quælibet 45. Monialium portio in scuto decresceret uno, & obolis 66.. Nisi autem indulgere velint EE. Vestræ pro abolitione oneris, ponderare dignentur, num locus sit illius saltem reductioni, ut aliquod Moniales habeant levamen, sive ad tempus, ut *in Nocerina Paganorum Reductionis Missarum 5. Septembris* 1778., sive in perpetuum, ut *in Faventina Reductionis Servitii Chori, & Missarum 7. Februarii* 1784.

Agitur secundo de absolutione quoad præteritum; eamque impedire posset Monialium culpa, ob erogatas in alios usus libellas 15000., quarum fructus in celebrationem erogandi erant Missarum, contra monitum *Vital. in Clement. quia contingit 2. de relig. domib.*, *Monet. de commut. ult. vol. cap. 6. num. 86.*, & 110., *Pignatell. consult. canon. 81. num. 78. tom. 9.*. Notandum vero, Missarum omissionem non excedere biennium; quum ad formam testamenti incipere debuisset celebratio ab anno 1791., quo secunda decessit Testatoris filia. Moniales contra celebrari fecerunt viventibus usufructuariis Missas *plurimas*, aliasque 476. hodierna Abbatissa. Ideoque vel nullæ, vel non multæ superessent celebrandæ, pro quibus indulgentiam mereri posset Monasterium indigens, ut *in Syracusana 7. Februarii* 1705. *lib. Decret. 55. fol. 44.*

Dubia sunt

I. *An sit locus abolitioni, seu potius reductioni oneris Missarum quoad futurum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

VOLATERRANA JURIS OPTANDI. Insigni floret Capitulo Volaterrana Cathedralis, quin tamen par sit præbendarum fortuna. Inter Dignitates enim unica annuam excedit summam scutorum 100., reliquæ vix pertingunt scuta circiter 70., vel 80.. Ex Canonicorum vero præbendis pinguior superat annua scuta 100., ceteræ vel inferiores sunt scutis 26., quot percipit Canoni- *Sass. 5. cap. 1., & Sess. 24 cap. 8. de Reform.*

nonicus Pœnitentiarius, vel non excedunt theologalem annui reditus scutorum 35. . Omnium vero præbendarum canonicalium collatio quum spectet ad Capitulum ex vetustissima consuetudine, *& cap. cum Ecclesia volterana de Elect.*, *& Elect. potest.*, obtinentibus hinc tenues præbendas Constitutiones Capituli ita consuluerunt = *Antiqua constitutione Ecclesiæ nostræ cautum reperitur, & hactenus laudabili consuetudine observatum existit, ut antiquior Canonicus gradatim si voluerit, possit meliores optare præbendas; id quod a jure tamquam legitime factum sustinetur. Quare eamdem constitutionem innovantes, decernimus, optionem præbendarum fieri debere in mensibus duntaxat Ordinariis competentibus, in reservatis vero Sedi Apostolicæ, nequaquam. Optionis autem ordo hic erit. Secunda die convocato Capitulo, Canonicus ordine antiquior priorem habeat, si voluerit, optandi facultatem, quod si noluerit, optio fiat a Canonico ordine gradatim subsequente usque ad novissimum.*

Constitutiones hujusmodi, quarum ignoratur epocha, ut antiquissimæ, nullam habent specialem mentionem Canonici Theologi, & Pœnitentiarii, qui recentioris fortasse sunt institutionis, & hactenus a jure optandi fuerunt exclusi. De theologali enim præbenda hæc superest notitia ex libris Decretorum S. hujus Congregationis. *Sanctissimus D. N. contentus fuit, expediri supplicationem, ut præbenda certi competentis reditus primo vacatura erigatur in theologalem, ita quod ista præbenda non possit amplius optari, sed perpetuo ab ipso Theologo obtineatur, nec Theologus possit alias præbendas optare*, ut *in Volaterrana diei* 18. *Maii* 1598. *lib.* 9. *decret. pag.* 60. . Quo vero tempore, quibusve conditionibus hæc exequuta fuerit gratia, nullum in Archivio episcopali extat indicium. Pœnitentialis autem erectio desumitur ex appendice Synodi volaterranæ anni 1724. *cap.* 20. §. 39., ubi hæc leguntur = *Ad hoc ut tutius habeatur Canonicus Pœnitentiarius, deputamus præbendam S. Justi, cui unimus primum simplex Beneficium vacaturum, dummodo accedat ad summam scutorum* 20.; *Quod si non ascendere comprehendatur, uniemus & alterum, ad hoc ut possit habere subsidium ad perficiendum suum munus omni diligentia. Et sic perpetuis futuris temporibus hujusmodi præbenda S. Justi erit pœnitentialis.*

Quum

Quum vero decreta unio simplicis Beneficii favore Pœnitentiarii exequutionem adhuc expectet, neque vicissim alia præsto sint media augendi tam præbendam illam, quam theologalem, Sanctissimo supplicavit hodiernus Episcopus, ut Canonico Theologo Fabricio Selvi, nec non Pœnitentiario Cajetano Sanfinocchi, eorumque successoribus indultum optandi pinguiores Canonicatus, & Dignitates etiam concederet.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, per secreta suffragia annuit Capitulum, dummodo optio fieret *a forma delle solite regole d'anzianità a qualunque præbenda canonicale, o Dignità*; similemque præstitit assensum quoad successores in iisdem præbendis. Refert porro Episcopus, quod requisiti Pœnitentiarius, ac Theologus *an optare vellent alias præbendas cum conditione retinendi munera Pœnitentiarii, ac Theologi, cuicumque Superiorum resolutioni promptos, ac paratos sese exhibuerunt*. Hisque præmissis, ait, *Constitutiones capitulares hujus Ecclesiæ Volaterranæ liberam tribuunt omnibus Canonicis optandi facultatem, juxta ordinem suprarelatum. Hi tantummodo prohibentur, Pœnitentiarius nempe, & Theologus, qui majoribus ut plurimum præditi requisitis, non parum laboris impendunt pro adimplendis oneribus sibi adjunctis. Via promptior esset (fateor & ipse) uniendi aliquod simplex Beneficium, quemadmodum pro Pœnitentiario præscriptum olim fuit; sed nunquam exequutioni mandatum, & nimis durum fortasse esset pro hac Diœcesi, quæ hactenus non paucorum Beneficiorum passa est diminutionem, aliorum unionem decernere non sine evidenti Clericorum prejudicio, qui carent legitimis titulis pro majoribus ordinibus assequendis.*

Posset etiam (pergit) *adsignari aliqua præbenda pinguior inter capitulares ad formam Constitutionis Benedictinæ; verum doleret, & ægre ferrent Capitulares, ademptum sibi jus esse ad liberam optionem illarum præbendarum, quæ pinguioris sunt reditus. Nec satis pro mea quidem sententia communi hujus Ecclesiæ bono consultum videretur, si præfatis Pœnitentiario, & Theologo libertas accederet optandi alias præbendas, munera eadem sibi adnexa retinendo. Siquidem vacante per optionem Pœnitentiarii, vel Theologi præbenda, aut hæc de idoneo Canonico provideretur, aut non: si de idoneo, nil est, cur debeat optando priora munera re-*

tinere ; sin minus quando diem clauserit extremum , qui hac conditione optavit , quisnam erit qui Pœnitentiarii , vel Theologi munera explere debeat ? In his ergo circumstantiis , & spectato præsertim consensu Capituli Emis VV. decernendum relinquit , *an liberum debeat esse in posterum actuali Pœnitentiario , & Theologo , eorumque successoribus jus optandi , juxta Constitutiones capitulares , quoscumque Canonicatus , & Dignitates ,*

In re altioris indaginis rogati etiam fuerunt Ministri Datariæ , quorum votum diligenter elucubratum hæc habet = *Rem alias relative ad ipsam Cathedralem actam fuisse habemus resolutionibus hujus Sac. Congregationis relatis a Card. Petra in Constitut. II. Innocentii VI. tom. 4. num. 24. in fin. &c. adhæsivis juris dispositioni , quæ petitioni adversatur , præsertim Concilii Tridentini , quoad Theologalem in cap. 1. sess. 5. , & quoad Pœnitentiarium cap. 8. sess. 24. de reform. , & quam plenissime post dict. Card. Petra juris observantem censuram , firmavit Constant. vot. 530. a num. 1. ad 8. At quia non ex jure , sed & gratia supplicatur SSmo Domino Nostro , hinc ab ejus suprema voluntate exitus derivabit per viam indulti . Hoc per organum Sac. Congregationis alias prodiit in Pisauren. anni 1648. , & in Sabinicen. anni 1688. , ut refert idem Petra loco citat. sub num. 25.*

Optionis jura in ecclesiasticis Beneficiis canonicæ innituntur æquitati , qua cautum , ut qui præ ceteris laboris diuturnique servitii sustinuerunt onus, præ ceteris quoque remunerationis commodum sentire debeant . Plura sunt loca in collectione *Gratiani* , atque inter *Decretales Gregorii IX.* , quæ benemeritis ecclesiasticis hanc expromittunt mercedem & præsertim *in cap. 5. & 9. distinct. 74. , cap. 45. 66. , & 67. caus. 12. quæst. 2. , cap. 1. de sepult. , & cap. 5. & 11. de majoritat. & obed.* , de quibus fusè disserit *Gibert. in jus can. tract. de Eccles. Ministr. tom. 2. tit. 8. pag. 161. sub regul. 2.* ; Hoc tamen optionis commodo ex comuni *Doctorum* opinione frui nequeunt Canonici , qui vocantur *de officio* , quales sunt Theologus , & Pœnitentiarius . Quum enim respectivis eorum officiis perpetuo & inseparabiliter adnexa sit præbenda , & ob peculiares qualitates ad eam obtinendam requisitas , electa videatur industria per-

personæ, quæ variationem non admittit, idcirco tum Pœnitentiarius, cum Theologus neque retento, neque dimisso munere absque speciali indulto alias optare possunt præbendas; licet quoad ceteros capitulares peculiari statuto vel privilegio hæc data sit venia. Ita uno ore tradunt *Passerin. in cap. cum in tua de consuetud. in 6. num. 102.*, *Moneta de option. cap. 3. quæst. 5. num. 129.*; *Barbosa de Canon. cap. 26. num. 23. & seq.*, *Garzia de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 132. & sequen.*, & *Fermosin. oper. omn. tom. 1. pag. 220. num. 42.*

Neque asperum videtur *Giberto loco citat. pag. 164. quæst. 4.*, quod hac in re Theologus, & Pœnitentiarius deterioris sint conditionis, quam ceteri Canonici, dum vicissim obtinentes sæpe inferiores præbendas, pro gravitate muneris, & laboris speciali favore potius prosequi deberent. Nam Inquit, *placuerat Concilio Basilensi sub Eugenio IV.*, & *Carolo VII.*, & *Concilio Lateranensi V. sub Leone X.* & *sub Francisco I.* (quorum Canones instauravit Sac. Concilium Tridentinum *sess. 5. cap. 1. de reformat.* & Concilium Romanum *cap. 9. tit. 1.*), *ut primo vacatura præbenda assignaretur Theologo &c. Unde ubicumque inæquales erant præbendæ, necesse erat, ut Theologus exponeretur ad habendam hic minimam, illic mediocrem, sicut alibi maximam. Quod dictum de Theologo, dicendum de Pœnitentiario* (ad hunc enim san. mem. Benedictus XIII. in Constitut. *Pastoralis Officii* §. *Postremo* sanctiones omnes præbendam theologalem respicientes extendit) *sed si quid sit incommodi, ut Theologus, qui minimam habet præbendam, nunquam majorem habere possit, & qui mediocrem, nunquam maximam, non contemnendum commodum est, ut quis incipiat a præbenda mediocri, vel etiam a maxima, nunquam obnoxius minimæ possidendæ, quod contigit iis Theologis, qui mediocrem vel maximam sortiri sunt præbendam eo tempore, quo institutum est illorum Beneficium.*

Reque vera, si retento munere Theologus, & Pœnitentiarius Volaterranæ Ecclesiæ, eorumque successores optandi jure frui debeant, jam præbendæ inseparabiliter & perpetuo unitæ a respectivo eorum officio dividerentur, quod absque legitima causa fieri posse negant *Passerin. in citat. cap. cum in tua quæst. 1. artic. 2. num. 200.*, *Gonzalez. ad regul. Cancellar. gloss. 34. numer. 78.*

*mer.*78. , & *seq.* , & *Petra ad Constitut. Innocentii VI. tom.*4. *pag.*250. *num.*16. . Si dimisso autem munere , eadem danda sit venia , ob frequentes vacationes , reditusque tenuitatem valde metuendum , ne viri necessariis præditi requisitis deficiant , qui ad Theologalem, vel Pœnitentiariam concurrant. Atque his fortasse de causis Sac. hæc Congregatio dum in Volaterrana Ecclesia præbendam primo vacaturam in Theologalem erigi permisit , ex Oraculo SSmi decrevit , *quod præbenda theologalis non possit amplius optari , sed perpetuo ab ipso Theologo obtineatur , nec Theologus possit alias præbendas optare*; ut in citata *Volaterrana* 18. *Maii* 1598. *lib.*9. *decret. pag.* 60. , iterumque *in Asten.* 26. *Februarii* 1606. declaravit , *obtinentem præbendam theologalem non esse admittendum ad jus optandi competens Canonicis* , ut refert *Garzia de Beneficiis part.*5. *cap.*4. *num.* 134. , & *in Sebinicen.* 2. *Decembris* 1651. apud *Constant. Vot.*530. *num.*4. = ibi = *obtinentes præbendas theologalem , & pœnitentiariam non esse admittendos ad jus optandi , etiam de consensu Capituli.*

Utriusque præbendæ tenuitati prospici posset per unionem simplicium Beneficiorum , quæ licet decreverint, non omnia tamen perierunt in Volaterrana Diœcesi. Hæc quippe remedia proposuit Sac. Synodus *Tridentina in sess.*5. *cap.*1. *de reformat.* , & *Benedictus XIII. in Constitut. Pastoralis Officii* , iisdemque potius inhærendum censuit Sac. Congregatio *in Camerien. Præbendæ Theologalis* , & *Pœnitentiariæ* 3. *Decembris* 1735. , *atque in Cajetana* 26. *Februarii* 1774. Notandum tamen cum Episcopo , quod ab ipsa erectione præbendæ pœnitentialis unio simplicis Beneficii ad augendos ejus reditus decreta quidem fuit, sed nunquam exequutioni commissa , quodque , *durum esset pro hac Diœcesi , quæ hactenus non paucorum Beneficiorum passa est diminutionem , aliorum unionem decernere non sine evidenti Clericorum præjudicio , qui carent legitimis titulis pro majoribus ordinibus assequendis.*

Quoties autem hæc circumstantia ab hisce unionibus abstinendum suadeat , Canonicis Theologo , & Pœnitentiario prospici forsan posset per indultum optandi meliorem præbendam , quæ tamen perpetuo unita & affecta remaneat respectivis Theologi , & Pœnitentiarii muneribus . Siquidem generalis regula exclusiva optio-

optionis, quoad eosdem Canonicos limitationem recipit, si ipsi tenuem obtinentes præbendam, sub ea conditione ad jus optandi meliorem admittantur, ut ponderant *Ventrigl. in prax. for. eccles. part.2. adnot. 12. §.2. num.8.*, *Fermosin. oper. omnia tom.1. pag.220. num.43.*, & *Petra ad Constitut. II. Innocentii VI. tom.4. pag.249. num. 25.*. Et sane quæcumque fuerit opinio *Giberti loco citat.*, qui ex perpetua utilitate unius vel alterius, cui pinguis aut mediocris ab initio obtigit præbenda, aliorum excludere præsumit incommodum, qui minimam sortiti sunt, *absonum videtur, quod Theologus Canonicus, qui majus onus subit, minora emolumenta, quam ceteri simplices Canonici in perpetuum habeat*, ut his verbis advertit *Petra loco citat.*

Atque hac profecto de causa Sac. Congregatio *in Pisauren.* 23. *Maii* 1648. *censuit, Canonico Pœnitentiario oratori dandum esse indultum optandi præbendam pinguiorem, quæ in futurum semper conferatur Canonico Pœnitentiario, si SSmus Dominus Noster annuat.*, *lib.*18. *decret. pag.*478., & anno rursus 1662. Episcopo Sebinicensi Sacra limina visitanti rescripsit = *Ceterum ut necessitati, qua præbenda pœnitentialis, & theologalis laborat, provide consulatur, Sac. Congregatio auctoritate sibi per SSmum specialiter attributa benignè indulsit, ut Pœnitententiarius, & Theologus Cathedralis Sebinicen. præbendas optare possint, sicut ceteri Canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus præbendis ascendant, quæ perpetuo affectæ Pœnitentiario, & Theologo pro tempore esse intelligantur*; quæ resolutio refertur in *Sebinicen. Juris optandi* 8. *Maii* 1688. *lib.* 38. *decret. pag.*215. Nec recentiora denique in his terminis desunt exempla. In *Melevitana* siquidem ad Dubium = *An Canonicus Pœnitentiarius, sua præbenda libere dimissa, aliam optare possit, quæ affecta officio Pœnitentiariæ perpetuò remaneat, & respectivè sit convalidanda optio præbendæ nuncupatæ* Car Barca *ab Oratore facta*, die 23. Februarii 1726. respondit S. Congregatio, *quoad primam partem pro gratia, & quoad secundam iterum proponatur*. Iterumque *in Regien. Optionis* quærebatur, *An concedendum sit indultum Canonico Pœnitentiario adhoc ut sua præbenda libere dimissa possit aliam præbendam*

sa-

sacerdotalem optare, quæ perpetuò affecta remaneat officio Pœnitentiariæ, & die 7. Junii 1755. rescriptum fuit, *Affirmative juxta consensum præstitum à Capitulo*; quam demum resolutionem confirmavit S. Congregatio die 12. posterioris mensis Julii per rescriptum *in decisis & amplius*.

Illud tamen animadversionem meretur, quod inter omnes canonicales præbendas unica superat reditum scutorum centum; reliquę vel inferiores sunt præbenda pœnitentiali, vel theologalis reditum scutorum 35. non excedunt. Si ergo juxta mox citata exempla prospiciendum sit indigentiæ utriusque Canonici Theologi & Pœnitentiarii, juxta preces permittenda esset optio etiam ad duas, vel unam saltem Dignitatem quæ semel optata, officio Theologi, aut Pœnitentiarii perpetuo unita remaneret, contra Censuram Sac. Concilii Tridentini *in Sess.* 5. *cap.* 1. *de reformat.*, & Constitutionis *Pastoralis Officii*, ubi ad augendam Theologi, & Pœnitentiarii congruam simplicium tantum Beneficiorum unio permissa est. Decresceret insuper Cathedralis splendor per diminutionem Dignitatum; & contra votum Capituli concederetur gratia. Etenim juxta Episcopum egrè ferrent Capitulares per unionem pinguioris præbendæ officiis Theologi, & Pœnitentiarii, ademptum ipsis jus esse ad liberam illius optionem.

Ceterum quoties retento munere Theologus, aut Pœnitentiarius ad Dignitatem ascendat, quæ perpetuo ejus respectivo officio unita remanere debeat, non ideo timendum, quin Cathedralis decus imminuatur. Neque enim eadem Dignitas suppressa erit, sed à Theologo vel Pœnitentiario exercebitur; quod fieri posse videtur, quum nullam in utroque exercitio incompatibilitatem Episcopus notaverit. Concessa rursus eadem gratia, inter pinguiores præbendas duo tantum deficerent liberæ optionis, neque ab ipsis etiam excluderentur Capitulares, si ad sustinenda Theologi, & Pœnitentiarii munera comperti fuerint idonei. Num demum ut simplicibus tantum Canonicis omnes pinguiores reserventur præbendæ, Theologus, & Pœnitentiarius, qui graviores sustinent labores, perpetuo inter indigentiam versari debeant, ad Emas Vestras pertinet decernere.

Quæ-

)uæritur itaque.

An, & quomodo Canonicis Theologo, & Pœnitentiario volaterranæ Cathedralis sit concedendum indultum optandi aliam præbendam in casu &c.

LUCANA IRREGULARITATIS. Orta sub die 20. Julii 1786. contentione inter Sacerdotem Joannem Jacobum Lippi, & villicum Peregrinum Tonelli de tenui pecuniæ summa, quam villicus postulabat *ex causa locationis operarum, sibi a Sacerdote debitam, & injuste recusatam*, juxta relationem decessoris Archiepiscopi Lucani ad Sacram hanc Congregationem, tantopere crevit rixa, ut ad vitandum Tonellium inermem, *Sacerdos propriam ingressus domum, clausa janua, ascensa contignatione, procul ab omni periculo, inanes conquerentis clamores spernere poterat*. Is vero aperta fenestra, igneam in villicum explosit ballistam, plumbeisque globulis, quos vocant *veccioni*, eum vulneravit in ventre, ac post secundam horam infelix homo decessit; eodem Archiepiscopo teste. Condito igitur per archiepiscopalem Curiam processu, declaratus in contumaciam fuit homicida irregularis, damnatusque in pœnam perpetui carceris, ad damna expensas & interesse favore heredum occisi, & ad emolumenta Fisci. *Sess. 14. cap. 7. de reformat.*

ntra biennium a commisso delicto supplicavit Sacerdos *Sanctissimo* pro absolutione ab irregularitate, dum erat adhuc sub pœna; precibusque ad Sacram Congregationem remissis, nulla præfatus Archiepiscopus ratione excusari posse dixit homicidium, quia justum Sacerdos excessit defensionis modum. ignea adversus inermem utendo ballista; hominemque ex intervallo post ingressam domum, ac tuto ex loco interemit. Qua de re arbitrabatur, eumdem Sacerdotem *nedum justum, aut saltem excusabilem non habuisse vulnerandi, & occidendi causam, sed nullam penitus, ideoque homicidium, ab eo absque moderamine inculpatæ tu-*

tutelæ turpiter & inhumane patratum, dubio procul voluntarium omnino fuisse, & proinde gravi pœna puniendum. Quo vero ad ejus mores hæc habuit: *Ab ineunte ætate truculentus fuit, iracundus, litigiosus; & quamvis sæpe reprehensus, objurgatus, & asperius etiam admonitus, nec, ut ecclesiasticum virum decet, pacate ac tranquille a querimoniis & jurgiis se abstinuit. Unde licet senio confectus, creditorem inermem, & quod sibi ex locato debitum erat palam expostulantem, inhumane necavit.* Atque ex his putabat, *facultatem rem Divinam faciendi, ab Oratore fidenter admodum expostulatam, eidem, maxima ut vitetur Fidelium offensio, neutiquam indulgendam esse.* Reque vera die 12. Julii 1788. rejecta fuit ab EE. Vestris per rescriptum *Lectum* Oratoris iostantia.

Hodierno ad Lucanam Sedem evecto Archiepiscopo, ab Eo primum impetravit Lippius anno 1790. commutationem perpetui carceris in religiosum secessum, deindeque elapso anno 1792. pristinam libertatem. Rediit hinc ad EE. Vestras pro absolutione ab irregularitate, pluribusque productis singularibus testibus, & juribus, hæc in summa adversus informationem decessoris Archiepiscopi conatus est suadere: quod ejus potius debitor esset Tonellius; isque rixæ auctor, & armatus falce, suam minaretur necem: quod tutus ipse non esset in propria domo, ob apertam januam: quodque vitam semper ecclesiastico viro dignam duxisset; ac Parti & Fisco pro commisso homicidio satisfecisset. Super novis igitur precibus requisitus, testatur hodiernus Archiepiscopus, quod Orator *ex fide proprii Parochi bonis moribus ornatus ecclesiastico viro dignam ducit vitam, quæ constantem, post longam peractam pœnitentiam, præsefert emendationem, ex quibus Parochus prædictus refert de universali sui Populi voto, quod ad Sacra facienda habilis rursus fiat, tantum abest, quod petita facultas possit Populo scandalum afferre. Siquidem post longam in stricto Monasterio relegationem, suæ Orator redditus est libertati; & quamvis non appareat, quod ad reficienda Parti læsæ damna fuerit judicialiter damnatus, attamen satis ceris ex eo initis apochis eidem erogavit, sicuti etiam Fisco ecclesiastico satisfecit.* Atque in hæc concludit verba: *Cum igitur Orator in summa senectute con-*

constitutus, & longam egerit pœnitentiam, & multum probabilia constantis emendationis dederit indicia, nec ex Missæ celebratione scandalum oriri possit in Populo, humillime sentirem, ejusdem benigne a Sac. Congregatione excipi posse preces.

Si commissi homicidii circumstantię sumendæ sunt ex præmissa decessoris Archiepiscopis informatione, quę judiciali nitebatur inquisitioni, prævaletque idcirco extrajudicialibus testibus Oratoris, nedum illud censeri debet voluntarium, sed atrox etiam, & inhumanum; facileque propterea restituendus non videretur Orator ad ministerium Altaris, ex *cap.* 1. *de homicid. volunt. & casual.* Maxime, quia vix ab eo homicidio lapsum est septennium, & retinent adhuc Oppidani illius memoriam, dum de singulis favore Oratoris testantur ejusdem circumstantiis. Pro dispensatione autem ab irregularitate in homicidio voluntario, spectactari potissimum debet, quod deleta sit ejus memoria, per lapsum scilicet decennii, ut censuit Sacrum Rotæ Auditorium *in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751 §. 15. *cor. Elephantutio*. Si res vero definienda sit ex altera informatione hodierni Archiepiscopi, ex ea habent Emi Patres diuturnam Oratoris pœnitentiam; constantem emendationem vitæ; satisfactionem Partis, & Fisci; summamque ipsius Oratoris senectutem, quæ solatium requirit assueti ministerii; ut his consideratis, secum reputent, num eam Orator mereatur indulgentiam, quam adhibuerunt *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., *& in Melevitana Irregularitatis* 15. *Decembris* 1787.

Quæritur itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Ses.22. cap. 6. & Sess.25.cap. 4. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI. Anno 1703. canonicatum instituit Lancislaus Lignani in Cathedrali Ecclesia Civitatis Castelli cum onere chori, & bebdomadalium Missarum trium quousque viveret Claudia ejus mater, ac post illius obitum *Messe cinque la settimana in perpetuo*. Ugolinus Gualterotti hodiernus Canonicus passus est in judicio liberationis a molestiis executionem super meliori fundo canonicalis præbendæ pro summa sc. 240., pro quibus alia Antonio Casini evicta fuerant bona, a Fundatore canonicatus provenientia. Ad perniciosam igitur vitandam illius fundi subhastationem, EE. Vestris supplicavit Canonicus pro facultate vendendi domunculam terræmotu læsam cum adnexo hortulo, ad eamdem canonicalem præbendam spectantes, & prædiola duo capellaniæ canonicatui unitę sub titulo S. Leonardi, quam Orator institutam asserebat ab ipso Fundatore canonicatus; nec non pro reductione onerum Missarum tum canonicatus, cum capellaniæ pro rata decrescentium redituum.

Utrique instantiæ favit Civitatis Castelli Episcopus. Subhastatione enim, in qua minoris vendi solent bona, utiliorem pio operi propositam dixit venditionem. Domus siquidem, & prædiola (sunt ejus verba) *quia juxta Peritorum a me electorum judicium, valorem scutorum* 240. *circiter conscendunt, tenuemque vix annuum reddunt fructum scutorum sex, ducto etiam calculo a decennio, longe minus præbendæ reditus minuunt, quam ex imminenti executatorum bonorum deliberatione, vel etiam ex passivi census impositio ne decrescerent*. Quo vero ad reductionem Missarum, annuendum potius censuit pro suspensione *donec ex annuo scutorum duodecim deposito præbenda in pristinum fuerit redintegrata. Quum enim capitalia canonicatus propter æs alienum Fundatoris minuantur, æquum est, ut onera quoque ab ipso Fundatore imposita proportionabiliter allevientur; quod sane ipsius etiam præsumptæ voluntati consonum esse liquet. Eo potissimum quia de præbenda res est, scutorum nonaginta ad summum reditum habente, & præter Missarum a Fundatore indictam gravissimam obligationem, quarum eleemosyna hic de stylo taxatur ad rationem obolorum* 17., *arctato insuper chori servitio, aliisque pluribus subest oneribus*, supplicationum scilicet, Missarum conventualium, & annui depositi stadiorum triginta pro distributionibus.

His

His perpensis, rescripserunt EE. Vestræ die 16. Junii elapsi anni 1792. = *Prævia affixione edictorum favore majoris oblatoris, pro facultate arbitrio & conscientiæ Episcopi juxta petita, indicata in instrumento debiti provenientia, & sententia, cum onere deponendi scuta* 12. *quotannis pro reintegratione, & ad effectum investiendi cum solitis clausulis. Quo vero ad suspensionem onerum, Episcopo pro meliori informatione, transmissa particula fundationis capellaniæ, & copia decreti unionis una cum statu activo, & passivo canonicatus, & capellaniæ.* In secunda igitur informatione refert Episcopus, quod affixis edictis, *tanta inter plures finitimos possessores exarsit æmulatio, ut domus posita in Villa Lugnani, quam cum parvo adnexo horto valoris scutorum* 80. *Periti æstimarant, ad scuta* 170. *fuerit evecta. Bona vero ad supradictam capellaniam spectantia, & in scutis* 180. *æstimata, conspicuæ summæ scutorum* 203. 11. *acquisierint incrementum.*

Se a stipulandis tamen abstinuit venditionum instrumentis ob diversum cognitum capellaniæ Fundatorem, Sanctem nempe Lignani, cujus bona affecta non sunt debito Fundatoris canonicatus. Licet autem supervacaneum hac de re censuerit transmittere particulam fundationis ejusdem capellaniæ, & decretum unionis, censet tamen *& domum, & bona prædicta* (capellaniæ) *pro conspicuis oblatis summis omnino alienare; ac tot ex prædictis canonicatus finitimis capellaniæ bonis addere & restituere . . quot judicio peritorum coequent æstimationem scutorum* 180., *de ejusdem capellaniæ vendendis bonis factam*, sub lege investiendi favore capellaniæ in aliis stabilibus, vel censibus oblatum incrementum usque ad summam scutorum 203. 11.. *Sic enim ex pretio domus scutorum* 170., *atque ex distractione partis bonorum valoris scutorum* 180., *quæ simul juncta summam constituunt scutorum* 350., *Casini creditum, ad hujusmodi summam, comprehensis fructibus pendente lite decursis, ac expensis, pertingens, canonicatus dimitteret. Sic etiam capellania omni expers præjudicio, suam immo conditionem ex investimento superexcedentium scutorum* 203. *meliorabet. Et sic tandem, quod maximum puto, detrimentum gravissimum ex subhastatione pro parte Casini omnino prosequenda secus canonicatui imminens averteretur.*

Quo vero ad suspensionem onerum, eadem in genere notat, ac in prima informatione. In specie hæc habet: *Quia diminutio reddituum, habito respectu ad supradictam æ is alieni dimittendi quantitatem scutorum* 350., *nec non aliorum scutorum* 12. *quotannis deponendorum, calculari circiter valet in annuis scutis* 26., *& e converso tria hebdomadalia Sacrificia ad rationem obolorum* 17. *pro quolibet juxta probatam taxam, dicta scuta* 26. *fere perœquant; idcirco donec ex dicto annuali deposito diminutum capitale canonicatus fuerit redintegratum, ab iisdem tribus hebdomadalibus Missis Oratorem absolverem*. Sub fide tandem Peritorum, quorum relationem exhibet, annuum Episcopus statuit canonicatus reditum in scut. 64. 50.,& in scutis etiam 90. juxta primam informationem, si considerari velit fructus proprii pecoris, quo fundos hodiernus Canonicus instruxit.

Utilius certe est dimittere creditorem Fundatoris per venditionem bonorum Canonicatus, quam permittere sub hastationem, cujus nemo ignorat mala. Maxime quia longe illorum æstimationem excedunt oblationes, ut ex verbis Episcopi notatum est. Concurrente enim utilitate, alienationem bonorum Ecclesiæ, vel pii operis permittit *Clementin.* 1. *de rebus Eccles. non alien.* Difficultas est quoad bona capellaniæ, quæ ad æquandum Casini creditum vendi etiam deberent. Quandoquidem veluti provenientia a diverso Fundatore, affecta non sunt debito Canonicatus, ac nulla idcirco necessitas est, ut vendantur. Ad ea vero Emi Patres advertant, quæ in id observat Episcopus; ad evidentem præsertim ipsius capellaniæ utilitatem, dum pro prædiolis valoris scutorum 180. consequeretur ob emulationem oblatorum scuta 203. 11., pro rata scilicet dd. scutorum 180. in altero prædio canonicatus; ac pro reliqua summa in aliis stabilibus, vel censibus. Etsi enim de simplici ageretur permutatione bonorum inter unum, & alterum Beneficium, nec majus illud adesset valoris bonorum incrementum, ex quo alia sibi capitalia costitueret capellania, permittenda tamen esset hujusmodi permutatio ex senteutia *Barbosæ in cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien. num.* 2.

Sunt immo, qui arbitrantur, fieri posse bonorum permutationem inter duas Ecclesias, vel Beneficia absque Beneplacito Apostolico, & præ ceteris *Ricc. in prax par.* 1. *resol.* 35., *Bordon. resolut.* 27. *quæst.* 2. *num.* 3., *Barbos.*

dos. de jur. eccles. lib. 3. *cap.* 30. *num.* 38. Cessat enim finis *Extravagantis Ambitiosæ*, ne cum diminutione scilicet Divini cultus convertantur Ecclesiarum bona in usus prophanos; ideoque cessat quoque illius prohibitio, secundum *Passerin. de stat. homin. quæst.* 185. *art.* 7. *num.* 146. Altera accedit hujusce sententiæ ratio, quod in *Extrav. Ambitiosæ* excipiuntur casus a jure permissi, ut est permutatio inter Ecclesias, ex *cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*. Nec aliter sentiendum ex notissimo Urbani VIII. decreto. in quo nulla fit exceptionis mentio. Quum decretum enim illud emanaverit pro observantia *Extravagantis*, intelligendum idcirco videtur juxta illius sensum, ita ut in eo etiam excepti censeantur casus a jure permissi, ut observat *Passerin. loc. cit. num.* 147.

Quatenus itaque concedenda sit alienandi facultas, & confirmanda obligatio annui depositi scutorum 12. in redintegrationem canonicalis fundi, decresceret reditus juxta secundam Episcopi informationem in scutis circiter 26. Ideoque si ad formam ejusdem informationis annuus canonicatus reditus in scutis consistat 64. 50., superessent Canonico oratori scuta 38. 50., quæ ad receptam Civitatis Castelli taxam obolorum 17. nec pares essent celebrationi hebdomadalium Missarum quinque, quarum eleemosyna summam constituit scutorum 44. 20.; quodque magis est, ferre deberet Canonicus absque ullo emolumento onus chori, supplicationum, & Missæ conventualis. Locus hinc esse posset suspensioni Missarum trium per Episcopum propositæ; donec tamen redintegretur capitale canonicatus. Idque ex præsumpta etiam voluntate Testatoris, qui tantum onus Canonico non imposuisset, si evictionis casum prævidisset, *Card. de Luc. de testam. disc.* 72. *num.* 15. *& seq.* Reduci potius posset servitium chori; sed aliter suadere videtur ordo scripturæ. Testator enim, qui Canonicus fuit, de chorali prius loquutus est servitio, & in ima testamenti cera de Missis; quo casu Missarum potius reductionem demandavit Sacra hæc Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., *& in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788.

Missarum contra suspensioni enixum resistit Testatoris votum. Præscripsit enim, ut post obitum ejus Matris celebrare teneretur Canonicus quinque hebdomadales Missas *in perpetuo*. Facile profecto privari non debet Missarum suffragio, qui illud in ævum voluit, per *can.*

ultima voluntas 13. *quæst.* 2.. Illudque etiam ex prima informatione notandum, quod reipsa Canonicus annua ex fundis canonicatus percipit scuta 90.. Fortasse enim detrahi non debet fructus pecoris, dum illud Orator in iisdem alit fundis, & inter canonicales reditus recensenda videtur hujusmodi alimonia. Si ex scutis igitur 90. scuta detrahantur 26., superessent Oratori scuta 64., & sic præter scuta 44. pro Missis perpetuis ad taxam localem, haberet scuta 20. pro chorali servitio, aliisque oneribus.

A vestra igitur pendet deliberatione.

I. *An, & quomodo sit concedenda facultas alienandi bona, de quibus agitur in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 20. Julii 1793. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ALBINGANEN. Tres, quæ hic præmittuntur Causæ, & altera, quæ ultimum tenet locum, sub judice remanserunt in præcedenti Congregatione 15. Junii. *Sess.22. cap.6. & Sess.25.cap. 4. de Reform.*

I. *An sit locus abolitioni, seu potius reductioni oneris Missarum quoad futurum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, & esse locum suspensioni Missarum ad decennium, celebratis Missis decem quolibet mense, & cum lege erogandi dotes percipiendas in & usque ad re integrationem capitalis libellarum 15000. & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Ad II. Affirmative.

VOLATERRANA JURIS OPTANDI. *Sess. 5. cap. 1. & Sess.24.cap. 8. de Reform.*

An, & quomodo Canonicis Theologo, & Pœnitentiario Volaterranæ Cathedralis sit concedendum indultum optandi alium præbendam in casu &c.

Affirmative, ut in Sebenicen. 1662., & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

LU-

Sess.14. cap.7. de Reform.

LUCANA IRREGULARITATIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

Sess.24. cap.1. de Reform.matrim.

AMERINA MATRIMONII. Ad dubium, *an constet de nullitate matrimonii*, rescripserunt EE. Vestræ in hac Causa sub die 15. elapsi Junii, *dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*, quod pro parte viri nempe, & mulieris compleretur numerus quatuordecim propinquorum, a Sacris Canonibus præfinitus, iique omnes juramento confirmarent, verisimile sibi esse, utrumque Conjugem verum dixisse. Instructionem hanc adimplevit Amerinus Episcopus, ut ex novis actis pro parte Comitissæ Gertrudis Melchiorri distribuendis; iterumque propterea quæritur.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Affirmative.

Sess.24. cap.1. de Reform.matrim.

JANUEN. MATRIMONII. Iterum Marchio Paulus Franciscus Spinula apud EE. Vestras incusatur impotentiæ in conjugali palestra. Inutiliter primum cum Marchionissa Maria Brignole triennio colluctavit, causamque dedit quæstioni dissolutionis matrimonii, quam aliter Sacra hæc Congregatio, ac januensis Curia ecclesiastica definivit. Hæc siquidem ob non re-

co-

cognitum corpus latitantis viri, triennalem alteram decrevit cohabitationem; Sacra vero Congregatio post lapsum demandatæ recognitionis terminum, constantemque Marchionis contumaciam, ad I. Dubium, *an constet de nullitate matrimonii*, respondit die 16. Augusti 1783., *provisum in secundo*; ad secundum, *an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati, & non consumati*, rescripsit, *consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati, & non consumati*. In repropositione vero *diei* 6. sequentis Septembris resolutionem confirmavit; eamque benigne quoad secundum Dubium approbavit *Sanctissimus*, & *Literas Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit juxta solitum*.

Soluto hinc primo matrimonio, secundas Marchio contraxit nuptias cum Maschionissa Maria Hieronyma Mari sub die 2. Octobris 1786., sed inutili pariter conatu per sexennium cum ea certavit. Ab ipso igitur de consilio suorum, & Confessarii tandem aliquando mulier divertit, atque instituto de mense Augusto elapsi anni 1792. nullitatis matrimonii judicio, latitavit Marchio, ne sui corporis recognitionem permitteret. Reliquis omnibus idcirco servatis servandis, ac deputato actore ad litem pro Marchione, lata fuit die 14. Novembris a Curia ecclesiastica Januensi sententia nullitatis matrimonii *ob perpetuam, & insanabilem frigiditatem, seu impotentiam ejusdem Pauli Francisci ad coeundum*. Delata hinc appellationis Causa ad Sacram hanc Congregationem, nedum assuetum concordatum est Dubium super nullitate matrimonii, sed annuente *Sanctissimo Domino Nostro*, extraordinarium etiam alterum super dispensatione a matrimonio rato, & non consumato.

Regulam quoad primum præmittunt Defensores Marchionissæ de dissolvendo statim matrimonio, ubi de absoluta constat impotentia viri, quę impedit, destruitque illius essentiam, ex *can.* 27. *quæst.* 2. *cap.* 1., & 6. *de frigid. & malefic.*, *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 92. *num.* 2. & 13., *Pont. eod. tract. lib.* 7. *disput.* 107. *num.* 3., & *Sacra Congregatio in Anconitana Matrimonii* 19. *Januarii*, & 16. *Martii currentis anni*. Facile autem de hujusmodi impotentia judicari posse inquiunt in Marchione Spinola post eam semel probatam in anteacta Causa Brignole; nam va-

lidissima urget præsumptio, *quod eadem inhabilitas, quæ ei inhæsit de tempore præterito, inhæreat nunc de præsenti, & magis augebitur de futuro in ætate invalidiori*; ut in hæc verba post *gloss. in cap. laudabilem verb. frigiditas de frigid. & malefic.* dixit *Rot. ad ornat. Card. de Luc. decis.* 1. *num.* 18. *tom.* 4. *lib.* 14.

Impotentiæ siquidem argumentum sumunt ab intacta Marchionissæ virginitate, quæ consummationem excludit matrimonii, per *Text. in cap. proposuisti* 4. *de probat. Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 109. *num.* 6., tresque in id ex judiciali processu producunt Obstetrices, quibus potissimum committunt Canones inspectionem corporis mulieris, *cap. causam matrimonii* 14. *de probat.*, *cap. fraternitatis* 6., *& cap. literæ vestræ* 7. *de frigid. & malefic.* Postquam enim illæ muliebria Marchionissæ inspexerunt, manibusque secundum artem contrectarunt *per meglio assicurare la perizia*, una voce ad *vigesimum* interrogatorium rerponderunt, *che detta Signora Maria Geronima de Marj è peranco vergine, e che non ha mai avuto commercio con uomini*. Et quamvis reddere non tenerentur causam scientiæ, *Abb. in cit. cap. proposuisti* 4. *de probat. num.* 2., *Fermosin. ibid. num.* 12., *Sanch. de matrim. lib.* 7. *cap.* 113. *num.* 12., *Rot. post Zacch., quæst. medic. legal. dec.* 66. *sub num.* 4. *vers. ex relationibus matronarum*, sufficienter tamen in responsione ad *septimum* interrogatorium virginitatis signa exposuerunt.

Multum autem in hac materia deferunt Canones judicio Obstetricum, ut notant *in cit. cap. proposuisti Abbas, & Ancaran. num.* 3., *Barbos. num.* 1. *& seqq. Pacian. de probat. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. *Schmalzgrueber. in jus can. lib.* 2. *tit.* 19. *vers. quarum judicio, Rot. ad ornat. Cardin. de Luc. decis.* 10. *num.* 9. *tom.* 2. *lib.* 14., ubi præsertim recognitionem expleverunt, ut in nostro themate, post balneum mulieris, *Cocch. dissert. physico-anatom.* §. 5., *Rot. ad ornat. de Luc. decis.* 11. *numer.* 38. *tom.* 2. *lib.* 14. Et certa adesse virginitatis signa, probat *Text. in cap. causam matrimonii* 15. *de probat.* ac in re ceteroquin controversa, ex meliori anotomiæ schola docent *Wier. observat. lib.* 1. *pag.* 939., *Heister. compend. anatom. pag.* 81., *Welsch. lib. Obstetric. part.* 1. *pag.* 28., *Ruisch. thesaur. anatom. lib.* 3. *tom.* 2. *theor.* 5. *num.* 56., *Valentin. novell. medic. legal. cas.* 8., *Teich*

in-

instit. medic. legal. cap 4. *num.* 2., *Scuring. in muliebr. lect.*2. *cap.*5. §.9. & *seqq.*

De non consumato insuper matrimonio juramentum accedit Marchionissæ, quæ fidem in sua negativa supra virum affirmantem meretur, ex *cap. propsuisti* 4. *de probat.*, *Cabassut. in jur. canon. theor.*, & *prax. lib.* 3. *cap.* 25. *num.*20., *Sanch. de matrim. lib.*7. *disput.* 109. *num.* 6. *Guttier. de matrim. part.* 3. *cap.* 120. *num.* 21. Ac præter septimam ejus propinquorum manum, formale concurrit quinque testium examen. Ex quibus omnibus Marchionissæ Defensores rectum concipi affirmant judicium de perpetua frigiditate viri, *Engel. in jus canon. tit.*15. *de frigid.*, & *malefic. num.*6., *Schmalzgrueber. in Decretal. part.* 3. *tit.*15. *num.* 78., *Krimer. quæst. canon. lib.* 4. *Decretal. tit.*15. *de frigid.* & *malefic.sub num.* 1304. Neque protrahendam esse contendunt dissolutionem matrimonii ob non recognita impotentis Marchionis virilia. De jure enim canonico necessaria non est hujusmodi recognitio, & fieri solet ad confirmationem impotentiæ, de qua satis constare censetur ex juramento mulieris, matrimonio non consumato, septimaque propinquorum manu, *Bouchier. della dissoluzione del matrimonio pag.* 43. *Stryc. de jur. cens. dissert.* 1. *de vis. cap.*1. *num.*55., *Auctor. anonym. instit. de nullit. matrim. ob impotent. pag.*60.

Sero quidem Marchionissa (post sexennium nempe) querelam exposuit nullitatis matrimonii; sed silentium tribuunt ejus Defensores imperio Matris, quæ inutili tenebatur consumationis spe, ne tam cito filiam ditissimo privaret viro. Quæcumque vero fuerit silentii causa, nunquam præscribi ajunt actionem nullitatis matrimonii, ubi imputari nequeat silentium malitiæ uxoris, & signa concurrant impotentiæ viri, licet *verisimiliter tantum evidentia*, ut inquit *Sanch. de matrim. lib.*7. *disput.* 109. *num.*5., *Leurenn. in jus. canon. tit.*15. *quæst.*250. *num.*1°, *Rot. ad ornat. de Luc. decis.* 11. *num.*42. *lib.*14. *tom.*2. Per sexenne immo impotentis viri experimentum, licet pluribus de causis interruptum, satis superque factum censent canonicæ triennali; quum hæc expleta censeatur, si in majori anni parte tentata fuerit matrimonii consumatio, *Hostien. in summ. lib.*4. *tit.* 15. *sub num.* 12., *Henriqu. de matrim. lib.*2. *cap.*7. §.2., *Leurenn. in jus canon.lib.*4. *tit.* 15. *num.* 3., ducto scilicet initio, non a decreto Judicis, sed ab inito matrimonio,

per *Text. in cap. laudabilem de frigid. & malefic.*, *Pont. Basil. de impedim. matrim. caus.* 33. *quæst.* 1. §. *tertio*, *Gutter. de matrim. part.* 3. *cap.* 121. *num.* 21., *Sanch. eod. tract. lib.* 7. *cap.* 110. *num.* 4.

Vindicant post hæc Defensores Actricis processum Curiæ januensis a prætensa nullitate ob non citatum Reum conventum per affixionem saltem ad valvas. Voluntaria siquidem Marchionis absentia, ne in jus vocaretur, justam ei fortasse non tribuit exceptionem, quod directe in jus vocatus non fuerit. Damnari idcirco non posse videtur deputatio actoris ad litem, ejusque citatio ad validitatem processus; quandoquidem retardanda non erat ob culpam Rei conventi matrimonialis Causa, quæ ad vitandam occasionem peccandi celerem exigit expeditionem, juxta *cap. quoniam* 5. §. 1. *ut lit. non contest.*, *gloss. in cap.* 1. *qui matrim. accus. poss. verbo testes*, *gloss. in clement. dispendiosum de judic.*, *verbo matrimoniis*, *Leurenn. in lib.* 2, *Decretal. tit.* 6. *qdæst.* 257. *num.* 1. *Schmalzgrueber, jur. eccles. tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 6. *num.* 9. Eademque ratione excusabilis est omissa recognitio corporis viri, quamvis de jure non necessaria. Omissionis enim causa fuit Marchio, qui suis fortasse diffidens virilibus, ab illorum inspectione latitando refugit, ut fecerat etiam in Causa Brignole.

Totam contra vim facit Defensor matrimonii in prætensa nullitate actorum ob non auditum Marchionem, neglectamque ejus corporis inspectionem (proprio enim hactenus nomine jura sua non deduxit Marchio). Audiendus porro est vir; nam alia est Canonum disciplina, si suam maritus neget impotentiam; alia si absolutam, vel respectivam fateatur imbecillitatem, juxta diversitatem casuum, de quibus *in cap.* 1., *cap. laudabilem*, & *cap. fin. de frigid. & malefic.* inspiciendum vero ejus corpus, nisi ex dispositione juris, ex inveterata saltem observantia, ut probavit Cardinalis Argenvillieres, Sacræ Congregationis olim Præfectus in vulgata sua dissertatione impressa apud *Constant. tom.* 4. *vot. ult.* §. 19. Reque vera ob utrumque defectum jussit in simili casu Sacræ Rotæ Auditorium, omnino examinari, & inspici virum ante definitionem Causæ, ut ex *adnot.* 198. *num.* 1. *tom.* 1. *decisionum Coccini*; & inspectionem Marchionis demandavit Sacra hæc Congregatio in Causa Brignole; licet deinde ob ejus contumaciam definiverit Causam; pro dispensatione tamen a matrimonio rato, & non consumato.

Se

Se absconderat Marchio, ne inspiceretur; sed non ideo juxta Defensorem matrimonii, judicium absolvi licuit cum actore ad litem. Aliud enim contra contumacem est remedium citationis ad valvas, vel confinia, secundum *cap.* 1. *qui matrim. accus. poss. vers. literis tuis quæsitus*, quem exornat *Gonzal. verb. literis*; illudque contra refugientem ab inspectione cum aliis juris remediis adhiberi mandavit Sacra Congregatio *in Mediolanen. Matrimonii* 21. *Aprilis* 1731. Eoque magis Defensor ipse omittendam non arbitratur inspectionem Marchionis, ejusque examen, quia ad id promptus, paratusque est in Urbe. Cursim de cetero probationes carpit impotentiæ, quæ ex parte Marchionissæ proferuntur; ac inverisimile potissimum dicit, quod per sexennium illa cohabitare voluerit cum impotente viro, contra præsumptionem *Textus in cap. accepisti* 1. *de frigid. & malefic.*, quam ibi urget *Jo: Andr. num.* 4.

Quatenus autem hisce de causis abstinere velint Eminentissimi Patres a resolutione *primi* Dubii, petit demum Marchionissa, ut ad *secundum* saltem pro dispensatione respondeant a matrimonio rato, & non consumato. Quæ ab ipsa enim deducta sunt pro nullitate matrimonii, facilius ejus dissolutionem suadent per dispensationem, *Card. de Luc. de matrim. disc.* 9. *sub num.* 8., *Ursaya discept. ecclesiast.* 48. *num.* 58. *tom.* 6. *part.* 2. Justam autem dispensandi causam dicit Marchionissa impotentiam Marchionis, quam exploratam reddit intacta ejus virginitas, *Fagnan. in cap. verum in fin. de controv. conjug.*, *Gobat. Theolog. experiment. tom.* 1. *tract.* 10. *num.* 693., *Pignatell. consult. can.* 148. *num.* 10. & 14. *tom.* 1. Periculum item incontinentiæ, cui eam vir per sexenne incitamentum exposuit, *Abb. in cap. ex literis de frigid. & malefic. sub num.* 3., *de Just. de dispensat. matrim. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 23, *Ursaya discept.* 12. *num.* 19. *& seqq. tom.* 4. Odiumque postremo natum ex divortio, quod plurimi inter Nobiles præsertim faciendum censent *Sanch. de matrim. lib.* 2. *disp.* 16. *num.* 4., *Clericat. de Sacram. matrim. decis.* 15. *sub num.* 45. Plura autem memorat hujusmodi dispensationis exempla. Missis enim antiquioribus, de quibus apud *Sanch. de matrim. in cit. lib.* 2. *disput.* 16. *num.* 3., dispensationem de consilio Sacræ Congregationis a matrimonio rato concessit anno 1719. Clemens

mens XI. Annæ Mariæ Pallavicini. Anno rursus 1732. Clemens XII. Josephæ Joppulo neapolitanæ, & Eleonoræ Busca mediolanensi. Anno 1741. Benedictus XIV. Ducissæ Theresiæ de Tursis. Anno 1779. SSmus Dominus Noster Antonio Casabianchi: anno 1783. Marchionissæ Brignole: & anno 1786. Comitissæ Gentili Montoglio.

Satis altera ex parte non constare ait Defensor matrimonii de virginitate Marchionissæ, quæ fundamentum est dispensationis; tum quia non tentarunt Obstetrices muliebria digitis, juxta decretum Curiæ januensis; tum quia aliæ de virginitate judicarunt ex unitis membranis, aliæ ex simplici cohæsione partium, non ex utroque, ut docet *Zacch. quæst. medic. legal. lib.4. tit.2. tom.1. quæst.2. num.7. & seqq.* Notandum vero, quod contrectarunt Obstetrices muliebria, ac verisimile idcirco est, adhibuisse manuum digitos secundum artem; quodque in substantia conveniunt in signis virginitatis, in unione scilicet membranarum, partium cohæsione, ac rubicundo earum colore juxta doctrinam ipsius *Zacchiæ*, ut videre est in earum depositionibus.

Deliberandum igitur.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Dilata, & ad D. Secretarium pro explendo examine Marchionis Pauli Spinula, & præfixione termini unius mensis ad recognitionem corporis ejusdem Marchionis, qua peracta, fiat nova recognitio corporis Marchionissæ Hieronymæ Mari juxta instructionem dandam a D. Secretario, cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis, etiam pro deputatione Peritorum.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Legavit anno 1773. Antonius Pelucchi annua scuta centum in eleemosynas distribuendas a Sodalitio *delli Sacconi*, & quatuor subsidia dotalia scutorum 25. pro quolibet *a quattro povere zitelle oneste, e civili di questa Città* (Romæ)

(Romæ) ad nominationem heredum fiduciariorum, & in eorum defectum, ejusdem Sodalitii *delli Sacconi*. Quod ex reliqua vero superesset hereditate, consignari mandavit Philippo, & Josepho Pacini suis consanguineis. Duæ his fuerunt sorores, Anna scilicet, & Margarita, quæ nupsit Carolo Becchetti, ac plures ex eo peperit filios. Philippus vero in uxorem duxit Elisabetham Guarini Civitatis Vigiliæ in Apulia, & constituto in illius patria domicilio, tres genuit masculos, fœminas duas.

Obtinuit Margarita anno 1776. assignamentum scutorum 50. de legato pauperum, illudque post ejus obitum consequuti fuerunt filii ad vitam. Ad assumendum immo religiosum habitum, quatuor primum anno 1786.; deindeque anno 1790. alia duo impetravit dotalia subsidia scutorum 25. Maria Aloysia Becchetti ejusdem Margaritæ filia. Anna rursus Pacini illius soror unum prædicto anno 1786. ad vitam habuit dotale subsidium scutorum 25., alterumque anno 1789. ad vitam pariter Anna Maria Pacini *del Drago*. Elisabeth tandem Guarini vidua Philippi Pacini supplicavit anno 1785. pro cumulo quatuor subsidiorum dotalium per decennium favore ejus filiarum, & assignamento legati pauperum pro filiis omnibus. Ob pendentiam vero litis in Sacra Congregatione inter executores testamentarios, & legatarios prodiit ad primam instantiam rescriptum, *expectetur exitus Causæ in Sacra Congregatione*; optatum secunda habuit exitum, obtinuitque suis filiis Elisabeth annua scuta 50. de legato pauperum cum jure inter eos accrescendi. Scuta igitur centum, quæ distribui quotannis deberent inter pauperes, æquis partibus assignata sunt filiis Margaritæ, & Elisabethæ. Ex quatuor dotibus distribuendis inter pauperes puellas romanas, duas ad vitam obtinent Anna Pacini, & Anna Maria Pacini *del Drago*; aliæque propterea duæ remanent distribuendæ.

Instantiam modo renovat Elisabeth Guarini pro assignatione quatuor Dotium ejus filiabus ad decennium. At ei R. P. D. Bussius administrator hereditatis Pelucchi adversatur. Licet namque consanguinitatem admittat filiarum Oratricis cum Testatore, absurdam tamen censet quatuor dotium petitionem ob earum unam, & alteram assignatam Annæ Mariæ Pacini, & Annæ Mariæ Pa-

Pacini del Drago ; ac in reliquis ponderandum ait; *utrum annuendum sit Oratorum instantiæ , qui jam annuo scutorum* 50. *emolumento fruuntur , an potius obsequendum pii Testatoris voluntati , qui juxta ejus dispositionem videtur gratificari voluisse pauperibus virginibus Romæ degentibus , non virginibus ortis ex patre romano , atque aliunde natis* (in patria nempe matris) *diversaque in Ditione commorantibus , prout sunt Oratricis filii* . Illudque etiam notat , quod aliter Testator, quam cum legatis eleemosynæ , & dotium , suis consanguineis prospexit . Nam *iis reliquit quidquid , omnibus adimpletis oneribus , ex ejus hereditate reliquum foret ; & aliquid non modicum certe remanebit postquam vita functi fuerint legatarii , qui nunc annuo stipendio fruuntur* . Atque hinc concludit , quod *si duo hæc , quæ remanent subsidia dotalia , Oratricis filiis addicentur , nescio utrum impleta remaneat Testatoris voluntas , qui aliquid ex sua hereditate pervenire etiam voluit ad pauperes virgines Romæ commorantes* .

Si ea perpendantur , quæ observat Præsul administrator, facile annuendum non esset petitioni Oratricis . Dum enim Testator distribui jussit dotalia subsidia inter quatuor puellas *di questa Città*, ad puellas respexisse censetur romanas , nedum origine , sed domicilio , quum dictio *di* adjecta loco , in omnibus locum circumscribere videatur , *Rot. cor. Molin. decis.* 982. *num.* 6. , & *coram san. mem. Clement. XIII. decis.* 328. *num.* 8. . Ideoque ab eo legato exclusæ dici possent Oratricis filiæ , quæ in Regno natæ sunt Neapolis , licet a patre romano, & in eo secundum administratorem morantur . Sanguine quidem conjunctæ sunt Testatori ; sed proprium hoc nomine ab ipso habent legatum , nempe quidquid , omnibus adimpletis oneribus , ex ejus hereditate reliquum erit ; annuoque interim fruuntur subsidio scutorum 50. de legato eleemosynæ ; crescitque propterea difficultas derogandi in reliquis voluntati Testatoris .

Agitur contra de puellis consanguineis *maxime indigentibus* , quæ juxta nonnullos testes , paullo ante informationem administratoris lares transtulerunt ad Urbem , miseramque in ea ducunt vitam . Non modo siquidem Sacra hæc Congregatio præferre consuevit ad subsidia dotalia pauperes Testatoris consanguineas , ut *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. , *in Romana , seu Sabinen. Subsidiorum dotalium* 27. *Martii* 1762. , *& in*

-Se-

Senogallien. Subsidiorum Dotalium 11. *Junii* 1774., sed quandoque etiam subsidiorum cumulum concessit ad congruas illis constituendas dotes, ut *in Romana* 22. *Maii* 1757., Animadversionem quoque meretur, quod ad primas Oratricis preces Sacra Congregatio rescripsit = *Expectetur exitus Causæ in Sacra Congregatione*. Per hoc namque rescriptum spem aliquam dedisse videtur gratiæ cum distribui cepissent dotalia subsidia. Quatenus vero EE. Vestræ indulgere velint Oratrici, deliberandum erit de quantitate, & tempore subsidii. Duæ tantum concedi possent dotes, quum assignatæ sint aliæ duę Annæ Pacini, & Annæ Marię Pacini del Drago; earumque decennis cumulus, quem petit Oratrix, summam constitueret scutorum 500., seu scutorum 250. pro qualibet illius filia *maxime indigentibus*.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus cumulo dotium in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

USELLEN., Sacerdos Amator Cera testamento instituit capellaniam in Villa Tuili. Verum anno 1745. *non volendo ulteriormente differire* (institutionem dictæ capellaniæ) *nè tampoco riposare sulla fede de' suoi Eredi*, donavit suis nepotibus plures census in sorte libellarum 645. annui reditus libellarum 51., & solidorum 12. monetæ Sardiniæ; ambitum vulgo *circondario* septem domorum, & prędiola 24., quorum ignoratur reditus, sub perpetuo onere quotidianæ Missæ in Parochiali Ecclesia, & alterius menstruæ in Ecclesia S. Sebastiani Villæ Tuili cum eleemosyna solidorum sex pro qualibet dictæ monetæ; nec non annuæ Missæ cum cantu in festo S. Sebastiani cum eleemosyna dimidii scuti ejusdem monetæ. Quidquid, detractis oneribus, superesset, æque inter donatarios, eorumque successores partiri jussit; voluitque demum, quod Capellani essent prælative *li nepoti, e discendenti di quelli, sempre che fossero Sacerdoti*; & in eorum defectu *il Curato di questa Villa*. Bona, & onera *li suoi*

Sess. 22. *cap.* 9. *de Reform.*

nipoti, li Ven. Curati, e Procuratore della Parochia, e Legatipii non modo acceperunt, verum eodem instrumento se, suosque heredes, & successores obligarunt *ad adempiere in perpetuo quanto il detto Ven. Fondatore ha ordinato*, rursusque *giurano di adempiere ciascuno irremisibilmente &c.* Post Fundatoris obitum dimitti debuit ex bonis ipsis alienum æs in summa libellarum 1030. 18., vixque reductus asseritur reliquorum bonorum reditus ad annuas libellas 79., impar certe celebrationi Missarum, pro quibus ad eleemosynam a donante statutam, annuæ, juxta Episcopum, requiruntur libellæ 112. 10.. Hoc non obstante, integrum in se assumpsit celebrationis onus Sacerdos Franciscus Cera alter ex donatariis; licet Missas deinde in ejus vita neglexerit 2250. ad summam libellarum 675.

Defuncto autem Sacerdote Francisco, sibi heredes Amatoris stipulati sunt a Procuratore piorum legatorum cessionem superextantium bonorum, & censuum valoris scutorum 936., & annui reditus scutorum 31., & solidorum 7. cum dimidio monetæ Sardiniæ, juxta juratos Peritos ab Episcopo electos; ac ipsi per speciem permutationis in fundum pii legati deposuerunt scuta 745. ejusdem monetæ, seu libellas 1875., quas fœnori traditas reddere asserunt annuas libellas 112. 10., oneri Missarum secundum primam institutionem pares: deposuerunt ulterius scuta 321., & solidos 6. $\frac{1}{2}$, seu libellas 675. debitas ab hereditate Francisci Cera ob Missas 2250. non celebratas; idque sub reservatione Beneplaciti Apostolici. Hinc EE. VV. supplicarunt pro approbatione cessionis, & applicatione libellarum 675. favore pii Legati in augmentum eleemosynæ Missarum.

Utrique instantiæ favet Episcopus. Bona, inquit, sunt imminuta; quia *si vendettero in difetto di altri beni per la sodisfazione degli anteriori sovranarrati debiti* = eorum vero reditus *si è trovato non ascendere, che a lire 79. da lire 112. 10., che ne dovea rendere prima della vendita sudetta, che ha diminuito tanto, ed ha reso affatto ineseguibile il legato*. Hac de causa utilem censet pio legato dictorum bonorum permutationem cum pecunia numerata in summa libellarum 1875., *che investite in censi, giusta lo stabilimento del Regno, porta il frutto annuale di lire 112. 10. sufficiente a sodisfare compitamente la limosina delle Messe stabilita dal sudetto Sacerdote Amadore Cera*.

Eam

Eam tamen modo dicit insufficientem, nisi ex solidis sex augeatur eleemosyna ad taxam synodalem solidorum septem cum dimidio; nam Sacerdotes, & Vice-Parochi Villæ Tuili, qui aliis ad taxam synodalem provisi sunt legatis, respuunt cum minori eleemosyna solidorum sex legatum Cera. Fieri autem posse necessarium augmentum per applicationem libellarum 675. provenientium a Missis non celebratis, quum sit hæc summa *proporzionata, ed uguale al tanto, che vi abbisogna di aumento per completare il fondo sudetto di lire* 1875., *e che con tale accrescimento farà lire* 2550., *quale investito rende l'annuo frutto completo per la celebrazione delle Messe legate a ragione di sette soldi e mezzo secondo la tassa sinodale, che in moneta romana fà due bajocchi di più del giulio romano*; atque in hæc concludit verba: *Onde altro non mi rimane, che pregare l'E. V. perche riflettendo meco al vantaggio chiaro ed evidente, che ne risulta dall' ammissione del detto progetto e stipolato contratto, me ne implori il Beneplacito Apostolico; e conoscendo similmente la necessità che vi è di ristabilire il legato a ragione della tassa sinodale per la più libera e sicura sua esecuzione; me ne implori eziandio la grazia dell' applicazione delle limosine delle Messe arretrate al fondo del medesimo.*

Subrogatio pæcuniæ numeratæ in locum prædiorum, quæ nunc sunt pro fundo legati, species est emptionis venditionis, quæ non aliter pio operi, quam ex evidenti utilitate permittitur, *Petra ad Constit. Ambitiosæ per tot. de reb. Eccles. non alienan.* De hac Episcopus in nostro themate dubitandum non ait utilitate, quum per cessionem ruentium ædium, deteriorumque prædiorum annui reditus libellarum 79. majus ex oblata pecunia constitueretur reditus libellarum 112. 10., ideoque concedendum videretur Beneplacitum, ex *Can. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. *cap. ut super* §. *fin. de reb. Eccles. non alien.*, & decretis Sacræ Congregationis *in Maceraten. Beneplaciti* 26. *Augusti* 1780., *in Ravennaten. Legati* 25. *Aprilis* 1789. *ad I. Dubium*.

Valde altera ex parte dubitandum de tot prædiorum, censuum, ædiumque alienatione in unam causam dimittendi alienum æs Fundatoris. Hoc namque non excedebat libellas 1030. 18. Soli autem activi census legati sortem constituebant libellarum 645., ac propterea inverisimile est, quod pro reliqua summa li-

bellarum 435. alienari debuerint tot predia & ædes, quæ anno 1745. adeo erant judicio Fundatoris insignia, ut detracta Missarum eleemosyna, quid amplius reddebant, inter Donatarios quinque partiendum. Dubitandum etiam de utilitate. Bona enim superextantia æstimata fuerunt medio juramento a Peritis ab Episcopo deputatis in scutis 936., annui reditus, deductis expensis, scutorum 31. & solidorum 6.½ monetæ Sardiniæ. Vicissim Oratores deposuerunt scuta 745. tantum, nempe summam in scutis 191. minorem æstimato pretio. Nec concesso Beneplacito integrum adimpleri posset legatum; nam scuta 745. seu libellæ 1875. ad usuram etiam libellarum sex pro centenario annuum redderent fructum libellarum 112. 10. minus idoneum juxta Episcopum ad onera sustinenda. Demum EE. Vestrarum erit decernere, utrum Oratores teneantur ex propriis bonis supplere, utpote heredes mediati Fundatoris, & descendentes ab iis qui per contractum juramento vallatum se suosque heredes & successores obligarunt *adempire in perpetuo quanto il detto Fondatore ha ordinato*.

Ad secundum quod attinet Dubium; magis Animæ Fundatoris expediret erogatio libellarum 675. in celebrationem Missarum, quæ omissa fuerunt *Pasqualig. de Sacrif. Miss. tit. 1. quæst. 291. num. 1.* Aliter vero suadere posset difficultas adimplendi legatum cum eleæmosyna solidorum sex per Fundatorem statuta: nam hac similique de causa applicari solent superextantes reditus in augmentum fundi capellaniæ, *Garz. de benefic. part. 2. cap. 1. num. 85. & seqq.*, & *Sacra hæc Congregatio in Ripana Capellaniæ 7. Maii 1791. ad III. Dubium*.

Dubia sunt.

I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

II. *An & quomodo sit locus applicationi libellarum 675. in casu &c.*

AN-

ANGLONEN. ET TURSIEN. IRREGULARITATIS. Quum die 11. Aprilis 1768. negligenter grandævus Dominicus Allegretti nonnullos custodiret boves, iique satum ingressi essent prædium Sacerdotis Philippi Magliocchini, illum Sacerdos gravi percussit ligno, quod Regnicolæ vocant *paraccola*, nostrates *mazzarella*, adeoque vehementer ictus iteravit, ut post decendium infelix senex, exposita tamen querela, decesserit. Fugam primum arripuit homicida, deindeque ineunte anno 1772. sponte se constituit, & per sententiam Curiæ episcopalis anglonensis nedum declaratus fuit irregularis, sed attenta etiam remissione Partis, per decennium damnatus ad regulare claustrum. Quatriennio ab hac sententia elapso, ingressus est Conventum Minorum Observantium Oppidi S. Martini, ibique duobus annis cum dimidio permansit. Fisco hinc, Sede episcopali vacante, composito, reliquæ pœnæ commutationem obtinuit a Vicario Capitulari in exercitia spiritualia per mensem apud Missionarios SS. Redemptoris Capitis Sileris. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Post annos tandem 24. a commisso delicto, *Sanctissimo* supplicavit Sacerdos pro dispensatione ab irregularitate, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmavit Anglonensis, & Tursiensis Episcopus, favitque Oratori ob diuturnitatem temporis, constantem vitæ emendationem, Sacramentorum frequentiam, Ecclesiæ servitium in solemnioribus festis, interesse habentium compositionem, nullumque in Populo periculum scandali. At die 24. Novembris elapsi anni 1792. EE. Vestræ præscripserunt, ut doceret insuper Orator *de peractis per mensem exercitiis spiritualibus a Vicario Capitulari demandatis*; & ex ore ipsius Oratoris per testimoniales literas retulit Episcopus, nunquam ab eo decretum Vicarii Capitularis adimpletum fuisse *propter distantiam milliariorum circiter quinquaginta, viamque ut plurimum asperam & montuosam, quæ a præfata Spinusii Terra* (Oratoris patria) *ad Congregationem enunciatam* (Capitis Sileris) *interponuntur; tum etiam quia in tali Orator existebat paupertate, ut nullimode Congregationem nuper dictam petere potuisset, ac illi contributionem pro alimentis facere*. Hoc tamen non obstante, iisdem de causis, in prima informatione expositis, indulgendum censuit pro dispensatione ab irregularitate.

De

De voluntario siquidem agitur homicidio, quod maximopere Canones in Ecclesiasticis abhorrent, ut *in cap. continebat, & cap suscepimus de homicid. volunt.* De homicidio immo inhumano ob interfectum senem, cui vires deficiebant ad defensionem. Facile idcirco restituendus non esset Orator ad ministerium Altaris, licet plures a commisso delicto elapsi sint anni, ut in *Marsicana Dispensationis ab Irregularitate* 30. *Augusti* 1788., in qua post quindecim annos denegata fuit irregularitatis dispensatio Sacerdoti homicidæ. Veniam contra mereri posset Orator ob diuturnam pœnitentiam, constantem vitæ emendationem, gravemque ipsius paupertatem, ob quam cum dedecore Sacerdotii mendicare forsan cogeretur, *cap. 2. de Cleric. pugnan. in duell.*, *Hostien. in cap. sicut de homicid.* Ac plura in id sunt exempla, & præsertim *in Virdunen. Dispensationis ab Irregularitate* 2 *Augusti* 1760., *in Marianen. Irregularitatis* 1. *Martii* 1777., *& in Comen. Irregularitatis* 21. *Augusti* 1790.

Vestræ igitur deliberationi proponitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI.

I. *An, & quomodo sit concedenda facultas alienandi bona, de quibus agitur in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.*

Deins

Die Sabbathi 17. Augusti 1793. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA SUBSIDIORIUM DOTALIUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo sit locus cumulo Dotium in casu &c.

Affirmative pro duabus dotibus ad decennium.

USELLEN. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

I. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

II. An, & quomodo sit locus applicationi libellarum 675. in casu &c.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi; & ad mentem.

AN-

Sess.14. cap.7. e Reform.

ANGLONEN. ET TURSIEN. IRREGULARITATIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Dilata, & Orator peractis Exercitiis spiritualibus per mensem in loco comodiori ab Episcopo designan. recurrat.

Sess.22. cap.6. & sess. 25.cap. 4. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI. Notatum fuit in hujus Causæ Folio diei 15. elapsi Junii, quod ex annua præbenda Canonici Ugolini Gualterotti detrahendus fortasse non esset fructus pecoris ad Canonicum ipsum spectantis, eo quod illud alit in fundis Canonicatus. Per testes nunc idem Canonicus probat, retineri per ipsum, ejusque decessores Canonicos consuevisse animalia dumxat ad culturam prædiorum necessaria, vixque eorumdem prædiorum pascua, quæ in annuis æstimari posse asserunt sc. tribus, aut quatuor, ad illa alenda sufficere. Notandum vero quod statuit Episcopus in secunda Informatione pascuorum pretium in scutis circiter triginta.

I. An, & quomodo sit concedenda facultas alienandi bona, de quibus agitur in casu &c.

II. An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.
Ad II. Negative.

Sess. 25. cap.4. de Reform.

VALLISOLETANA. Monasterium est Vallisoleti Monialium Ordinis Prædicatorum sub invocatione Matris Dei; eique unum supra viginti incumbit Missarum legatum, capellaniæ duæ. Decem ex legatis sunt Laicorum; unum Novitiæ ejusdem Monasterii; decem professarum Monialium, quæ duplicem etiam

etiam fundarunt capellaniam. Hoc ordine, cum quo non convenit ille Monialium in precibus servatus, singula exponentur. *Primum* igitur ex legatis Laicorum duplicis quotidianę Missæ cum cantu, auctores habet Fundatores Monasterii Petrum Gonzalez de Leon, ejusque uxorem Mariam Hernandes Coronel. Legatum hoc per transactionem cum heredibus Fundatorum reductum fuit, qua facultate non constat, ad quotidianam Missam unam cum cantu, quę celebrata semper fuit, & celebratur, nonnullis per Monasterium acceptis bonis, quorum reditus ignoratur. *Secundum* duplicis hebdomadalis Missæ lectæ in die Sabbathi, & duplicis annuæ Missæ cum cantu, reliquit Maria Salinas cum dote annua adhuc superextante hispaniensium regalium 20., seu scuti unius monetæ romanæ pro singulis Missis cum cantu; & regalium 4., seu obolorum 20. pro lectis, quæ nunquam celebratæ apparent, & in earum forsan locum substitutum est anniversarium pro Anima Fundatricis.

Tertio Missarum 25. certis designatis anni diebus, annuæque Missæ cum cantu, & nocturni intra octavam omnium Sanctorum, dotem quotannis assignavit Theresia Martinez hispaniensium ducatorum 20;, seu scutorum 11. pro Missa cum cantu, & trium realium, seu obol. 15. pro Missis lectis. Extat fundus hujus legati in scutis 465., annui reditus scutorum 14. 85. Missa cum cantu, & nocturnum celebrantur: Missæ lectœ reductæ sunt ad 15. Qua de causa, quave auctoritate latet. *Quarto* annuæ Missæ cum cantu fundum constituit Joannes Mendee regalium 82., seu scutorum 4. 10. in singulos annos; sed ob imminutum reditum capitalis ex Regia Pragmatica, quæ fructus censuum reduxit ad scuta tria pro quolibet centenario, consistit modo reditus in regalibus 49. cum dimidio, seu scutis 2. 47. $\frac{1}{2}$. Post trienne hujusce legati adimplementum omissa fuit celebratio, quin de ratione constet omissionis. Francisca Manexo fundavit *quintum* hebdomadalis Missæ, altarumque octo statutis anni diebus, & assignato capitali ducatorum 600. seu scutorum 330. annui tunc reditus regalium 330., seu scutorum 16. 50., solvi mandavit eleemosynam duorum regalium, seu obolor. 10. pro qualibet Missa, reliquam summam attribuit Monasterio. Missæ istæ non celebrantur, ignoraturque omis-

sionis principium, nisi desumatur ex imminuto reditu ad regalia 198., seu scuta 9. 90.

Succedit *sextum* Joannis Herrera Trevinò, Undecim is certis anni diebus præscripsit Missas cum cantu, aliasque duas lectas singulis quoque annis, traditis Monasterio in earum fundum ducatis 600., seu scutis 330. Legatum hoc adimpletur quo ad duas Missas lectas. Quo vero ad illas cum cantu, novem duntaxat a quatriennio celebrantur; neque rationem assignare valent Moniales, cur non omnes undecim celebrentur, & cur omissa quo ad præteritum fuerit celebratio. Pro *septimo* unius annuæ Missæ cum cantu, & manualium octo statis diebus assignatum initio fuit ab Anna de Camargo capitale annui reditus regalium 627., seu scutorum 31. 35. $\frac{1}{2}$, quod amplius non existit. Pium hoc relictum quoad Missas lectas non adimpletur: a quo tempore non constat. Ex fundo *octavi* Missarum decem in singulos annos, relicti a Philippo Rivera percipit Monasterium annua regalia 201., seu scuta 10. 05., Missas non celebrat. *Nonum* est Mariæ Henriquez, ejusque onus annuum simplicium Missarum quinque, & alterius cum cantu, ac sacra concione in die festo S. Joannis Baptistæ, pro quo traditum fuit Monasterio capitale ducatorum 300., seu scutorum 165., ad hæc, tempora adimpletur. *Decimo* tandem præscripsit Philippa Bazquex Missas novem in totidem B. Virginis Festivitatibus, perpetuamque accensam lampadam ad Altare B. Virginis Rosarii, tradito capitali ducatorum 3200., seu scutorum 1760., alteramque Missam primis cujusque mensis Dominicis ex capitali regalium 2600,, seu scutorum 130. Hujusce legati adimplementum fatentur Moniales quo ad Missas; lampadam silentio prætereunt.

Præter hæc Laicorum legata, aliæ sunt fundationes Novitiæ, & Monialium ipsius Monasterii. Priusquam Hieronyma Trecenò professionem emitteret, paternam & maternam favore Monasterii renunciavit legitimam cum onere duplicis hebdomadalis Missæ. Ex consequuta summa expleri potuisset celebratio cum eleemosyna duorum saltem regalium, seu obolorum 10. pro qualibet Missa; sed expleta nunquam fuit. Qua de causa, non patet. Ex Monialibus vero professis *duplicem* fecit Maria Herrera piam fundationem de licentia Superioris Monasterii, Provincialis nempe Prædicatorum, unam

annuæ

annuæ Missæ cum cantu & vesperis, solutis Monasterio ducatis 300., seu scutis 165., alteram annuæ pariter Missę cum cantu, aliarumque simplicium decem, solutis ducatis 400., seu scutis 220., quæ annua reddunt regalia 132., seu scuta 6. 60. *Prima* fundatio in omnibus adimpletur. Pro *secunda* annuæ tantum celebrantur Missæ lectæ novem. Adimpletur etiam *tertia* duplicis annuæ Missæ cum cantu, & nocturni intra octavam Defunctorum, pro qua tradidit Francisca Cienfuegos ducata 400., seu scuta 220. Elisabeth de Rueda explevit cum dote ducatorum 120., seu scutorum 66. *quartam* duplicis annuæ Missæ lectæ, quæ celebrantur. *Quinta* Missarum sexdecim certis anni diebus, in fundum habuit a Maria Sena capitale ducatorum 200., seu scutorum 110. quod in extinctionem passivi census erogatum fuit. Quinque tantum ex hisce Missis celebrantur, & ignorant Moniales, cur omissæ fuerint reliquæ.

Sexta est Mariæ de Luxar, quæ binas perpetuo voluit ardentes lampadas, tradito capitali ducatorum 320., seu scutorum 176. Non enunciatur adimplementum. *Septimam* instituit Francisca de Tenes, trium nempe Missarum statutis anni diebus; sacræ concionis ad Missam conventualem diei Transfigurationis D. N. Jesu Christi cum duo de triginta candelis accensis, vesperumque, & completorii. Pro hac fundatione tradidit Monasterio ducata 200., seu scuta 110., in extinctionem quoque passivi census erogata, omniaque adimplent Moniales. In fundum *octavæ* simplicium Missarum 14., & unius cum cantu in designatis pariter anni diebus, solvit Anna Maria Henriquez regalia 4600., seu scuta 230., sed quinque tantum celebrantur simplices Missæ, ac dubium est, num ad legatum potius pertineant Mariæ ejusdem cognominis, relatum inter legata Laicorum *nnm.* 9. Fundatrix *nonæ* Catharina Real Varona assignavit capitale ducatorum 500., seu scutorum 275. sub lege celebrandi tot Missas, quot ad rationem dimidii ducati, seu obolorum 27. $\frac{1}{2}$ pro qualibet caperet illius fructus. At capitale illud amisit Monasterium in concursu creditorum super bonis communis debitoris, & ab eo forsan tempore intermissa fuit celebratio. Pro *decima* postremo celebrationis diei festi S. Thomæ de Aquino cum Missis, & sacra concione, dedit Elisabeth Becio ducata 500., seu scuta 275., ejusque adimpletur voluntas.

Legatis Laicorum, piisque fundationibus Novitiæ, & Monialium binæ accedunt capellaniæ, quarum unam quotidianæ Missæ, certa hora celebrandæ, cum fundo annui nunc reditus regalium 3934.; seu scutor. 196. 76., instituit Monialis professa Maria de Leon sub lege solvendi Capellano celebranti annua tantum scuta 30., alteram duplicis hebdomadalis Missę Rosa, & Balthaxarra Ortiz Moncada professæ pariter Moniales, nonnullis Monasterio cessis bonis, quorum ignoratur reditus. Neutra adimpletur, nec liquet, num aliquo tempore adimpletæ fuerint. Licet autem lateat cujusque fundationis epocha, hoc tamen constat, quod se ab initio obligavit Monasterium ad singula adimplenda onera, illa præsertim fundationum Novitiæ, & Monialium. Quum tot igitur oneribus impares modo sint ejusdem Monasterii reditus, supplicant idcirco hodiernę Moniales pro abolitione fundationum professarum Monialium, reductione legatorum Laicorum, & Monialis Novitiæ, nec non absolutione quoad præteritum.

In omnibus eis favens, investigabilem dicit Vallisoletanus Episcopus numerum Missarum, quæ pro singulis omissæ sunt fundationibus; culpamque omissionis in eas refundit Moniales, sub quibus negligi cepit celebratio. Passim nunc tradi ait Vallisoleti eleemosynam regalium quatuor, seu obolorum 20. pro qualibet Missa manuali, & regalium sex, seu obolorum triginta pro perpetua. EE. Vestris deliberandum relinquit de validitate, vel nullitate fundationum Monialium, licet Ipse propendat ad nullitatem. Plura earumdem fundationum capitalia distracta testatur ad pauperes alendas Moniales; & hæc hispano idiomate in italicum translato, de præsenti refert Monasterii statu, & impossibili onerum adimplemento: *Il vero si è, che l'adempimento sudetto egli è assolutamente impossibile relativamente alle une, ed alle altre fondazioni, giacchè paragonato l'introito annuo, che fà la detta Comunità tanto colle rendite patrimoniali, quanto con quelle delle indicate fondazioni, restringendosi pur anche il mantenimento il più stretto del picciolo numero di Monache, che di presente esistono, rimane ogni anno al di sotto di trecento scudi circa, non compreso tampoco in questo debito l' adempimento delle Messe in maggior numero di quelle, di cui rendono conto nello stesso loro memoriale.*

At-

Atque hinc censet = *che qualora Vostra Beatitudine sia per prestarsi all' istanza di queste afflitte Religiose per la rescissione, ed annullazione dell' obbligo, che incautamente fissato venne dalla loro Comunità sull' adempimento delle fondazioni delle loro Sorelle professe, si moderino le Messe, e gli altri pesi di tutte le altre a quel numero, di cui sono capaci le rendite correnti delle medesime collo stipendio di dieci reali* [obolorum 50.] *per ognuna essendo letta, e venti* [scuti unius] *se fusse cantata; fissandone un picciol numero dell'una, e dell' altra specie in compenso di quelle, che hanno omesse, ed è loro impossibile di soddisfarle a motivo della somma loro povertà.*

Pro nullitate fundationum, & capellaniarum, quas Moniales instituerunt professæ, canonica urget regula, quod quidquid Monachus vel Monialis acquirit, Monasterio acquirit, *Can. statutum* 1. *caus.* 18. *quæst.* 1., *Can. Abbates* 16. *caus.* 18. *quæst.* 2., & *Can. quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *quæst.* 3. Quum pecunia ergo per Fundatrices soluta, traditique census sub proprietate essent ipsius Monasterii accipientis, per eas idcirco utpote usuarias, gravari non potuisse videntur onere Missarum, secundum *Pasqualig. quæst. moral. jurid.* 199. *num.* 1., *de Alexandr. in confess. monial. cap.* 4. §. 2. *quæst.* 12. Potessatem nonnulli tribuunt Monialibus donandi pecuniam ex livello, vel aliunde coactam, ut annuæ celebrentur Missæ; eo quod donatio non est prohibita dispositio per modum ultimæ voluntatis, ac præ ceteris *Ludovic. Lopez lib.* 2. *de contract. cap.* 40., *Navar. comment.* 2. *num.* 41. *de Regular.* Contrarium tamen tuentur *Pasqualig. loc. cit.*, *de Alexandr. loc. cit. quæst.* 14., *Molin. de justit. & jur. disput.* 140. *col.* 2. *tom.* 1., eoque magis ipsorum sententia in nostro procedit casu, quia constitutæ non fuerunt fundationum dotes per donationem, sed per simplicem capitalium assignationem, ut in ævum onera post obitum etiam Fundatricum ademplerentur; quæ assignatio ultimam potius sapit disposstionem.

Monasterium ipsum contra, cui jus erat ad capitalia per Moniales fundatrices tradita, ultro in se assumpsit onera, eaque saltem in parte a tempore, de cujus initio non constat, adimplevit. Licet porro gravare non posset oneribus propria capitalia absque Beneplacito

cito Apostolico, ponderandum tamen, num hoc præsumi valeat Beneplacitum ex immemorabili adimplemento, secundum *Petr. ad Constit. S. Leonis Magni*, quæ incipit, *Occasio*, *sect.* 1, *num.* 58. *tom.* 1. Quatenus vero hujusmodi præsumptio admittatur, locus esse posset, quoad nonnulla saltem, reductioni onerum cum reliquis Laicorum, juxta secundum Dubium.

Statim profecto concedenda non videtur petita reductio. Se enim per contractum obligavit Monasterium ad implenda onera per Moniales imposita, eaque est contractus efficacia, ut reductionem impediat, veluti *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728. Maxime quia in parte saltem usque adhuc adimplevit fundationes, ac fere omnia possidet illarum capitalia, ut notatum est in Facto. In his sane terminis denegata fuit reductio *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787., *& in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *Septembris* 1791. Notandum contra, quod licet annuus reditus capitalium pro legatis Monialium 1. 2. 3. 4. 7. 8, 10. satis sit ad supplendam eleemosynam Missarum ad diœcesanam taxam perpetuæ, nempe regalium sex, seu obolorum 30., tamen reditus 5. & 9. legati insufficiens est; sicuti insufficiens videtur reditus 6. legati ad manutentionem duplicis lampadis. Quoad primam capellaniam Missæ quotidianæ, reductionem excludit annuus reditus superextans scut. 196. 70. Fundatrix contra annua scuta 30. tantum pro eleemosyna assignavit Capellano, reliqua Monasterio. Quo vero ad secundam capellaniam, quum ignorentur bona Monasterio cessa, eorumque reditus, locum esse nequit reductioni. Verum ob perantiquum celebrationis duplicis hebdomadalis Missæ inadimplementum præsumi potest fundi relicti deperitio. Ex legatis vero Laicorum nullam fortasse admittit reductionem illud Fundatorum Monasterii, quum semel ad unam reducta fuerit duplex quotidiana Missa cum cantu, ac difficillime reductionis reductio concedatur, ut *in Tyburtina Reductionis Missarum* 26. *Martii* 1791. Reliqua legata ex hoc adimplenda videntur, quod majori ex parte, plurimosque per annos neglectum fuerit illorum adimplementum. Compensatum enim censetur futurum onus ex perceptis ab immemorabili fere tempore superextantium capitalium fructibus absque onere, & quoad legata 3. 4. 8. 9. 10.

suf-

sufficiens superextat reditus ad solvendam eleemosynam ad taxam perpetuæ.

Plurimum altera ex parte imminuta sunt fundationum omnium capitalia, sive annuus reditus absque culpa præsentium Monialium, illudque præsertim septimi legati penitus deperditum est, & quoad 2. 5. 6. & legatum Novitiæ Trecenò ad taxæ perpetuæ solutionem insufficiens; plurimumque indiget Monasterium, licet Episcopi testimonio existat *un picciolo numero di Monache*. Nedum enim reditus bonorum patrimonialium, piarumque fundationum impares sunt Monialium manutentioni, sed remanet etiam illarum Communitas *ogni anno al di sotto di trecento scudi circa, non compreso tampoco in questo debito l'adempimento delle Messe in maggior numero di quelle, di cui rendono conto nello stesso loro memoriale*. Ex utroque siquidem capite locus esse posset onerum reductioni. Hæc namque concedi solet ubi imminuta sunt capitalia, aut fructus absque possessoris culpa, ut *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783., multoque magis, ubi paupertas concurrit obligati, Loci præsertim pii; ut *in Fossanen. Reductionis Missarum* 29. *Januarii* 1791.

Si indulgendum autem sit pro reductione, deliberandum quoque de modo. Alia potius reduci deberent onera, quam Missæ, secundum *Benedict. XIV. de Synod. Dieces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23., nocturna scilicet intra octavas omnium SS., & Defunctorum, vesperæ, conciones, lampades, candelæ, & dierum festorum celebratio, quibus Monasterium gravatur ex fundationibus Laicorum 3. 9. 10., & Monialium 1. 3. 6. 7. 10.. Sed id fortasse non satis indigentiæ Monasterii. Reduci etiam possent Missæ cum cantu ad lectas, ut *in Nepesina Reductionis* 5. *Septembris* 1778., *& in Urbanien. Reductionis Missarum* 6. *Augusti* 1791., quæ ex plerisque nempe canendæ sunt legatis, & fundationibus. Et in hoc casu ob tenuitatem bonorum tum Monasterii, cum legatorum, non incongrua esset etiam post acceptationem reductio ad taxam perpetuæ, ut *in Parmen.* 6. *Maii* 1786. Taxa autem perpetuæ Missæ in Diœcesi Vallisoletana obolorum est triginta; licet eam in casu statuendam censeat Episcopus in regalibus 10., seu obolis 50. pro Missa manuali, illamquæ Missæ cum cantu in duplo.

Hæc

Hæc quoad futurum. Quo vero ad præteritum; nisi omissæ celebrationis Missarum auctrices fuerunt præsentes Moniales, omnino tamen ignorare non potuisse videntur leges fundationum, quas majori ex parte adimpebant; idque impedimento esse posset absolutioni. Levis contra est culpa ob res non investigatas antiquissimas, veniamque forsan meretur, ut *in Fabrianen.* 19. *Decembris* 1789. *ad* II. *Dubium*. Paupertas accedit Monasterii, ob quam plura sunt absolutionis exempla, ac præsertim *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad* IV. *Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146., Celebrandum tamen censet Episcopus EE. Patrum arbitrio certum Missarum numerum pro præteritis omissionibus; ob paupertatem vero Monasterii, exiguum.

Quæritur itaque.

I. *An piæ fundationes professarum Monialium sint irritandæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum quoad futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Consulendum SSmo pro reductione Missarum cum cantu ad lectas, & cum eleemosyna obolorum quinquaginta pro qualibet, juxta votum Episcopi ad decennium; & ad mentem, nempe quod Episcopus provideat œconomico statui Monasterii.

Ad III. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ses. 25. *cap.* 11. *de Reform.*

ANCONITANA EMPHYTEUSIS. Præsul Franciscus Gazzoli concessit anno 1787. Riccardo Riccardini in vitalitiam emphyteusim bona omnia beneficii, quod sub titulo SS. Philippi, & Jacobi in parochiali possidet Ecclesia Siroli, pro annuo canone scut. 160., comprehensa ecclesiastica pensione scutor. 30.; qua beneficium quavatur, celebratione hebdomadalium Missarum quatuor, ac oneribus realibus, & personalibns, quæ in se pariter emphyteuta assumpsit. Hæc vero potissima fuerunt pacta. Quod contractus nempe simplex de

de triennio in triennium esset locatio quousque sumptibus Rectoris beneficii Apostolicum obtineretur Beneplacitum ; quodque in casu non obtenti Beneplaciti solvere deberet Rector melioramentorum pretium *per il quid impensum solamente* . Non primum R.P.D. Gazzoli , quam superiore anno pro reservato Beneplacito *Sanctissimo* supplicavit . Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis , affixa fuerunt de ejus mandato edicta pro empyteusi ad tertiam generationem masculinam , *firma interim remanente oblatione Riccardini* .

Duo omnino fuerunt novi oblatores , Joseph nempe Papi, & Antonius Tomasetti . Horum alter annuum obtulit canonem scut. 120., omnibus in Rectorem depositis oneribus . Alter canonem obtulit scut. 131. , cum assumptione præsentium , & futurorum onerum . Neutram vero Emus anconitanus Episcopus admittendam censuit oblationem , quum cederet prima in manifestam Rectoris perniciem ; minus tuta esset secunda ob defectum idonei fidejussoris . Nonnullas tamen transmisit Riccardinii animadversiones , quibus Beneplacitum Apostolicum veluti serotinum impedire conabatur , retulitque, quod *reditus annuus beneficialium prædiorum, habita totius decennii ratione , quoad rescire potui , scuta octo et centum vix excedit* . Præfixo hinc Riccardinio unius mensis termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione , in concordationem convènit infrascripti Dubii ; sed a suis deducendis juribus deinde alienus , diu contumax fuit , causamque dedit R. P. D. Gazzoli , cur & ipse a formali abstineat defensione .

Ilis profecto est Rectori beneficii oblatio Riccardinii ; Utnam ex bonis , quæ annua per locationem reddebant scuta 108. , percepturus per emphyteusim erit canonem scutor. 160. comprehensa pensione scutorum 30. , & omnibus etiam levabitur eorumdem bonorum oneribus . Ubi autem in emphyteusi ecclesiastica evidens concurrit utilitas beneficii , denegari non solet Beneplacitum Apostolicum, *Barbos. de offic., & potest. Episc. allegat. 95. n. 33.* , *Ros. de execut. Liter. Apost. in addit. ad cap. 13. num. 17.* . Quin officiat , quod præcesserit contractus . Initus enim fuit sub reservatione Beneplaciti ,

eumque propterea, constito de utilitate, *ratihabitio debet pro securitate Partium solidare*, ut per hæc verba statuit *Text. in cap. 2. de pact.*.

Probe id noscit Riccardinius: sed initæ emphyteusis pœnitentia ductus, in animadversionibus contendit, peti debuisse Beneplacitum in primo triennio, eo quod post illud expletum, Beneplacito non impetrato, conventa fuit locationis continuatio de triennio in triennium. Notandum vero, quod Beneplaciti reservatio indefinita est, ac nedum primum, sed ulteriora etiam appellare videtur triennia, ita ut tunc demum cessare deberet locatio, & incipere emphyteusis, cum supervenisset Beneplacitum. En verba primi capituli, de quo agitur: *Il præsente contratto debba essere intanto a titolo di mero, e semplice affitto triennale . . . sino a tanto che ne sarà ottenuto nelle solite forme il detto Beneplacito Apolico da riportarsi a spese del detto Signor Rettore, e così da durare di triennio in triennio; in vigore del quale Beneplacito solamente s' intenda allora enfiteosi.*

Alterum Riccardinius urget capitulum octavum, in quo de pretio actum melioramentorum his verbis expressum = *Nel caso poi, che per mancanza di Beneplacito Apostolico dovesse il presente contratto proseguirsi a mero, e semplice affitto, li nuovi bonificamenti non descritti nel sudetto inventario da farsi, debbano pagarsi dal predetto Signor Rettore pel quid impensum solamente da giustificarsi nel caso, e nell' atto della rescissione dell' affitto* = ; quasi æstimari deberent melioramenta in fine primi triennii, eodemque tempore impetrandum esset Beneplacitum. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num verba illa, *in mancanza del Beneplacito Apostolico*, casum potius respiciant denegati Beneplaciti, in quo æqua fuisset refectio melioramentorum, quæ sub fide emphyteusis sive in primo, sive in ulteriori locationis triennio Riccardinius fecisset. Vitalitiam postremo negat emphyteusim ex quo Sacra Congregatio contractum appellavit locationem, dum affixionem demandavit edictorum pro emphyteusi incipienda *expleto triennio locationis*. Verum adverti potest, reipsa ex pacto locationem fuisse ante Beneplacitum Apostolicum, quæ hoc obtento assumere debebat naturam emphyteusis. Servavit quidem

Sa-

Sacra Congregatio ultimum locationis triennium, quatenus magis Riccardinio idonei supervenirent oblatores pro emphyteusi ad tertiam generationem masculinam; sed firmam eodem rescripto voluit Riccardinii oblationem pro emphyteusi vitalitia, si minus idonei essent novi oblatores, ut judicio Emi Episcopi sunt Papi, & Tomasetti, qui nunquam idcirco in jus venerunt, verbis nempe illis = *firma interim remanente oblatione Riccardini*.

Dublum est.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Affirmative.

ASCULANA BENEFICII. Asculanæ Familiæ Ferri, & de Hieronymis juspatronatus habent ecclesiastici beneficii in Ecclesia S. Josephi oppidi Appineani, eoque alternative utuntur. Cum die 9. Septembris 1788. beneficium illud vacavit, jus nominandi pertinebat ad Joannem Aloysium Ferri. Hic igitur post menses duos, diesque viginti, die nempe 29. Novembris ejusdem anni, *Sanctissimo* supplicavit pro suspensione nominationis, & perceptione fructuum ad suam, vel filioli sui Josephi vitam, in statu etiam conjugali, precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, prodiit die 25. Aprilis sequentis anni 1789. rescriptum: *Pro gratia, arbitrio, & conscientiæ Episcopi, suspensionis nominationis donec Oratoris filius ad legitimam 14. annorum ætatem tantum pervenerit, deputato interim ecclesiastico administratore, qui impletis Missarum oneribus, & Ecclesiæ restauratione, residuum Oratori consignet. In reliquis lectum.* *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Decimum quartum Joseph explevit ætatis annum die 12. Junii 1791., supplicavitque ejus pater die 25. ejusdem mensis pro prorogatione gratię ad illius vitam: at die 26. subsequentis Novembris rejecta fuit instantia

per rescriptum, *gaudeat impetratis*. Rediit hinc Joannes Aloysius mense Martio 1792. ad Sacram Congregationem, petiitque prorogationem alterius quatrimestris ad nominandum, sub supposito, quod cessurum esset vertens quatrimestre die 26. illius mensis, ducto scilicet initio a die 26. Novembris præcedentis anni, quo rescriptum prodiit *gaudeat impetratis*; & secundum ejus vota signata fuit gratia die 24. dicti mensis Martii 1792., *arbitrio & conscientiæ Episcopi ad quatuor menses, a die expirati quatrimestris computandos*. Autumans vero Clericus Antonius Galanti, ducendum esse prorogati quatrimestris initium ab expleta per Josephum Ferri quatuordecim annorum ætate, a die nempe 12. Junii 1791., ideoque devolutum beneficium ad S. Sedem ob non factam intra hujusmodi quatrimestre nominationem, beneficium impetravit die 15. Junii 1792. Statim vero ad Sacram Congregationem venit Ferrius pro declaratione temporis, a quo incipere deberet quatrimestris prorogatio; & a suo asculanus Ordinarius abstinens voto, rem Vestræ reliquit deliberationi. Ac tunc demum Ferrius die 14. Julii filium nominavit sub conditione obtinendi infra legitimum tempus primum Tonsuram.

Quæstionem non esse ait Ferrius cum compatrono beneficii, sed cum odioso impetratore, ut benignior adversus eum fiat rescriptorum Sacræ Congregationis interpretatio, ad monitum *Rotæ coram Falconer. tit. de benefic. ecclesiast. decis.* 3. *num.* 8., *coram Crisp. decis.* 80. *num.* 6. Suam hinc memorat diligentiam in petenda prorogatione gratiæ 25. Aprilis 1789. ad vitam ejus filii eodem ipso mense Junio anni 1791., quo ob illius pubertatem expiraverat, ne tam facile admittatur beneficii devolutio, in pœnam patronorum negligentium inducta per *Text. in cap. quia diversitatem de concess. præben.* Sibi autem vitio verti non debere, quod ad mensem deinde Novembris, quo rescriptum prodiit *gaudeat impetratis*, Beneficiatum non nominaverit; nam spes obtiuendæ gratiæ impedimento fuit, quin tempus a die curreret petitionis, *Rigant. ad regul. Cancell.* 35. *num.* 51.

Subsequens præterea appellat rescriptum 24. Martii 1792. Prorogatio enim facultatis nominandi *ad quatuor menses, a die expirati quatrimestris computandos*, veluti re-

relativa ad preces, *Rot. in recen. decis.* 479. *num.* 5. *part.* 18. *tom.* 2., de eo intelligenda est quatrimestre, quod secundum preces expiraturum erat die 26. ejusdem mensis Martii, initio nempe ducto a die 26. Novembris, quo rescriptum prodiit *gaudeat impetratis*. Alias gratia fuisset illusoria, si incipere debuisset prorogatum quatrimestre a die pubertatis Josephi, 12. nempe Junii 1791., a quo jam novem elapsi erant menses, contra *glossam in cap. solitæ, verbo tanquam, de majorit. & obedient.*

Adversus hæc ponderanda rogat Impetrator verba rescripti 25. Aprilis 1789. Concessa enim fuit suspensio nominationis *DONEC Oratoris filius ad legitimam quatuordecim annorum ætatem tantum pervenerit*. Ex hac sane concessionis formula, iisque præsertim dictionibus, *donec*, *tantum*, desumit, nil aliud talem nominationis suspensionem fuisse, quam prorogationem primi labentis quatrimestris ad pubertatem Josephi Ferri, nec ultra procedere potuisse. Atque hinc serotinum dicit recursum diei 25. Junii 1791. pro obtinenda primæ gratię prorogatione, quum jam die 12. ejusdem mensis, quo pervenerat Joseph ad pubertatem, expirasset quatrimestre, ideoque devolutum esset beneficium. Etsi de cetero Joannes AloysiusFerri Sacram adiisset Congregationem eadem die 12. Junii, qua expirabat quatrimestre, adhuc tamen contendit Impetrator, impedimento recursum non fuisse, quin quatrimestre expiraret; nam rescriptum *gaudeat impetratis* manifestam reddit irrationabilitatem petitionis, quæ ad impediendum temporis cursum esse debet honesta, *Fermosin. in cap. venerabilis* 20. *quæst.* 11. *num.* 1. *de judic.*, *Rot. coram Ansald. decis.* 203. *num.* 25.

Aliam quidem Sacra Congregatio concessit suspensionem *ad quatuor menses*; sed computandum dixit hujusmodi terminum *a die expirati quatrimestris*. Quum autem, juxta Impetratorem, expirasset primum quatrimestre die 12. Junii 1991., quo Joseph Ferri ad pubertatem pervenit, inutilis idcirco fuit concessio absque restitutione in integrum, ut per *Text. in Leg. sed & si manente ff. de precar.*, probat *Pax Jordan. lucubrat. canon. lib.* 4. *tit.* 7. *tom.* 3. *num.* 93., & *Rot. in Ostunen. Cantoratus* 15. *Junii* 1750. §. 8. *coram Molino*. Censeri

ri etiam posset obreptitia ob suppositam quatrimestris expirationem die 26. Martii 1792. ducto calculo a rescripto *gaudeat impetratis*, & sic ex notissimis minus digna executione.

Deliberandum ergo.

An, & a quo tempore expiraverit quatrimestre Aloysio Ferri competens ad effectum præsentandi ad beneficium in casu &c.

Affirmative, & quatrimestre jam expirasse de tempore obtentæ collationis a Clerico Galanti.

Sess.25. cap.4. de Reform.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Joannes Zini proprietarium anno 1622. instituit heredem Petrum Paulum Roabio, jussitque, ut donec ille vigesimum quintum non expleret ætatis annum, hereditatis reditus perciperet, & investiret Oratorium S. Caroli oppidi Gralliæ. Roabio ejusque descendentibus ipsum substituit Oratorium sub lege erigendi cum Hominibus oppidi perpetuam capellaniam ad Altare S. Caroli ejusdem oppidi, imposuitque Capellano onus residentiæ in sua habitationis domo, nec non *di avere a celebrare la S. Messa continuamente nel detto Oratorio (eccetto un giorno della settimana) quando non sia festa, o che non avesse giusta scusa. ed ancora di avere a celebrare coll' autorità di altri Sacerdoti ogni anno un' officio de morti nella detta cappella*. Atque in fundum hujusce capellaniæ universa esse voluit hereditaria bona, quæ partim in prædiis, majori ex parte in *capitabilibus* consistebant; ita tamen, ut non fieret erectio, nisi per multiplicum perveniret illorum reditus ad annua scuta mediolanensia 200., seu 160. romana.

Purificato erectionis capellaniæ casu de anno 1662., eam Syndici Oratorii, Hominesque oppidi properarunt, licet bonorum reditus ad scuta tantum ascenderet romana 106. Diu tamen adimpleta fuerunt onera, donec imminutus est reditus ad scuta romana 48., eo quod

juxta

juxta hodiernum novariensem Episcopum, *temporum injuria, citra ullam Beneficiariorum culpam, jacturam non levem passa sunt prædia; capitalia vero, quæ tempore erectionis septem in singulum centenarium dabant, postremis hisce temporibus tres dumtaxat cum dimidio ex Principis edicto pro fructu præstant.* Ob talem igitur reditus imminutionem in pessum ire cepit domus Capellani; nec facile inveniebatur Sacerdos, qui cum annuo stipendio scutorum 48. in alpestri resideret Gralliæ oppido, in quo *necessaria desunt ad vitam mediocriter agendam*, eodem Episcopo teste, & non modica capellaniæ onera adimpleret. Idque in maximum vergebat Oppidanorum incommodum ob distantiam Barceni, quo Sacri audiendi causa pergere cogebantur.

At eis consuluit *Sanctissimus*, edito sub die 27. Maii 1779. per organum Sacræ Congregationis rescripto = *Sanctissimus firma remanente celebratione Missarum singulis diebus Dominicis, & festis, ac celebratione anniversarii juxta dispositionem Testatoris cum eleemosyna ad rationem perpetuæ, ex fructibus annuatim superextantibus mandavit restaurari domum pro Capellano assignatam, & provideri aliis bonorum necessitatibus, cum onere tamen Capellano residendi in Villa Gralliæ. Expleta vero restauratione domus, & proviso meliramentis bonorum, jussit celebrari totidem Missas ad dictam rationem perpetuæ, docto coram Episcopo singulis annis tam de celebratione, quam de versione superextantis annui reditus in causas superius expressas.*

Statim rescriptum hoc demandatum fuit executioni, lenteque per sexennium, ob superextantium redituum tenuitatem, prosequutum est reparationum opus. Haud inde vero melior effecta gralliensis Populi conditio; nam vix per quinquennium circiter haberi potuit residens Sacerdos. *Nec*, ut verbis utar Episcopi, *mirum; quoniam in illa regione Sacerdotes sunt perpauci, & quotquot sunt, Missarum oneribus, beneficii vel alterius piæ fundationis nomine prægravantur.* Omnem profecto Grallienses, omnemque Episcopus per edicta ad inveniendum Capellanum adhibuerunt diligentiam: sed in irritum cesserunt ipsorum vota, & septem circiter ab hinc annis vacat capellania, & Missę non ce-

le-

lebrantur, ex cujus reditibus penes administratorem sunt scuta romana 40., aliaque fere 200. exigenda. Duplicem hinc Gralliensis apud EE. Vestras fecerunt instantiam, sub Vicario capitulari primum, deindeque sub hodierno Episcopo, pro ulteriori nempe Missarum reductione, & facultate applicandi portionem vacantium fructuum in complementum reparationum, quæ periti judicio alia exigunt scuta romana 160.

Utrique instantiæ annuendum censuerunt Vicarius capitularis, & Episcopus, licet paullulum distet unus ab altero quoad reductionem. In accuratiori igitur informatione Episcopi, ex qua hactenus exposita deprompta sunt, ita suum ipse aperit votum: *Censerem quoad PRIMAM* [instantiam] *non aliter opportune subventum iri ipsius Populi necessitati, nec tutius provisum oneribus ipsiusmet beneficii, nisi Apostolica auctoritate statuatur, ut firmo remanente anniversario pro Fundatore, firmaque etiam residentiæ lege, duas in singula hebdomada Missas, festis præsertim diebus celebrare in posterum Capellanus teneatur juxta Fundatoris intentionem.*

Nec miremini Patres Eminentissimi, quod taliter laxandas censeam habenas in re, quæ gravissima jure merito censetur. Duo proponuntur objecta, quæ Fundatoris intentionem, & beneficii naturam æqualiter attingunt, & substantialia recensentur, Missarum scilicet celebratio, & residentia. Celebratio quidem in dicto Oratorio, & non alibi ad Populi beneficium, ut loquitur Fundator, quæ proinde eleemosynam juliis quinque non minorem expostulat, attenta distantia, & viarum asperitate. Quo ad residentiam, hoc certum exploratumque est, Presbyterum nullum residentiæ onus assumpturum, nisi tum ex reditibus beneficii, tum ex obventuris manualibus tot Missarum eleemosynis eam stipem sit recepturus, qua vitam tolerabiliter agere queat. Porro oneribus ut supra reductis, Sacerdos, qui beneficium acceptet, si ejusdem reditus conferat cum manualibus eleemosynis Missarum quinque in hebdomada, quas libere poterit celebrare, non pluris in anno habebit, quam scuta 80. romana. Nescio autem, quis minori cum stipendio queat militare. His accedit loci asperitas, quæ facile quemcumque repellit. Et quid autem Fundator jussisset, ut scuta 160. Beneficiarius annuatim percipere deberet, nisi difficultatem quam-

quammaximam prævidisset Presbyterum reperiundi? Reductionem igitur, modo quo supra propositam ita necessariam reputo, ut non aliter nec beneficii, nec Populi servitio consuli posse existimem.

Ad ALTERAM vero quod spectat petitionis partem, supplicantium votis etiam annuendum ducerem, ita ut tantum ex fructibus vacantibus in enunciata domus, & prædiorum restauratione impendere possint, quantum necessitas periti judicio expostularit. Reliquum vero, quod supersit, in alicujus fundi frugiferi emptione, vel alio quovis tuto licitoque modo reinvestiatur in dotis augmentum, superaddito, si EE. Vestris placuerit, onere Capellano aliquas preces semel in hebdomada una cum Populo persolvendi in suffragium Fundatoris. Ipsamet residentiæ lex prædictorum operum, præsertim circa domum, complementum exposcit. Aliunde media non suppetunt. Agitur de causa piissima, spirituale unius Populi subsidium respiciente.

Jam semel anno 1779. concessa fuit Missarum reductio ad taxam perpetuæ, idque ulteriorem impedire posset reductionem, ut superius notatum est *in Vallisoletana*. Maxime quia ex præsenti reditu scutorum 48. celebrare tenetur ad eam taxam Capellanus annuas circiter Missas 300. cum anniversario, & quid ultra idcirco superlucrari potest ex manuali eleemosyna aliarum Missasum circiter 65., quas libere intra annum celebrare valet. Maxima contra difficultas inveniendi Sacerdotem, qui in alpestri resideat loco, ubi *necessaria desunt ad vitam mediocriter agendam*, totque ad id per septennium inutiles diligentiæ, majorem requirunt providentiam, ut *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718., *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., & *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789. Num vero per reductionem propositam ab Episcopo, ex iis Eminentissimi Patres decernent, quæ idem observat Episcopus. Illudque etiam deliberandum, num concedenda sit hujusmodi reductio in perpetuum, vel ad tempus. Quoties enim juxta secundum Dubium perficienda erit restauratio prædiorum ex reditibus vacantibus, augebitur post nonnullos annos illorum fructus, eademque idcirco proportione augeri poterit Missarum numerus. Per investimentum insuper summæ, quę ex iisdem supererit reditibus, quid amplius addetur stipendio Capellani, nisi novum adiiciatur pretium onus juxta votum Episcopi.

Ad secundam applicationis petitionem notandum est, quod suffragiis caret Fundator a septennio, Magis idcirco ejus Animæ expedire videtur, ut erogentur vacantes reditus in celebrationem Missarum, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.* 291. *num.* 1. Necessitas altera ex parte restaurandi domum, & prædia capellanię, petitam suadere potest vacantium redituum applicationem; nam *aliunde media non suppetunt*, & in perpetuam capellaniæ utilitatem vergit restauratio. Investimentum vero reliquę summæ necessitas suadet augendi quantum fieri potest imminutum reditum, qui absque Beneficiariorum culpa imminutus est, & contemplatione alpestris loci volitus a Fundatore fuit scutorum 160. monetæ romanæ, *Garz. de benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 85. *& seq q.*

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus applicationi vacantium redituum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

CAPUTAQUEN. IRREGULARITATIS. Dum mense Martio anni 1785. facinorosus, & homicida satellitum dux Joannes Cortazzo emissurus erat in rixa igneæ ballistæ ictum in Vincentium Feola, ejusque fratrem Sacerdotem, repentinam his tulit opem tertius frater, & Sacerdos pariter Conus. Quum enim a proxima egrediens Ecclesia oppidi Massascusa, fratres vidisset in discrimine vitæ, aggressorem tenuit a tergo, apprehensaque ballista, luctari quodammodo cum illo cepit, alter ut e manibus evaderet, alter ut iracundum retineret armatum. Suis tandem diffidens viribus, ac sibi suisque fratribus timens, si robustior vinceret Cortazzo, mucronem Sacerdos Conus ab illius

lius latere avulsit, eumque proprio ferro interemit. In aliam idcirco migravit regionem: sed post conditum ab ecclesiastica Curia Caputaquensi contumacialem processum ultro se constituit, &octavo a passis vinculis mense, prȩter declarationem irregularitatis, pulsus ad sexennium fuit in exilium a Diœcesi. Hac igitur expleta pœna, supplicat modo pro dispensatione ab irregularitate.

Rem, ut exposita est, de mandato absentis Episcopi confirmat caputaquensis Vicarius Generalis, testaturque de Oratore, quod in loco exilii *è stato esemplare, ed ave insegnate le belle lettere alla gioventù di quel paese, siccome anche prima di commettere il delitto tal impiego lodevolmente, e con esemplarità di costumi esercitava nella propria, in dove mai fè sentire cosa di male*. Atque in hæc concludit verba: *Chiaramente si vede di esser stato un tal omicidio rissoso, e commesso a propria difesa per non venire il Sacerdote Cono con suoi fratelli massacrato; e perciò stimarei (purchè l'EE. VV. altrimente non giudichino) di poterseli accordare la domandata grazia della dispensa dall' irregolarità; tanto più che si dimostra assai pentito dell'eccesso, e niuno scandalo arrecherebbe alla di lui patria, dove è acclamato, la celebrazione della S. Messa*.

Voluntarium sane est commissum homicidium; nam se exposuit Orator periculo illud committendi aggrediendo facinorosum armatum. Neque patratum censeri posse videtur cum moderamine inculpatæ tutelæ ob certum vitæ periculum, in quo Fratres Feola fuissent, si evasisset occisus e manibus Oratoris, vel morte prævenius non occubuisset. Qui manu enim forti occisum tenebat, facile eum adstantium fratrum auxilio exuere poterat armis, & necem vitare. In his autem terminis obesse posset Oratori dispositio *cap. 1. de homic. volunt. vel casual.*, ne per dispensationem ab irregularitate ad ministerium Altaris restituatur.

Ponderandæ tamen homicidii circumstantiæ. Necessario Orator apprehendere debuit occisum, ne igneam in fratres exploderet ballistam. Timor deinde, mentisque perturbatio ob periculum vitæ, in quo cum fratribus fuisset, si furens ille homo e suis manibus evasisset, promptiorem obtulit defensionem ex armis ipsis occisi, quum in tempore forsan accurrere non possent fratres. Patratum ergo videri potest delictum ad ju-

stam Oratoris, ejusque fratrum defensionem, quę veniam in simili casu promeruit Sacerdoti pariter homicidæ *in Consentina Irregularitatis* 20. *Maii* 1786. Passa concurrit detentio in carcere per menses octo & ultra, expleta exilii pœna, boni Oratoris mores, Ordinarii favor, ex quibus adhibita fuit indulgentia *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763.

Deliberandum itaque.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 7. Septembris 1793. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

II. An, & quomodo sit locus applicationi vacantium redituum in casu &c.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi.

CAPUTAQUEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

AME-

Sess.24. cap.1. de Reform. matrim.

AMERINA MATRIMONII. Quæsitum fuit in Congregatione diei 20. elapsi Julii, *an constet de nullitate matrimonii*; atque EE. Vestræ rescripserunt, *affirmative*. De viribus hujusce rescripti agit modo Defensor matrimonii, ideoque resumpto Folio 15. præcedentis Junii, iisque perpensis, quæ Defensor ipse deducturus erit, deliberare dignentur Eminentissimi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

Sess.24.cap.1., & 9.de Reform. matrim.

TUDERTINA MATRIMONII. Tertias appetens nuptias, sponsalia iniit grandævus Comes Joannes Gasto Prosperi die 16. Augusti 1791. cum honesta, licet ignobili puella Theresia Bravi. At celebrationi matrimonii obstiterunt illius propinqui, ac filius præsertim Comes Angelus, detrusaque in Conservatorium puella, suadere primum curarunt impotentiam Sponsi ad coeundum ob gravem in gravi ætate scrotalem herniam, promptæque erectionis defectum, & inveteratum vulnus in dextero crure, datis in id articulis conducto Tuderti Chirurgo Camillo Zambonio; qui de absoluta tamen non deposuit impotentia, sed ex relatis incommodis, quæ ipse medicatus fuerat, dixit = *molto difficile il poter sostenere il peso del matrimonio* = & in ænigmate conclusit = *cose tutte, che dovrebbero persuadere il prelodato Cavaliere per gli annunziati incommodi*. Meliori deinde consilio, licet infelici exitu, ipsam aggressi fuerunt puellam; nam tertio illa sponsalibus renunciavit, terque in libertatem posita, renunciationem veluti per vim extortam retractavit.

Autumans hinc Comes Joannes Gasto, impedimentum omne procedere a filio, ne proles ex tertio forsan ipsius matrimonio nascitura Familiæ bona discerperet, jam expletam universalis heredis institutionem, & transversalium fideicommissorum administrationem illius favore confirmavit: nascituris vero filiis legitimam, suæque futuræ conjugi annua in casu viduitatis reservavit

vavit scuta 60. cum separata a Comite Angelo habitationis domo. Quum per hujusmodi declarationem salvum videret Prosperæ Familiæ interesse, consensum præstitit celebrationi matrimonii Comes Annibal Maggiori Guerrieri, Comitis Angeli Prosperi socer, qui cum reliquis propinquis contradixerat. At neque hoc satis. Re igitur delata ad A. C., obtinuit Theresia Bravi decretum pro exequutione sponsalium, sed ob difficultates Tudertini Episcopi in concedenda vigore hujusce decreti licentia contrahendi matrimonium, absque formali discussione Causæ super impedimento per propinquos Comitis Joannis Gastonis apposito, imploravit primum Comes auctoritatem R. P. D. Auditoris *Sanctissimi*, deindeque ex illius rescripto *utatur jure suo* formiter egit in Episcopali Curia pro remotione impedimenti, & licentia de sponsando; ac die tandem 7. Januarii currentis anni per definitivam sententiam Vicarius Generalis declaravit = *impedimentum per Reos conventos non affecisse, neque afficere ad effectum impediendi matrimonium initum inter actorem, & Theresiam Bravi, nullíusque roboris, & valoris esse*; ac propterea licentiam de sponsando in forma concessit.

Ab hac sententia provocarunt propinqui ad Sacram hanc Congregationem, suæque informationi adnexum transmisit Episcopus folium rationum, ex quibus contendunt illi matrimonium impedire, *o almeno di prolungare*; ob notabilem scilicet ætatis, & conditionis disparitatem; prætensam Comitis Joannis Gastonis impotentiam; mœroremque nobilis Familiæ, & conjunctorum. Proponenda erat Causa in Congregatione elapsi mensis Julii, vel sequentis Augusti; sed ut congruum appellantibus esset parandæ defensionis tempus, ad hodiernam dilata est diem. Iis vero in contumacia perseverantibus, animo forsan, ut ajunt *di prolungare*, affirmativam infrascripti Dubii resolutionem flagitant Sponsi.

Neminem profecto canonica latent impedimenta, quæ matrimonium dirimunt, sex illis comprehensa versibus, de quibus *Divus Thomas in addit.* 3. *part. quæst.* 50. *& seqq.*, nempe = *Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen-Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas-Si sis Affinis, si forte coire nequibis-Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis-*

Ra-

Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ-Hæc sociandæ vetant, connubia facta retractant. Inter hujusmodi ergo impedimenta non est ætatis, & conditionis disparitas, illudque unum ad rem facere posset = *Si forte coire nequibis*. Ex hoc autem in Comite Joanne Gastone coeundi impotentiam desumunt ejus propinqui, quod septuagesimum septimum circiter agat ætatis annum, & præter vulnus in crure, scrotali laboret hernia; ita ut Chirurgo Zambonio *sembrava molto difficile il poter sostenere il peso del matrimonio*.

Libertatem contra matrimonii vindicat Sponsi ex *cap. gemma de spons. & matrim.*, & *Sacro Concil. Trident. sess.*24. *cap.*1. & 9. *de reform. matrim.*, eamque nemini adimendam contendunt, qui canonico non prohibeatur impedimento, *cap. cum apud de spons. & matrim.*, *S. Ragmund. de Pennafort. in summ. de matrim.* §.7. Attendendum autem in nostro themate non esse ajunt impedimentum impotentiæ ad coeundum, nisi evidenter de absoluta doceatur impotentia. Non morantur vulnus in crure, quum nil commune habeat crus cum viribus. Ab impedimentis vero dirimentibus senectutem excludunt. Nemo enim est, in decrepita etiam ætate, quin natura, vel arte adjutus, aliquando coire valeat, *Sanch. de matrim. lib.*7. *de impedim. matrim. disp.*92. *num.*19., atque etiam generare, dum nullum a natura definitum est procreationis tempus; & sunt qui in quacumque ætate vim habent generandi, ut scribit *Gluter. observat. lib.*1., *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*10. *cons.*75. *num.*3., *Barbos. in jus Canon. lib.*4. *tit.*15. *de frigid. & malefic. cap.*2. *n.*7., & reipsa ultra centisimum annum generarunt, ut refert *Frideric. Guald. in lib. Venetiis edito, cui titulus = La critica della morte, o vero l'apologia della vita pag.*6. Qua de re nedum inter canonica impedimenta non est senectus, sed indistincte etiam Ecclesia permittit senibus matrimonium, quia habitu saltem potentiam habent generandi, *Sanch. in cit. lib.*7. *de impedim. matrim. disp.*92. *num.*19., & *plurib. seqq.*; Illudque immo permittit morientibus, licet extincta pene in eis sit talis potentia, *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*2. *tit.*1. *quæst.*19. *num.*23.

Quo vero ad herniam, notandum rogat Actorum Defensor, eam sive aquosam, sive ventosam, sive intestinalem produci solere in scroto, *James Dizionar.*

uni-

univers. di medicin. sub tit. della discesa degl' intestini nello scroto, o dell'ernia scrotale; ideoque usum penis non impedire. Et hac fortasse de causa absolute impotentem non dixit Chirurgus Zambonius Comitem Joannem Gastonem, sed de sua dubitans opinione asseruit, quod *sembrava molto difficile il poter sostenere il peso del matrimonio*. Ad dirimens autem inducendum impotentiæ impedimentum, satis non est difficultas, sed impossibilitas requiritur coeundi, *S. Raym. de Pennafort. lib.4. de matrim. cap. de impotent. coeund.*, *Sanch. lib.7. de impedim. matrim. disp.92. sub num.1.*, *Pichler. in jus canon. lib.4. tit.15. de frigid. & malefic.*, *& impotent. coeund. num.1.*, *Schmier. in jurisprud. canon. civil. lib.4. tract.3. cap.2. sect.2. §.1. nu.6. & seqq.*

Quæritur itaque.

An sit concedenda licentia de sponsando in casu &c.

Affirmative, & amplius; & moneatur Aloysius Achilli.

FIRMANA EMPHYTEUSIS. In Congregatione diei 11. elapsi Maii disputatum fuit Dubium, *An, cujus favore, & a quo tempore sit locus stipulationi instrumenti emphyteusis*, prodiitque rescriptum, *affirmative favore Ruggieri incipien. finita quacumque legitima locatione, & præstita idonea fidejussione ab Archiepiscopo approbanda; nec non præfigendum esse terminum unius mensis Gratiano ad deliberandum super prælatione*. Pro confirmatione hujusce rescripti agit modo Ruggerius per Memoriale *reassumatur*, in contumaciam, ut asserit, Gratiani. *Ses.25. cap.11. de Reform.*

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

NULLIUS CAVEN. IRREGULARITATIS. Ad Dubium, *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione in casu &c.*, emanavit die 24. Novembris elapsi anni rescriptum, *expectet*. Iterum modo Subdiaconus Joseph Pepe Vestram implorat clementiam, eique impense favet Ordinarius in hæc verba: *Testamur, Subdiaconum Josephum Pepe Terræ Castri Abbatis nostræ jurisdictionis, & Diœcesis novem integros menses intra Cœnobii nostri parietes exegisse; quo quidem temporis intervallo pie sancteque se gessit, ita ut omnes ejusdem pietatem, atque in Deo colendo religionem, præsertim cum se exercitiis spiritualibus operam dedit, sint admirati. Unaquaque insuper hebdomada Cibo se refecisse Cœlesti, quo acrior ad Divinam implorandam opem, atque ad humani generis hostes a se propulsandos accederet, pietatis iterum, ac sæpius in hanc rem renovatis officiis. Denique multis abhinc annis vitæ ratione huic in primis, quod inter nos sequutus est vivendi instituto respondisse, ut nobis quidem jure meritoque ecclesiasticis in rebus spectatissimus dici possit. Quibus rite perspectis, non ejus tantum Causæ, quam calamitatibus, quibus jactatus est maximis, eique quam subiit ob reliquorum ordinum dilationem veluti infamiæ notæ freti, oramus, & obtestamur, ut Emi, & Rmi Sacræ Congregationis Cardinales clementia illa, quam præ omnibus fovent, quæque ipsorum propria est, hac quoque in re id nobis concedant, ut idem Subdiaconus Pepe a prætensa irregularitate tandem dispensetur.*

Iterum ergo quæritur.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione in casu &c.

Affirmative.

Sess. 22. cap. 4. de Reform.

EUGUBINA ELECTIONIS. Matricem Ecclesiam, abbatiali unitam Mensæ S. Mariæ a Platea, erexit anno 1744. Benedictus XIV, in Collegiatam insignem trium Dignitatum, Præpositi nempe, Archidiaconi, & Archipresbyteri; Canonicorum undecim; Mansiona-

nariorum quatuor. Pendebat Archidiaconatus a reservato in Apostolicis Literis Abbatis commendatarii consensu, ex quo supprimendus erat collativus titulus Matricis. Eo igitur denegato consensu, dotem Archidiaconatui constituit nobilis Vir Curtius Rufini, reservata tamen Dignitate Familiæ suæ Clerico, vel Presbytero, & proximiori ex sua descendentia masculina. Quoties vero ex his non extaret, qui Archidiaconatum postularet, jus detulit Capitulo, & Canonicis Collegiatæ eligendi Archidiaconum de suo, & Mansionariorum gremio. Idque Pontifex ipse in Literis erectionis Archidiaconatus sequenti anno 1745. hisce verbis confirmavit: *Tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus ... in dicta Collegiata Ecclesia Archidiaconatum secundam inibi futuram Dignitatem pro Clerico, seu Presbytero Familiæ de Rufinis hujusmodi, & proximiore ex ejusdem Curtii descendentia masculina; & quoties de descendentia hujusmodi nemo extiterit, qui ad Archidiaconatum, ut infra erigendum, aspiret, eo casu tantum Clerico, seu Presbytero a pro tempore existentibus Capitulo, & Canonicis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ de eorum, seu Mansionariorum prædictorum gremio eligendo.*

Per renunciationem Equitis Curtii jun. Rufini vacavit nuper Archidiaconatus, nec alius ex vocatis est, qui illum petat. Facto hinc loco electioni per Capitulum, & Canonicos, tres ortæ sunt quæstiones, una inter Capitulares, & Mansionarios, reliquæ inter ipsos Capitulares. Jus sibi competere autumant Mansionarii ferendi suffragium. Hoc ipsum sibi attribuunt jus Canonici in Sacris non constituti; aliique ex ceteris Canonicis faciendam contendunt electionem per schedas clausas, alii per secreta suffragia. Ad certam itaque statuendam regulam pro præsenti, & futuris electionibus, EE. Patrum oraculum postulavit Archipresbyter Collegiatæ, illudque, eugubino Episcopo teste, venerabundi etiam expectant reliqui Capitulares, & Mansionarii. Hæc autem quoad primum dubium est eugubini Antistitis sententia: *Ex passiva Mansionariorum admissione* (verbis illis *de eorum, seu Mansionariorum prædictorum gremio*) *non video, quomodo inferri possit ad activum assertum ab ipsis jus suffragii ferendi, quum notissimi juris sit aliud ac longe aliud esse activum juspatronatus, ac passivum, unumque ab altero, nisi ex reservatione*

sit eisdem affectum personis, semper esse discriminandum. Quumque in casu solis Capitulo, & Canonicis ex Literis (Apostolicis) data sit eligendi potestas, frustra ii, qui Canonici non sunt, idem sibi jus concessum esse contendunt. In iis quando de passiva vocatione actum est, sive de iis, qui ad vacantem Archidiaconatum eligi possent, distincta adhibita sunt vocabula de gremio ejusdem Capituli, & Mansionariorum = quod tamen Mansionariorum verbum nunquam adhibitum legitur cum de jure eligendi superius actum est. Unde ex notissima regula juris infertur, quod si quando Mansionariis aliquid concessum est, proprio sunt ii Mansionariorum nomine vocati, ita quando nullatenus propria appellatione indigitati sunt, nihil iis a Summo Pontifice reservante concessum esse dicendum est.

Ad secundum censet, admittendos inter electores non esse Canonicos in sacris non constitutos *ex Clement. ut hi, de ætat., & qualitat. ordinan., & sacr. Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 4. de Reform.*, præsertim quia nil habent, *quod ad declinandam sacri Concilii traditionem afferre possint, vel ex consuetudine, quæ supposita etiam non mereretur attendi, uti communiter tradunt Canonistæ, vel ex qualitate juris honorifici, quod universali legi subjicitur, ita nec mihi locus in hac parte datur ullus, neque pro dubitatione quidquam referendi.* Et licet postremo circa tertium dubitet, eo quod *utraque eligendi ratio, vel per schedulam clausam, vel per balloctationem, ut dicitur, valida ex jure est*, magis tamen receptum fatetur secundum eligendi modum per secreta suffragia, *in quo ad omne effugiendum possibile inconveniens usu receptum est, ut ille, qui eligendus proponitur, electionis suæ tempore ab Aula Capitulari recedat, iterum accessurus, suæ propositæ electionis publicato scrutinio. Isque certe modus opportunior videretur ad dignoscendam, & computandam pluralitatem suffragiorum.*

Juris dispositio, & Benedictinæ Literæ obesse videntur Mansionariis, ne inter capitulares electores admittantur. Ex jure siquidem Capitulum sive Cathedralis, sive Collegiatæ vere, & proprie constare dicitur ex solis Canonicis, juxta *gloss. in cap. penult. verb. assisios de Cleric. non residen.*, *Barbos. de Canonic.*, & *Dignitat. cap. 4. num. 37.*. Ex Benedictinis vero erectionis Archidiaconatus Literis; nam fieri debere præscribunt electionem

ctionem *a pro tempore existentibus Capitulo*, & *Canonicis*, quorum nomina Mansionarios ex propria significatione excludunt *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 4. *cap. ult. num.* 40., *March. in prax. Vicar. Capitul. part.* 1. *tit.* 1. *num.* 89.. Discretiva etiam urget inter activum, & passivum jus eligendi. Mansionariorum enim mentionem faciunt Apostolicæ Literæ in passivo, non item in activo verbis illis = *Clerico, seu Presbytero a pro tempore existentibus Capitulo*, & *Canonicis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ de eorum, seu Mansionariorum gremio eligendo*. Magni sane ponderis est hujusmodi discretiva, ne qui de *Mansionariorum gremio* eligi possunt, partem habeant in electione, quæ fieri debet *a pro tempore existentibus Capitulo*, & *Canonicis*, *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2., *Piton. de controvers. patron. allegat.* 42. *num.* 10.. Eaque fuisse videtur ejusdem discretivæ ratio, quod electio veluti jus honorificum, competeret potius Capitulo tanquam corpori nobiliori, emolumentum vero Archidiaconatus etiam Mansionariis.

Notare contra possent Mansionarii, quod saltem ipsi misticum sunt corpus Capituli, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 45. *num.* 43., & in eo vocem habere valent ex privilegio, statuto, vel consuetudine, *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.* 45. *num.* 17. quodque facile a patronatu passivo fit illatio ad activum, *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 29. *num.* 3. & *disc.* 45. *num.* 4., attenta potissimum dictione illa *seu*, inter Canonicos, & Mansionarios adjecta, quæ alternativam inducit, per *Text. in cap. de alternativis* 70. *de regul. jur. in sexto*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 42. *num.* 7. Notandum tamen cum Episcopo, nullam in nostro themate per Mansionarios allegari posse consuetudinem ferendi suffragium in Capitulo; nullamque a patronatu passivo, cui adjecta est dictio *seu*, fieri posse illationem ad activum, ob discretivam utriusque dispositionem.

Quo ad secundum Dubium, regula est, eos tantum Canonicos vocem habere in Capitulo, qui in Sacris constituti sunt, *Clement. ut hi, de ætat. & qualit. ordin.*, & *Sacr. Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.* Statim altera ex parte conceditur Canonicis in Sacris non constitutis stallum in Choro, & locus in Capitulo, *Innocent. super cap. in literis de restit. spoliat.*, ideoque dubitari posset, quin sub indefinita illa oratione

a pro

a pro tempore existentibus Capitulo, & *Canonicis*, ex dispositione hominis contineantur. Ex fundatione enim admitti valent Clerici non sacri ad capitulares electiones, ne a piis fundationibus Fideles retrahantur, *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 32. *num.* 14., *Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 9., *Piton. discept. ecclesiast.* 99. *num.* 50.

Circa tertium postremo, suadere videtur electionem per suffragia secreta dispositio *cap. quia propter de elect.*, nam ea præscripta erat forma Canonicis Cathedralis eligentibus Episcopum, & Canonicis Collegiatæ in electione Præpositi. Id tamen non procedere in aliis electionibus capitularibus, probat *Ceccoper. ad Scarfant. lucubrat. can. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 24., & secundum *Syl. in summ. verb. electio num.* 7. æque pro electo habetur, qui majorem obtinet schedarum, vel suffragiorum partem. Verum monet Episcopus, receptiorem, magisque tutam esse electionem per suffragia.

Dubia sunt.

I. *An Mansionarii Ecclesiæ Collegiatæ Pergulæ ferre valeant suffragium in electione Archidiaconi in casu &c.*

II. *An Canonici in Sacris non constituti habere valeant vocem in eadem electione in casu &c.*

III. *An, & quomodo fieri debeat electio in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative per suffragia secreta juxta votum Episcopi.

Sess. 24. *cap.* 3. *de Reform.*

CAMERINEN. PROCURATIONIS. Ob sacram visitationem elapsi anni 1792. procurationem Camerinensi Archiepiscopo solverunt Parochi sex Vicariatus Flastræ. Facta hinc solutæ summæ distributione, suam cuique Beneficiato, Sodalitio, Ecclesiæque Patrono tribuerunt portionem, Beneficiatis nempe, & Patronis in obolis 36. & quadrantibus 4. pro quolibet, Societatibus in obolis 50. His vero reluctantibus, evulgatum fuit inter Missarum solemnia, deindeque per affi-

affixionem ad valvas Ecclesiarum Parochialium præceptum Curiæ Archiepiscopalis super contributo, & quidam, ut asseritur, intra præfixum terminum dierum octo paruerunt, alii ob contumaciam passi sunt executionem. Haud tamen acquieverunt novissimi, ac post nonnullas instantias coram Signaturæ Justitiæ Auditore, Sacram hanc adierunt Congregationem, ad quam remissa tandem fuit Causa, & absolutionem a contributione procurationis ob assertam non solvendi consuetudinem postularunt. Quædam autem Archiepiscopus transmisit folia super respectivis litigantium juribus, & a suo abstinuit voto.

Urgent Beneficiati, litisque consortes in suis foliis manuscriptis consuetudinem non contribuendi cum Parochis procurationem, eamque veluti legitimum tuentur privilegium ex *cap.* 1. *de consuetud. in sexto*, *cap. conquerente* 16. *de Offic. ordin.*, *cap. procurationes* 23. *de censib.*, & *Sacro Conc. Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* Assertæ consuetudinis principium a divitiis desumunt Paræciarum, aliorumque piorum Locorum inopia, quæ a contribuenda excusat procuratione per *Text. in can. placuit* 1. *quæst.* 2., *cap. statutum* 11. §. *insuper de rescript. in sexto*, *cap. cum instantia* 17. *de censib.*, *ibique gloss. verb. indebite pergravari*.

Nituntur Parochi *in Memoriali typis impresso* ipsimet *cap. cum instantia de censib.* per Beneficiatos citato; nam omnes ibi ad solutionem procurationis obligantur, qui visitationem subeunt, ut tradunt etiam *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform. numer.* 24., *Piton. discept. ecclesiast.* 35. *num.* 15., *Pignatell. consult.* 70. *num.* 28. *ad fin. tom.* 10. Despiciendam vero ajunt contrariam Beneficiariorum consuetudinem, tum quia in simplici consistit assertione, ac veluti fundamentum intentionis, concludenter probari deberet, juxta doctrinam *Barthol. in leg. in illa* 8. *ff. de verb. obligat.*, tum quia nec etiam immemorabilis, si probaretur, statum firmaret. Solvisse enim censentur soli Parochi procurationem ex liberalitate, juxta præsumptionem *cap. cavendum verb. sumptus quæst.* 3. *de censib.*, de qua *Pignatell. consult.* 47. *num.* 4. *tom.* 1., ideoque ad statuendam aliorum exemptionem, requireretur petitio contributionis, cum contradictione & acquiescentia, *Fagnan. in cap. venerabili*

bili de censib. num. 29. , Pignatell. in cit. consult. 47. sub num. 6. & seq.

Neque ad rem pertinere contendunt *cap. 1. de consuetud. in sexto , cap. 16. de Offic. ordin. , cap. 23. de censib. , & Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform.* , nam canonicæ istæ Leges servandam decernunt consuetudinem universalem non solvendi procurationem Episcopo visitanti , non item particularem inter obligatos ad solutionem , quorum nemo negativum allegare valet solutionis actum , ut integrum procurationis onus in alios refundat , juxta præcisum casum *cap. cum instantia de censib.* , de quo late *Barbos. de jur. eccles. lib. 3. cap. 22. num. 19.* , & decretum Sacræ hujus Congregationis *in Auximana Procurationis 15. Martii 1727.* Ad I. enim Dubium , *an Procuratio sit præstanda per contributum ab omnibus Parochis , Beneficiatis , Ecclesiis , Monasteriis , & Confraternitatibus Montis Phulatrani* , respondit , *affirmative* .

Deliberandum itaque .

An Procuratio Archiepiscopo visitanti sit præstanda per contributum ab omnibus Parochis , Beneficiatis , Confraternitalibus , & Ecclesiarum Patronis Vicariatns Castri Flastræ dictæ visitationi subjectis in casu &c.

Non proposita cum sequenti .

Sess. 22. cap. 6., & 11. de Reform.

MONTIS REGALIS CAPELLANIARUM. Instituit anno 1612. Sacerdos Jacobus Perrotti in Cathedrali Ecclesia Montis Regalis perpetuam capellaniam Missarum hebdomadalium quinque , annuæque Missæ Defunctorum cum cantu ; mandavitque , ut integros Capellanus perciperet bonorum fructus . Activum juspatronatus seniori reliquit descendenti ex Teobaldo Perrotti , passivum uni ex Familia etiam clerico , dummodo in ætate saltem annorum 36. ad Sacerdotium ascenderet . In defectum vero Familiæ Perrotti , ad activum patronatum vocavit Priorem Societa-

tis

tis SS. Sacramenti, ad passivum Sacerdotem addictum Ecclesiæ Cathedrali. Ob tenuem autem hujusce capellaniæ reditum, reductum fuit anno 1741. illius onus ab Episcopo ex facultatibus san. mem. Benedicti XIV. ad hebdomadales Missas tres. Parum ab hac fundatione distat altera Joannis Baptistæ Mollea; nam in codicillis anni 1680. perpetuam pariter instituit capellaniam Missarum trium hebdomadalium, & Anniversarii, cum reservatione activi & passivi jurispatronatus favore primum Familiæ Perrotti, deindeque Notarii Marenchi, ac ultimo loco Collegii Capellanorum Cathedralis. Utriusque capellaniæ reditus, realibus detractis oneribus, & bonorum manutentione, in annuis consistunt scutis 160. monetæ romanæ.

Hodiernus Capellanus est unicus Filius Joannis Pauli Perrotti annorum circiter 20., sed ob defectum vocationis ad statum ecclesiasticum, dimissurus erit capellanias. Qua de re illius pater, & pauper patronus *Sanctissimo* supplicavit pro suspensione collationis, & deputatione administratoris, qui adimpletis oneribus, reliquum sibi præstaret. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, de maxima Episcopus testatur, & notoria Oratoris paupertate, ita ut *qualora gli mancasse il sussidio dei due Benefizj, sarebbe certamente costretto a mendicare il vitto in compagnia della Moglie*. Ideoque ab EE. Patrum arbitrio pendere ait *il provvedere alla sussistenza dell'Oratore, e sua Moglie, e di liberare nel tempo istesso il Figlio dalla dura necessità., che a rovina dell'Anima propria lo violenta a continuare nella mala intrapresa carriera*. Refert præterea, nullum ex substitutis ad juspatronatus adversari instantiæ Oratoris, exceptis Capellanis Cathedralis ultimis vocatis ad capellaniam Mollea. Horum vero oppositionem ex pluribus negligendam censet.

Primo, quia existit ultimus de Familia Marenco primus substitutus, remotumque propterea est Capellanorum interesse. II., quia Pater, & Filius Perrotti liberum habent, quousque vivent, jus nominandi extra Capellanorum gremium. III., quia uxorem ducens, plures hodiernus Capellanus habere posset filios, & descendentes, qui omnes præferendi essent Capellanis, in illorum defectum vocatis. IV., denique quia eo tendit Capellanorum contradictio, ut paupe-

rem cogant Capellanum ad cœlibatum, utque per consequens quanto citius fiat locus ipsorum substitutioni, illius Familia extincta; idque contra votum Fundatoris, qui ad naturalem respexit extinctionem Familiæ Perrotti, non ad eam, quæ procederet a substitutorum arte.

Patrono pauperi, qualis est Orator, præstanda sunt ex superfluis fructibus Beneficii alimenta, per *Text. in can. decernimus* 16. *quæst.* 7., & *cap. nobis de jurepatr.*, ideoque æqua in genere videri potest Oratoris instantia, ac plura in id sunt indulgentiæ exempla per suspensionem etiam Missarum modo ad quinquennium, modo ad decennium, & præsertim *in Lucana* 17. *Januarii* 1789. Illuc contra spectat Oratoris petitio, ut redundantes consequatur capellaniarum reditus, quousque nascitura erit ex filio proles capax passivi jurispatronatus. Diuturna autem Beneficiorum vacatio, & spiritualium fructuum perceptio per patronum laicum, dispositioni adversantur juris, teste *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 20. *num.* 12., & *disc.* 193. *num.* 2., *Farn. de jurepatron. part.* 2. *can.* 21. *cas.* 6. *num.* 4. Diuturnæ etiam suspensioni resistit voluntas Jacobi Perrotti, qui sub pœna caducitatis ascensionem præscripsit Capellani ad Sacerdotium in ætate saltem annorum 36., ne diutius scilicet careret capellania idoneo Ministro. Atque impedimento tandem esse posset Capellanorum contradictio, nisi deferendum potius sit animadversionibus Episcopi.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro suspensione nominationis ad capellanias, de quibus agitur in casu &c.

Die

Die Sabbathi 23. Novembris 1793. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CAMERINEN. PROCURATIONIS. *Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

An procuratio Archiepiscopo visitanti sit præstanda per contributum ab omnibus Parochis, Beneficiatis, Confraternitatibus, & Ecclesiarum Patronis Vicariatus castri Flastræ dictæ visitationi subjectis in casu &c.

Affirmative.

MONTIS REGALIS CAPELLANIARUM. *Sess. 22. cap. 6. & 11. de Reform.*

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro suspensione nominationis ad Capellanias, de quibus agitur in casu &c.

Affirmative ad quindecim annos, deputato ecclesiastico administratore, qui adimpletis oneribus reliquam summam consignet Oratori.

ROMANA CAPELLANIÆ. Quum Patres Oratorii S. Mariæ in Vallicella Urbis permittere noluissent in ipsorum Ecclesia Capellano Arighi celebrationem Missæ quotidianæ juxta destinationem Fundatoris, EE. Vestras idcirco supplicavit Franciscus Roberti capellaniæ *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

patronus pro facultate eam celebrandi ubique cum obligatione reddendi quotannis rationem Sacræ Congregationi Visitationis. Sed ad Dubium, *An, & quomodo sit locus translationi Missarum*, rescripsit Sacra hæc Congregatio sub die 23. Februarii labentis anni, *Dilata, & audiantur Patres Oratorii*; ut exploraret nempe, num justam haberent non permittendæ celebrationis causam, sine qua non licet ab Ecclesia Regularium sæcularem reiicere Sacerdotem celebrantem, secundum *Albert. de sacr. utens. cap.* 13. *num.* 77. & 80., & decreta ipsius Congregationis *in Romana* 15. *Januarii* 1639. *lib.* 16. *Decret. pag.* 23., & *in Uxentina Celebrationis Missarum* 13. *Januarii*, & 27. *Aprilis* 1748. *ad* 11. *Dub.*

Mandatis igitur obtemperans Vestris, refert Præpositus Congregationis Oratorii, non primum ejusdem Congregationis Patres requisitos fuisse ab heredibus Antonii Arighi de permittenda in eorum Ecclesia celebratione Missarum capellaniæ, quam anno 1779., oblatis annuis scutis sex pro sacris utensilibus; penitusque eos ignorasse, qua ante illud tempus in Ecclesia celebrasset Capellanus. Potissimam vero negativæ rationem fuisse, *quod hujusmodi Capellani a Patronis designati nolunt plerumque a Præfecto Sacrarii dependere, & commoditati Ecclesiæ inservire; sed ad Sacrarium quacumque ipsis hora libuerit venientes, & brevis etiam moræ impatientes, sese expedire curant; & ideo potius oneri sunt, & rectum ordinem perturbant.* Hoc tamen non obstante, hæc habet: *Ceterum si EE. Vestris æquum videbitur, Capellano Arighi ad pii Fundatoris mentem injungere Missarum celebrationem in hac nostra Ecclesia, Patres Congregationis, tanta Vestra auctoritate permoti, non recusabunt; maxime si Vobis placuerit modum aliquem apponere suo rescripto, nempe ut Capellanus eam Præfecto Sacrarii exhibeat subjectionem, quam & æquitas ipsa, & bonus ordo efflagitare videtur.*

Iterum ergo quæritur,

An, & quomodo sit locus translationi Missarum in casu &c.

Negative, & ad mentem;

RI-

RIPANA EMPHYTEUSIS. Publici Repræsentantes Communitatis Ripæ, tanquam administratores Nosocomii ejusdem Civitatis, EE. Vestris supplicarunt pro facultate concedendi in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam illius bona, quæ ad deficiens novennium in conductione retinebat Comes Vincentius Recchi pro annua pensione scutorum 260. 40., seu 245. dempta collectarum medietate per Nosocomium solvenda, quæque in præcedenti decennio annua reddiderant scuta 243. Affixis de mandato Vestro edictis, unus Recchi annua primum obtulit scuta 250., deindeque 270., quodam comprehenso promptuario, binisque cellis vinariis annui reditus scutorum circiter trium cum dimidio, quæ ex locationibus excludi consueverant; seque insuper obligavit ad fructiferas conserendas arbores 1800., ad tres in fulcimen cujusdam fovei construendos muros; plures reparandas rurales ædes; novum instituendum arundinetum, conserendumque arbustum; ad tradendam singulis Nosocomii infirmis dimidiam carnis libram, & panem in Festivitatibus SS. Natalis, Paschatis Resurrectionis, & S. Joannis Baptistæ; & ad nonnullos Nosocomio dimittendos animalium fœtus. Ex ore tamen peritorum retulit Emus Archipresbyter Lateranensis Ecclesiæ, cui subest Nosocomium, annuos bonorum omnium fructus, excepto promptuario, & cellis vinariis, scuta attingere 294. 18., seu scuta 264. 18., *demptis etiam oneribus collectarum in annuis scutis* 30., reque ipsa nonnullos adesse conductores pro annua pensione scutorum 300., licet monuerit, quod hujusmodi oblatio *momento suo ponderata, ad scuta* 260. *contrahitur, subductis oneribus collectarum, restaurationum domorum, & compensationum non raro conductoribus debitarum pro casibus fortuitis, & inopinatis*. Pensata hinc oblatione Recchi, eam censuit evidentis utilitatis. *Sess. 25. cap. 11 de Reform.*

At hoc non obstante, novam EE. Vestræ demandarunt edictorum affixionem super oblatione Recchi, & duo alii supervenerunt oblatores, fratres nempe Raphael, & Thomas Boccabianca cum fidejussione Antonii eorum patris, ac Septimius Marezi. Obtulerunt illi scuta 275. sub iisdem conditionibus Recchi. Marezius vero scuta 300., omni rejecta meliorationum, & plantationum obligatione, quam in genere dumtaxat assum-

sumpsit *di mantenere tutte le piantagioni non solo come al presente, ma di migliorarle coll' aumento di quelli bonifici, di cui saranno suscettibili i terreni, non dettagliando il modo, perche si desidera la sostanza, e non l'apparenza*. Adhuc vero Emus Archipresbyter favit Recchio tanquam magis idoneo, eo quod Antonius Boccabianca, qui pro filiis accedit, possidet dumtaxat in ripano Territorio bona valoris scutorum 1306. 98. $\frac{1}{2}$; & Marezius, qui vix habet bona scutorum 199. 50., fallacem in genere assumpsit meliorationum obligationem. Ut se igitur a sua purgaret imputatione, alia alibi sua bona in suis precibus innuit Boccabianca, ac de sua in colendis prædiis industria, ex attestatione docuit Publicorum Repræsentantium Ripæ, qui sæpe eum a Sacra Congregatione Boni Regiminis deputatum dixerunt super re agraria, multumque in novenni bonorum omnium illius Communitatis conductione pro annuis scutis 820. in meliorandis fundis incubuisse, ita ut concessi modo sint meliorati fundi in emphyteusim pro annuo canone scutorum 1100. per quindennium, deindeque scutorum 1250.. Ceterum ut oblationem etiam superaret Marezii, obtulit Boccabianca cum ejus conditionibus scuta 301. Marezius altera ex parte ad bonam confirmandam fidem promissarum in genere meliorationum, *di cui saranno suscettibili i terreni*, omneque in id removendum dubium, eas in specie ampliores, quam Recchius, despondit.

In ejusmodi conflictu de utilitate quæritur controversæ emphyteusis, ac de prælatione inter oblatores. Si assueta porro, & a collectis libera spectetur bonorum pensio in annuis circiter scutis 250. comprehenso promptuario, cellisque vinariis, evidenter Nosocomio utilis videtur oblatio Recchi in scutis 270., & meliorationibus, quæ peritorum judicio sumptum requirunt scutorum 114. 40., magisque utiles oblationes Boccabianca, & Marezi, quarum altera scutorum est 275. cum iisdem conditionibus Recchi, & scutorum 301. cum prioribus conditionibus Marezi; altera scutorum 300. cum ampliori meliorationum promissione in specie, secundum novissimam Marezii declarationem. Pro evidenti sane Loci Pii utilitate opus non est juxta nostrum thema, quod emphyteuticus canon superet, sed sufficit, quod æquet bonorum

rum fructus, juxta *Card. de Luc. de emphyt. disc.* 30. *num.* 6. . Et hac concurrente utilitate, emphyteusim permittit *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*, & *Cap. ad aures de reb. eccles. alien. vel non.*

Ex iis vero, quæ sibi invicem, de prælatione certantes, opponunt oblatores, decernere etiam poterunt Emi Patres, num ea concurrat utilitas, quæ deliberationem suadeat emphyteusis. Ex attestatione siquidem Secretarii Communitatis Ripæ notant in Recchio ejus competitores moram in solvendo; nam sub prætextu non redditæ rationis animalium, & melioramentorum, nondum de mense Aprilis elapsi anni 1792. Nosocomio solverat scuta 130. 30., quæ ad totum annum 1791. pro conductis illius bonis debebat. Illudque potissimum observant, quod inter novos non fuit oblatores in secunda edictorum affixione, quæ utpote demandata super prima ejus oblatione, illam reddiderat ad obtinendam emphyteusim ineptam; ipsumque propterea certare non posse de prælatione cum Boccabianca, & Marezio, qui ejus oblationem superarunt. Adverti tamen posset favore Recchii, quod conductor fuit Bonorum, & primus per oblationem ad emphyteusim meliorem fecit conditionem Nosocomii, eique tanquam magis idoneo Emus favet Archipresbyter.

Posthabendos altera ex parte ait Recchius Patrem, & Filios Boccabianca ob tenue eorum patrimonium scutorum 1306. 98 $\frac{1}{2}$ in Territorio Ripæ; additque Marezius, ob illorum oblationem minorem sua, eam nempe scutorum 275., quam in termino dederunt novi edicti. Ad ea tamen advertant Emi Patres, quæ in novissimo exponit supplici libello Antonius Boccabianca de ampliori in aliis Territoriis familiæ suæ censu, ob quem inter Primores numeratur Ripæ; ac de maxima sua agriculturæ peritia. Ex utroque sane capite mereri posset prælationem. Vires namque ei suppetunt ad implenda promissa, ceterisque aptior est ad meliorem prædiorum culturam, quæ in contractu potissimum spectatur emphyteutico. Accedit etiam, quod non modo in prima oblatione alteram superavit Recchii in scutis quinque, sed illam etiam Marezii in secunda; nam canonem obtulit scutorum 301.

Graviores postremo in personam, & oblationem Marezii sunt exceptiones. Homo siquidem est Marezius tenuis-

nuissimæ fortunæ, dum vix possidet bona valoris scutorum 199. 50. Ejus vero oblatio consona non fuit secundis edictis. Duo enim in iis præscripta erant pro forma, ut novæ scilicet oblationes superarent oblationem Recchii, seque oblatores ad majora, vel eadem saltem obligarent melioramenta, ac ille in specie desponderat. In hac autem secunda conditione Marezius defecit; nam in genere dumtaxat promisit *quelli bonifici, di cui saranno suscettibili i terreni*. At nedum ipse in supplici libello hujusmodi promissionem, veluti, indefinitam, supra illam extulit Recchii, sed ad omnem removendam difficultatem, ampliora etiam in specie exhibuit melioramenta.

Unaquæque igitur oblatio exceptionem patitur. Ceteris sane minor est illa Recchii, qui contra rescriptum Sacræ Congregationis nec ad secunda obtulit edicta. Superatur altera Boccabianca quoad quantitatem canonis ab ea Marezii; neque legitima videtur secunda scutorum 301. extra edictorum terminum, ac post priores publicatas oblationes. Tertia denique Marezii vitium habet generice promissionis melioramentorum; nec attendi forsan meretur posterior declaratio, utpote extra actum legitimæ oblationis emissa. In his profecto terminis deliberare dignentur Emi Patres, num concedenda sit emphyteusis alteri ex hisce oblatoribus, seu tertia potius demandari debeat edictorum affixio super ea oblatione, quæ cum additis declarationibus utilior videbitur.

Definiendum ergo proponitur.

An, cujus favore, & pro qua summa sit stipulandum instrumentum emphyteusis in casu &c.

Dilata, & eidem Emo Archipresbitero pro nova affixione Ædictorum super ultima oblatione Boccabiança.

Sess. 22. & 25. utrobique cap. 9. de Reform.

PONTIS CURVI JURISPATRONATUS, ET ADMINISTRATIONIS. Sensim ex piis Olivensium oblationibus constituta fuit dos in ipsorum Pago Ecclesiæ S. Roc-

S. Rocci, seu Capellis ejusdem Sancti, & S. Olivæ, ac duplici illarum Capellano; semperque Syndicus Pagi, binique Procuratores ab eo deputati, quousque distinctam Olivenses habuerunt Communitatem, oblata administrarunt bona sub censura Episcopi Pontis Curvi; & Capellanos deputarunt. Postquam vero Communitas illa per rem judicatam Sacræ Congregationis Boni Regiminis declarata fuit subjecta alteri Pontis Curvi, ita ut nec publicos Oppidani eligere possent Repræsentantes, nec res communes administrare, sibi Conservatores Civitatis exhiberi fecerunt administrationis libros, omnesque Episcopali Sede vacante expleverunt auctoritatis actus, quos Olivenses, & decessores gesserant Episcopi. Ad suum igitur vindicandum juspatronatus, & administrationis jus, Pontificium adierunt Solium Patres familias S. Olivæ, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, respectivas hodiernus Episcopus transmisit Partium animadversiones; iisque consideratis, in hæc conclusit verba: *Crederei molto opportuno per l'avanzamento del Luogo Pio, che l'amministrazione del medesimo si regolasse secondo si è per il passato praticato; poichè la stessa amministrazione non essendo compresa ne i dritti comunitativi, la Università per l'amministrazione istessa non restarebbe pregiudicata, ed i Capi di famiglia di S. Oliva sotto la guida, e censura dell' Ordinario amministrando il Luogo Pio, non avranno alcun motivo di cessare dalla loro antica pietà, e resteranno senza alcuna gelosia sempre più incoraggiti a procurare il di lui vantaggio. Ad effetto poi di evitare ulteriori riclami, e non ingolfarsi in qualche dispendioso litigio, crederei pure che a Conservatori di Ponte Corvo potesse accordarsi la sola nomina de' Procuratori col proporre la terna al Vescovo, il quale scelga uno de' nominati, che sia più adattato, e più intero per gl'interessi del Luogo Pio.*

In exercenda siquidem jurisdictione super rebus Ecclesiæ S. Rocci neque lædere ajunt Conservatores Pontis Curvi auctoritatem Episcopi, neque jus Hominum S. Olivæ. Non auctoritatem Episcopi, quia res est de pio opere laicali, ac de laicali facultate eligendi Capellanos, ac deputandi administratores. Pium enim laicale opus sub libera est laicorum administratione, licet post redditam interesse habentibus rationem, eam

administratores reddere etiam teneantur Episcopo ex Concilio *Tridentino sess.* 22. *cap.* 9. *de reform.* Neque jus Hominum S. Olivę; nam translata per rem judicatam illius Pagi administratione ad Communitatem Pontis Curvi, ad eam quoque cum aliis Oppidanorum juribus translatum censetur juspatronatus Ecclesiæ Sancti Rocci, quod publici S. Ulivæ Officiales exercebant, *Piton. de Controv. patron. allegat.* 79. *num.* 10.

Contendunt altera ex parte Homines S. Olivæ, juspatronatus per dotationem quæsitum, ad singulos uti singulos spectare Oppidanos dotantes, *Lambertin. de jurepatr. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. *per tot.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 100. *num.* 344., neque transferri idcirco potuisse ad Communitatem Pontis Curvi cum juribus Universitatis Pagi, cujus Officiales sive per usurpationem, sive per Oppidanorum conniventiam pium opus administrarunt. Maxime, quia res judicata administrationem respicit bonorum, & jurium temporalium, non item spiritualium, quorum in numero est juspatronatus *Suc. Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* Ponderosum accedit Episcopi monitum, quod facile Homines S. Olivæ ab ulterioribus cessarent oblationibus, si pii operis administratione privarentur. Num vero juxta ejus votum permitti saltem debeat Conservatoribus Pontis Curvi Procuratorum nominatio, in qua potissimum consistit jurispatronatus exercitium, EE. Vestræ decernent.

Respondere igitur placeat.

An, cui, & quomodo competat juspatronatus, & administratio in casu &c.

Juspatronatus, & administrationem competere solis Hominibus S. Olivæ.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Parochialis Ecclesia S. Petri Apostoli Carceniæ in Ripari S. Julii ob nimiam ejus paupertatem unita fuit labente sæculo decimo sexto Paræciæ loci Armeni. Eam deinde restitui curavit Joseph Mosca circa annum 1622., assignato capitali libellarum imperialium sex mille, seu scu-

scutorum 800. monetæ romanæ, annui fructus scutorum 56., cum onere tamen Missarum trium hebdomadalium in perpetuum, & *indendit quod in erectione dictæ Curæ ponatur hoc onus . . . . aliter quod præsens oblatio, & promissio sint nulla, & ipsis jure & facto omnia assignata & applicata revertantur ad ipsum Josephum, seu ejus heredes*. Redditæ insuper fuerunt novo Parocho primitiæ, quas in annuis circiter scutis quadraginta persolvebant Carcenienses Parocho Armeni post unionem, & sic certus pro illius congrua constitutus fuit reditus scutorum 96., seu scutorum 75., dempta secundum Novariensem Episcopum hebdomadalium Missarum eleemosyna in scutis 21. Nihili enim facienda sunt incerta, quæ unum & alterum attingunt scutum. Quum nostra autem ætate imminutæ sint primitiæ ad scuta 24., liberique idcirco reditus, dempto etiam onere Missarum pro Populo, in annuis tantum consistant scutis 51. juxta calculum Episcopi, nec satis hæc summa pro sua congrua videatur hodierno Carceniæ Parocho Alexandro Nobili, hic propterea EE. Vestris supplicat pro reductione Missarum Mosca ad unam hebdomadalem.

Instantiæ favet Episcopus. Præter imminutionem enim primitiarum, difficilem dicit exactionem fructuum capitalis Mosca, eo quod Carceniæ Communitas debitrix, quæ nec bona, nec reditus habet, *oneris præstationem unicuique familiæ pro rata distribuit, & imponit; atque egestas, quæ in universum Populo illi dominatur, persæpe in causa est, cur plures vel solvendo impares, vel tardi reperiantur*. Hac de re modicam nimis censet præsentem dotem pro legitima congrua Parochi, *nec satis inde provisum vel modicæ ejusdem sustentationi; attenta maxime hisce temporibus victualium caritate*; suumque votum in hæc aperit verba: *Petitæ reductionis causam urgentem, necessitati, qua nulla graviar, innixam subesse patet ex præmissis. Eamdem vero & æquitati, & ipsiusmet Institutoris voluntati consonam adserere non dubitaverim. Quod enim ipse liberalitatem tunc temporis exercuerit, quo scilicet Populus dilatam sibi Paræciæ separationem ob dotis deficientiam lugebat, quodque ad hoc dictam summam elargitus fuerit, ut Paræcia separaretur, hoc ipsum ostendit, eumdem potius de Rectoris sustentatione, quam*

de Missarum celebratione excogitasse, ita ut quantumvis integri remaneant reditus enunciati capitalis, potius oneris superimpositi reductionem, quam Parœciæ detrimentum maluerit. Porro rebus sic stantibus, prout sunt in præsentiarum, vereor, ne perdifficilis evadat talis Ecclesiæ provisio, si vacatio contingat; nam & Orator ejusdem dimissionem egestate pressus minitatur. Ad eum propterea casum res deveniret, quem pius Donator nec prævidisset, nec prævisum facile passus fuisset.

Qualis profecto ab initio fuit reditus capitalis Mosca, talis modo est, scutorum nempe 56., licet teste Episcopo, aliquantulum difficilis exactionis. Æque igitur par est, ac fuit oneri Missarum trium hebdomadalium; ideoque deneganda videretur reductio, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Derthonen. Absolutionis*, & *Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad* 1. *Dub.* Maxime, quia integrum Orator plures per annos, eodemque cum reditu adimplevit onus; nam acceptatio, & adimplementum difficiliorem reddit reductionem, ut *in Bononien. Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Crescitque difficultas ex voluntate Fundatoris, Quin ad majus enim respexerit commodum Parochi, adeo immo de præscriptis solititus fuit Missis, ut nullam in casu inadimplementi declaraverit assignationem dotis. Atque illud postremo notandum, quod reipsa Parochiæ reditus, comprehensa Missarum eleemosyna, annuam attingunt summam scutorum 96., ex quibus non incommode oppiduli Parochus vivere potest, ut hactenus vixit.

Aliter sentit Episcopus tum ob imminutos Parochiæ reditus absque culpa Oratoris, juxta decretum Sacræ Congregationis *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., & *Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., tum ob aucta rerum pretia, quæ justa reputari solent reductionis causa, ut *in Bracharen.* 11. *Septembris* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 373., & *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718., tum ob difficilem Parochiæ provisionem cum præsenti reditu, & onere, minitante Oratore illius dimissionem, *Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789. Favor accedit Parochiæ, cui in deterioribus ceteroquin circumstantiis EE. Vestræ indulserunt *in Spoletana* 18. *Decembris* 1790.

Quæ-

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, dummodo, quatenus augeantur reditus, augeatur proportionabiliter numerus Missarum; & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

FIRMANA MISSÆ CONVENTUALIS. Hoc ineunte sæculo instituit Alexander Laureatus cum onere residentiæ, & Missæ conventualis cum cantu ad instar Metropolitanæ Ecclesiæ Firmanæ simplicia Beneficia septem in Ecclesia SS. Sacramenti Montis Causarii, in qua tres erant Clerici nuncupati *de Choro* cum onere interessendi Choro diebus festis, Adventus, & Quadragesimæ, ac interveniendi Rogationibus. Omnia ista Beneficia translata deinde fuerunt ex decreto Sacræ hujus Congregationis ad Parochialem ejusdem Oppidi Ecclesiam S. Laurentii, & conversa tandem in canonicales, & beneficiales præbendas. Anno siquidem 1773. erexit Clemens XIV. Parochialem in Collegiatam insignem, constituitque Parochum in primam, & unicam Archipresbyteri Dignitatem cum annuo reditu ducatorum Cameræ 210., comprehensis distributionibus, & incertis, atque onere Curæ, & manutentionis duplicis Capellani curati *cum assignatione congruæ eorum cuilibet ex fructibus dictæ Parochialis Ecclesiæ in summa scutorum 60. annuatim*. Ex Beneficiis vero Laureati septem erexit Canonicatus, atque ex aliis Beneficiis octavum annui pro quolibet reditus ducatorum 40., comprehensis distributionibus, *pro totidem Clericis, seu Presbyteris, futuris dictæ Parochialis Ecclesiæ Canonicis*; addiditque quartum Beneficiatum chorale cum reditu ceteris pari ducatorum 10., *qui omnes apud dictam Ecclesiam residere, & in ea quotidie debitis temporibus horas canonicas diurnas pariter, & nocturnas, ac conventualem, seu majorem, aut alias Missas, ceteraque Divina Officia collegialiter recitare, decantare, & psallere tenentur*. Archipresbytero autem, & Canonicis facultatem tribuit condendi capitulares Constitutiones per Ordinarium approbandas; quas reipsa condiderunt anno 1779. cum approbatione Vicarii Capitulis Firmani; & ad rem *in cap. 1.* statuerunt, quod *singuli per turnum quotidie Missam conventualem celebrent; Dominicis tamen diebus, & Festis cancre tenen-*

Sess. 22. decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miss.

nentur ex decreto Archiepiscopi Borgia, & toto tempore Quadragesimæ ex mandato Vicarii Capitularis.

Ad formam hujusmodi Constitutionum unam tantum Capitulares celebrare consueverunt Missam conventualem diebus profestis; unam diebus Festis, & Quadragesimæ canere, iis etiam diebus, in quibus juxta Sacros Canones secunda, aut tertia præscribitur. In id vero turbati sunt ex recenti Sacræ Congregationis responso 20. Junii elapsi anni. Hodierno enim postulante Archiepiscopo Firmano in relatione status suæ Ecclesiæ, utrum in Collegiata Montis Causarii, aliisque ejus Diœcesis toleranda esset talis consuetudo, Sacra Congregatio respondit = *Tua postulatio Sacrorum Canonum sanctionibus, præsertim Constitutioni sa. me. Benedicti XIV.* Cum semper, *omnino congruit, a qua recedendum non est, nisi talis consuetudo sit, vel tale privilegium, ut Apostolica Sedes probarit. Quare Canonicis iis diem definies, intra quem aut privilegium suum exhibeant Concilio Tridentino posterius, aut consuetudinis obtineant a S. Sede adprobationem.* Præfixo igitur per Archiepiscopum singulis Collegiatis termino ad docendum de legitima consuetudine, vel privilegio, Sacram Congregationem adierunt Canonici Montis Causarii pro approbatione ipsorum observantiæ; & a suo Archiepiscopus abstinens voto, hæc de præsenti refert illorum reditu: *Patet, cuilibet Canonico, detractis oneribus, nummos 64. circiter obvenire. Ex tribus vero, qui nunc sunt chorales Clerici, unum viginti novem, alterum viginti octo, & tertium viginti tres circiter, demptis pariter oneribus lucrari. At illud certum est, hosce fructus in nummis centum pro singulis Canonicis, in quinquaginta vero pro quolibet ex Clericis brevi fore calculandos, si contractum emphyteusis, jam ab EE. Vestris approbatum, absolvent, prout erunt acturi Capitulares. Archipresbyter demum, cui est Animarum onus, longe majores habet fructus, etiam detractis oneribus, quam qui in Literis Apostolicis enunciantur. Præter enim incerta emolumenta, peculiares habet fundos, jureque pollet decimandi.*

Petitioni Oratorum quoad simplicem celebrationem Conventualis diebus profestis voluntas obest Alexandri Laureati fundatoris Beneficiorum, ex quibus erecti sunt canonicatus. Dum enim præscripsit Conventualem ad instar Metropolitanæ, eam voluisse censetur cur cantu, ut in Metropolitanis servatur. Atque obe

etia

etiam Clementina Bulla erectionis Collegiatæ, quæ hæc habet = *apud quam Parochialem Ecclesiam ad instar Metropolitanæ Ecclesiæ Firmanæ quotidie residere, & Missam conventualem CANERE tenentur*. Quo vero ad Conventualium numerum canonica adversatur dispositio, ex qua plures etiam juxta rubricam celebrandæ sunt in Cathedralibus, & Collegiatis, *Text. in cap. cum creatura de celebrat. Miss.*, *ibique Fagnan. n.3. ad 23.*, *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst.894. per tot.*, *Ceccoper. lucubr. can. lib.3. tit.4. num.32.*, *Benedict. XIV. in Constit. cum semper oblatas §.20.*, & *in Instit.107. §.2. num.13.*, & *Sacra hæc Congregatio in Mediolanen. Missæ Conventualis* 5. *Junii* 1779. Idque non obscure præscriptum legitur in Apostolicis ipsis Literis erectionis Collegiatæ verbis illis = *conventualem, seu majorem, aut ALIAS Missas decantare teneantur*.

Ex pluribus altera ex parte suam observantiam tuentur Oratores. Ex originaria scilicet Beneficiorum Laureati institutione cum onere, ut asserunt, unius Missæ conventualis: ex Constitutionibus Collegiatæ, quas juxta Apostolicum indultum cum approbatione Ordinarii condiderunt; nam unicam præseferunt conventualem ea *cap.* 1. verba = *singuli per turnum quotidie Missam conventualem celebrare tenentur*: ex qualitate canonicatuum, quos Clemens XIV. erexit *pro totidem Clericis, seu Presbyteris futuris dictæ Parochialis Ecclesiæ Canonicis*; sæpe enim inter Canonicos sunt Clerici, ut modo sunt duo, nec sustinere idcirco valent reliqui, quorum tenuis est numerus, plurium Missarum conventualium onus: atque ex reditu tandem, quem imparem dicunt oneri.

Ob graves quidem circumstantias indultum quandoque pro celebratione unius Missæ conventualis, ut *in Comen. Celebrationis Missarum* 23. *Aprilis* 1771. *ad* 1. *Dub.*; quandoque etiam concessa ob consuetudinem libera secundæ, & tertiæ Missæ applicatio, ut monet *Benedict. XIV. in citat. Constit. cum semper oblatas §.22.* Sed ponderare dignentur Emi Patres, num tales sint Oratorum circumstantiæ, ut unam, vel alteram gratiam mereantur. Quantum porro ad Oratorum reditus, quorum tenuitas ad reductionem etiam Missæ conventualis æstimari solet, ut *in Veliterna* 14. *Martii* ~~1722.~~ *ad* III. *Dub.*, & *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., notandum est cum Archiepiscopo, quod quisque Canonicus annua modo percipit scuta 64., & percepturus erit per emphyteusim bonorum Collegiatæ scuta centum

tum, quodque Archipresbyter *longe majores habet fructus, etiam detractis oneribus, quam qui in Literis Apostolicis enunciantur*. In hac namque Missæ conventualis materia erga illos adhibenda est indulgentia, quorum reditus annua non excedit scuta triginta, juxta casum decisum *in Spoletana* 23. *Junii* 1729. *ad* I., & II. *Dubium*.

Vestræ ergo proponitur deliberationi.

An, & quomodo sit celebranda Missa conventualis in casu &c.

Affirmative, ut in Metropolitana Cathedrali Firmana, & ad formam Constitutionis *Cum semper oblatas* san. mem. Benedicti XIV.

Sess.25. cap.4. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Instituit Scipio Pellegrini anno 1634. in abbatiali Collegiata Carrariæ capellaniam quotidiani Sacri ad Altare SS. Sacramenti, mandavitque, ut in chorali insuper veste assisteret Capellanus Divinis Officiis, nempe Tertiæ, Missæ solemni, & Vesperis cujusque diei festi; tribus ultimis diebus Hebdomadæ Sanctæ; Vesperis octavæ Corporis Christi; matutinis functionibus Cinerum, & Defunctorum; ac supplicationibus denique interveniret Rogationum. Pro omnibus autem hisce oneribus annuas assignavit januenses libellas 150., seu scuta circiter 23. romana, quæ modo etiam ex publico percipiuntur Ærario. Quolibet igitur die hodiernus Capellanus Franciscus Raggi obolos habet septem cum dimidio, licet ad taxam diœcesanam manualis eleemosyna Missæ obolorum sit novem, reditusque Canonicorum libellas attingat 281., seu scuta 43. 18.. Qua de re, quum de Altari, cui servit, honeste vivere nequeat, EE. VV. supplicat pro reductione quotidiani Sacri ad dies, quibus assistere tenetur Divinis Officiis, sacrisque aliis functionibus; ejusque instantiæ cum Capitulo favet Sarzanensis Episcopus.

Oratori imputandum videtur, quod assumpserit, & adimpleverit capellaniæ onera cum tenui stipendio scutorum 23.; nam difficile conceditur Missarum reductio post acceptationem, & adimplementum, ut *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790.. Maxime quia idem semper ab initio fuit reditus, nec unquam decessores Capellani onera adimplere detrectarunt. Ponderandum contra, quod summa scutorum

23. nec

23. nec par est oneri quotidianæ Missæ ; cujus manualis eleemosyna ad taxam diæcesanam obolorum novem scuta attingit 32. 40. , multoque minus multiplici assistentiæ Divinis officiis in chorali veste . Ubi enim emolumentum non respondet oneribus , etiam post acceptationem concedi solet reductio , ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778. . Quatenus vero indulgendum sit Oratori pro reductione in genere , deliberare insuper dignentur EE. Vestræ , num reliqua potius reducenda sint onera , quam Missæ , ut *in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1791. , & num satis sit hujusmodi reductio , deficiente adhuc Missæ quotidianæ manuali . Hac sane de causa proponit , probatque Episcopus reductionem Missarum ad dies assistentiæ Divinis officiis , ut servata ad reditum æqualitate , utrumque onus meliori , quo potest modo adimpleatur. Dubium est ,

An , & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

FAVENTINA VACATIONUM . Collegiata S. Michaelis Brixichellæ , jamdiu *a Clemente* VIII. erecta , constat nunc ex Præposito , Archipresbytero , & Canonicis decem . Præpositus juxta Bullam erectionis præest *in Choro , Capitulo , Processionibus , & aliis actibus etiam capitularibus dictæ Collegiatæ Ecclesiæ tamquam illius caput* . Archipresbyter curam habet Animarum . Canonici tenentur *una cum Præposito , & Archipresbytero . . . singulis diebus Horas canonicas diurnas pariter & nocturnas , aliaque Divina officia in ipsa Collegiata Ecclesia . . . recitare , & celebrare , illisque interesse, ac alias eidem Collegiatæ Ecclesiæ in Divinis laudabiliter deservire* . Vacationes hactenus habuerunt Capitulares dierum triginta sex , quin de initio constet hujusce consuetudinis ; nam Faventino Episcopo teste , *Constitutiones pro hac Collegiata vel numquam factæ fuerunt, vel temporis injuria perditæ , memoria excesserunt* . Ut Faventino igitur , ceterisque æquarentur Diæcesis Capitulis, EE. Vestris supplicarunt pro conciliaribus trium mensium vacationibus ; & in compensationem hujusmodi indulti polliciti sunt sub punctaturarum pœna sacris interesse concionibus Quadragesimæ , & Adventus , publicisque Supplicationibus : Psalmos recitare graduales , & pœnitentiales , Officiumque B. M. Virginis , & Defunctorum ; aliasque omnes explere ecclesiasticas

Ses. 24. cap. 12. de Reform.

sticas functiones, ad quas ex Bulla erectionis Collegiatæ juxta Episcopum non tenentur, ita ut *frequenter major eorum numerus absit, & ecclesiasticæ functiones minus decenter habeantur, aliqualeque scandalum in Populo oriatur*. Qua de re Episcopus ipse favet instantiæ.

De tempore non constat, a quo in brixichellensi Collegiata vacationes inceperint dierum triginta sex, ac probabile est, ortam fuisse consuetudinem cum ipsamet Collegiata. Oratorum igitur petitioni Sacrum obstat *Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformat.*, nam in trimestribus concedendis vacationibus Constitutiones excipit, & juxta intelligentiam Canonistarum, consuetudines etiam, *quæ longius servitii tempus requirunt*. Ex rationabili quidem causa, ob insalubritatem præsertim aeris, indulgens quandoque in id fuit Sacra hęc Congregatio, ut *in Arianen. 24. Novembris 1699. lib. Decret. 49. terg., in Isernien. 26. Junii 1723., in Vercellen. Servitii Chori 19. Junii 1790., & in Plocen. Servitii Chori 19. Februarii 1791.* Ponderandum tamen, num talis in nostro themate concurrat causa, ut eadem adhibenda sit indulgentia.

Multum ex una parte per flagitatum vacationum augmentum non detraheretur servitio Ecclesię, si caveretur, ne major Canonicorum pars eodem abesset tempore, ut in *Auximana 12. Julii 1631. lib. Decret. 14. pag. 467.* Non parum ex altera per oblatas functiones, & Officia Divinus augeretur cultus, si verum esset, quod ad ea Canonici non teneantur. At de hac dubitandum obligatione ex Bulla erectionis Collegiatę; nam ubi tribuitur Præposito præcedentia, mentio fit de *supplicationibus*; & in designandis Capitularium oneribus, indefinite præscribitur, ut pręter Horas Canonicas, teneantur *alia Divina Officia in ipsa Collegiata Ecclesia recitare, & celebrare, illisque interesse, ac alias eidem Collegiatæ Ecclesiæ in Divinis laudabiliter deservire.* Imposita non est in casu omissionis punctaturarum pœna; sed haud ex hoc negligere licet contra Bullam erectionis Divina Officia, & Functiones Ecclesiæ; aliisque canonicis pœnis ad illa compelli possent Capitulares: quibus fortasse ob diversam ipsorum consuetudinem nec prodesse valent aliorum Capitulorum exempla, secundum *Tondut. de prævent. part. 1. cap. 30. num. 93., & quæst. civil. part. 1. cap. 56. num. 1. & 2.*

In quæstionem igitur venit.

An, & quomodo sit concedendum indultum vacationum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 14. *Decembris* 1793. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni in casu &c.

Affirmative juxta votum Epiſcopi.

FAVENTINA VACATIONUM. *Sess.24.cap.12 de Reform.*

An, & quomodo ſit concedendum indultum vacationum in casu &c.

Negative, & ſervetur ſolitum.

JANUEN. IRREGULARITATIS. Hujus Causæ ſpecies eſt in Folio dici 20. elapſi Aprilis. Ad Dubium vero, *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro dispenſatione*, in ſequenti propoſitum Congregatione 11. Maii, reſcripſerunt EE. Veſtræ, *Aboleto præcepto de ſe repræſentando, recurrat*. Licet namque Clericus Andreas Marenco a casuali abſolutus fuiſſet *Sess.14. cap.7. de Reform.*

homicidio, clausula tamen, *præstita fidejussione de se personaliter præsentando novis supervenientibus indiciis*, absolutoriæ addita, adhuc eum Fisco obnoxium reddebat. Docet modo Clericus de abolitione præcepti per hoc Archiepiscopalis Curiæ Januensis decretum, *Attento diuturno lapsu temporis a die sententiæ, attentoque nullam adesse verisimiliter spem, quod nova possint acquiri indicia contra dictum Clericum Marenco, mandavit & mandat, aboleri a dicta sententia præceptum in ea factum dicto Clerico Marenco de se repræsentando novis supervenientibus indiciis, illudque haberi debere, ac si in eadem sententia appositum non fuisset*; iterumque propterea quæritur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Affirmative.

Sess.21.cap.2. & sess.23.cap. 12. & 16. de Reformat.

ASCULANA ORDINATIONIS: Ad originarium hujus Causæ Dubium, *An Subdiaconus Aloysius Ciannavei sit promovendus ad Sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines*, rescripserunt EE. Vestræ die 21. Aprilis elapsi anni 1792. = *Recurrat humiliter ad suum Ordinarium*. Asculano interim defuncto Episcopo, congruum aliud propositum fuit Dubium, *An Vicario capitulari dandum sit indultum relaxandi Dimissorias pro Diaconatu favore Subdiaconi Aloysii Ciannavei*, prodiitque die 15. elapsi Junii rescriptum= *Expectet*. Renovat nunc Subdiaconus preces; ejusque favore hæc habet Vicarius Capitularis = *Orator alia præbuit exemplaritatis monumenta Sacramentorum frequentia, Sacris recollectionibus ad duas vices vacando, nec non bonorum hominum familiaritate utendo; idque ex trium Parochorum novo testimonio, aliorumque attestatione compertum mihi est. Orator Missarum oneribus premitur a Beneficio, quo fruitur: decem sunt anni, in quibus a Diaconatu arcetur: tertiarium habitum ad tres annos Recineti inter Minores*

Ob-

Observantes exemplariter detulit. Quibus positis, eo quo pollent sublimi judicio videant Emi Patres, an annuendum Oratoris precibus, ut videtur.

Reproponitur itaque Dubium.

An Vicario Capitulari dandum sit indultum relaxandi Dimissorias pro Diaconatu favore Subdiaconi Aloysii Ciannavei in casu &c.

Affirmative.

LEODIEN. DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS. Joannes Joseph Tasset, qui secundum baptismalem codicem naturalis est filius Mariæ Tasset, & Petri Brune, dispensationem postulat nubendi Deodatæ Brune legitimæ ejusdem Petri filiæ, cum qua binos genuit filios. Quæ in id coram Ordinario acta sunt, Leodiensis refert Vicarius Generalis in hæc verba = *Quum pluribus ab hinc annis Parochus præfatorum ad matrimonium aspirantium Nobis exposuisset, eosdem juxta tenorem libri Baptizatorum suæ Parochiæ, famamque in tota Parochia, & locis vicinis publicè vulgatam, pro fratre, & sorore haberi: quumque ex adverso varia allegata fuissent, quibus Oratores inscriptionem libri Baptizatorum, famamque publicam, quas denegare non poterant, saltem falsas & erroneas esse ostenderent; inspecta prius & verificata a Nobis præfata inscriptione libri baptismalis in Aula synodali a Paroco depositi, omnia & singula ab Oratoribus allegata, sedulo perpensa & mature examinata fuerunt, & a vero prorsus aliena & conficta inventa sunt. Deinquum iidem Oratores plures produxissent declarationes coram Notariis & Testibus successive à Maria Tasset matre dicti Oratoris prætensive factas; & quæ ferebant, nullum unquam inter dictam Mariam Tasset, & Petrum Brune patrem dictæ Deodatæ habitum fuisse carnale commercium, rite examinatis in plena Synodo Notariis illis, fidei aliunde parum probatæ, & Testibus, qui istas declarationes receperant, satis superque*

Sess. 24. cap. 3. de Reform. matrim.

perque intelleximus, subornatas fuisse mulierculas quasdam, quæ ignotæ Notariis, nomen & personam fatæ Mariæ Tasset ementitæ, dictas declarationes dederunt; & hanc fraudem unus ex Testibus prædictis in eadem Synodo verbis rotundis palam confessus est.

Sed ne minimus dubitandi locus superesse posset, prædicta Maria Tasset mater Oratoris una cum filio suo ad comparendum coram Nobis in Aula, & Congregatione synodali citata, & de facto comparens, & circa assertas, & reproductas declarationes debite interrogata, penitus denegavit in præsentia dicti Filii sui, se unquam similem dedisse declarationem; & e contra constantissime asseveravit, se prædictum Joannem Josephum Tasset ex facto dicti Petri Brune tunc liberi & soluti enixam fuisse, atque ab illo dicto Brune, qui postmodum aliam ducere volebat, ut impedimento ad onus dicti Petri Brune apposito resiliret, summam pecuniæ recepisse; hæcque tot & talibus vestiebat circumstantiis, ut nullum circa veritatem assertorum remaneret dubium. His tamen non obstantibus, quum a proposito minime desisterent Oratores, nullum non movebant lapidem, ut voti fierent compotes: quare exortis in hac patria circa finem anni 1789. primæ revolutionis turbis, usque eo recruduerunt eorum machinationes, ut nonnullos ex antesignanis dictæ revolutionis sic devinxerint partibus suis, ut hi Aulam & Congregationem synodalem ingressi, Oratorum postulata, vel super asserta consanguinitate dispensationem minacibus verbis potius imperare, quam solicitare viderentur, & a quibus Synodus non aliter, quam Oratores Romam remittendo, potuit sese liberare.

Ex accurata ista Leodiensis Synodi inquisitione nec leviter dubitandum videtur de consanguinitate Joannis Josephi Tasset, & Deodatæ Brune in primo laterali gradu. Quærendum itaque de dispensatione. In primo sane rectæ lineæ gradu permittere nequit Summus Pontifex matrimonium; quum inter patrem & filiam, matrem & filium prohibitæ sint nuptiæ de jure naturæ, de quo *Paulus Apostolus ad Romanos* 1. & 2. At controversia est, num eadem obstet naturalis lex quo ad conjunctos in primo laterali, fratres nempe & sorores. Affirmant *Sot. in* 4. *distinct.* 40. *quæst. unic. art.* 2., *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 52. *num.* 11., *de Just. de dispensat. matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 67., *Si-*

Sibil. de grad. consanguin. part. 1. cap. 1. §. 1. disput. 1. pag. 26. Negant *D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. *ad* 3., *& in distinct.* 40. *quæst. unic. art.* 3., *Pont. de matrim. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 3., *Clericat. eod. tract. decis.* 22. *num.* 28. *& seqq.* Affirmativam vero sententiam tenuisse videntur Summi Pontifices, dum nunquam hactenus dispensarunt super primo consanguinitatis grada in linea laterali. Hujusmodi immo dispensationem denegavit *Clemens VII.* inter Ducem de Richemont naturalem filium, & Mariam legitimam filiam *Henrici VIII.* Anglorum Regis, teste *Varillas Istor. dell'Eresia tom.* 4. *lib.* 9. Culpatur quidem ab hæreticis *Martinus V.* permissi inter fratrem germanamque sororem matrimonii; sed eum ab hac vindicat impostura *Natal. Alex. Histor. eccles. sæcul.* 15. & 16. *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 6. *pag.* 34. *& seq.*, qui *ibid. art.* 7. *pag.* 68. falsam etiam demonstrat dispensationem *Calisti III.*, ex qua *Comes Armaniacus* post expressam illius Pontificis repulsam germanæ nupsit sorori.

Gravis contra notanda est in nostro themate circumstantia duplicis filii per Josephum Tasset ex Theodora Brune suscepti. Valde siquidem dubitandum, quin incestuosam continuet, nefariamque consuetudinem cum æterna Animæ suæ, & sororis perditione. Adeo enim fervet utriusque concupiscentia, ut ad palliandum saltem incestum, turpissima etiam tentaverint sponsandi media. Ponderandum tamen, num justa hæc sit causa inducendi novum dispensationis exemplum, sequendo scilicet sententiam *Divi Thomæ* de non resistente jure naturæ.

Quæritur itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super primo consanguinitatis gradu in linea laterali in casu &c.

Negative,

CA-

Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celebrat. Miss.

CAMERINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Constat insignis Collegiata Trejæ ex Archipresbytero, qui curam habet Animarum; Canonicis tresdecim, sex nempe de Capitulo veteri, duobus adjunctis, quatuor de jurepatronatus, & uno recenter superaddito; duobus Mansionariis, & Vicario Curato: pluraque in ejus Ecclesia sunt simplicia Beneficia, & Capellaniæ cum respectivo Missarum onere. Annua Archipresbyter percipit scuta circiter 96. Singuli veteris Capituli Canonici scuta 56. Primus ex adjunctis 35., secundus 42. Unus ex illis de jurepatronatus scuta 26., alter 35., tertius 10., quartus 39. Et Canonicus novissime superadditus scuta 60., quotidianis in cujusque reditu comprehensis distributionibus. Mansionarii tandem scuta percipiunt 12. pro quolibet; & Vicarius curatus 51.

Præter simplices, easque millenas Missas, celebrant quotannis Canonici alias 224. cum cantu tum ex oneribus Canonicatuum, cum ex consuetudine in nonnullis Sanctorum festivitatibus, adventitiis eleemosynis pro Animabus purgantibus, pluribusque Officiis sibi commissis a Sodalitiis quinque Civitatis, quorum tria in ipsa erecta sunt Collegiata. Hac vel alia, de causa impetrarunt anno 1713. a Sacra ista Congregatione reductionem Missæ conventualis ad dies festos, & ad nostram usque ætatem usi sunt gratia. Quum nuper vero eos obligaverit Camerinensis Archiepiscopus ad quotidianam ejusdem Missæ applicationem juxta Encyclicam *cum semper oblatas* Benedicti XIV., supplicant idcirco EE. Vestris pro confirmatione rescripti anni 1713. Quatenus contra reiiciatur instantia, decreto suo addendam censet Archiepiscopus legem, *ut pro rata redituum a me taxanda quilibet prædictorum Capitularium solvere teneatur elemosynas Missarum diebus non festivis ut supra applicandarum*.

Ex duplici ratione confirmandum censent Canonici rescriptum anni 1713., ob tenuitatem scilicet redituum, & grave onus aliarum Missarum cum cantu. Ob tenues sane reditus reduxit Sacra Congregatio conventualem ad dies festos *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *& in Placentina* 30. *Julii* 1785. Hanc etiam mereri posset indulgentiam secunda aliorum onerum ra-

ratio, ne pluribus Canonici graventur quotidianis Missis cum cantu. Maxime, quia expresse Benedictus XIV. non retractavit privilegia, & indulta levioris applicationis Missæ conventualis diebus tantum festis, eaque idcirco, servasse videtur, secundum *Felin. in cap.* 1. *num.* 19. *de constit.*

Notandum altera ex parte, cujusque Canonici reditus, si unum & alterum de jurepatronatus excipias, annua excedere scuta triginta, summam nempe, quam Sacra Congregatio ad concedendam reductionem conventualis existimare solet tenuem, ut *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. Dub.*, & *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751. Onus insuper aliarum Missarum cum cantu (quod pro Animabus purgantibus, Officiisque Societatum dici potest voluntarium) nec justam fortasse præbet causam reductionis Missæ conventualis; nam de quotidiana hujus Missæ celebratione in Benedictina cavetur Encyclica, non obstante aliarum Missarum onere, ut *in ejus* §§. 16. & 17. Et amplissimæ tandem ejusdem Encyclicæ clausulæ, cujuscumque consuetudinis abrogatoriæ, ipsa etiam afficiunt privilegia, juxta *Pignatel. consult.* 132. *num.* 7. *tom.* 10., & *Sac. Congregat. in Bononien. Missæ Conventualis* 15. *Decembris elapsi anni* 1792. Quatenus autem ex his confirmandum potius sit factum Archiepiscopi, deliberare etiam dignentur Eminentissimi Patres de modo per ipsum proposito, quod æqualitatem respicit oneris diebus profestis adimplendi.

Dubium est.

An, & quomodo sit celebranda Missa conventualis in casu &c.

Affirmative ad formam rescripti 1713.

Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celebrat. Miss.

FOROSEMPRONIEN. In pedes ex maligno cancbero a septennio consistere nequit Sacerdos Carolus Ascanj Plebanus S. Viti, eodemque a tempore celebratione abstinet Missæ. Præ nimia modo rei familiaris angustia indultum pustulat celebrandi submissis genibus, eique Forosemproniensis favet Episcopus. Valde sibi gravem fuisse ait illius morbum ob utilem operam, quam in parochiali munere valens præstabat, seque ejus quoque angustæ rei familiaris miserari. De expleto vero Oratoris celebrantis experimento hæc refert: *Quum jussu meo Presbyter sacrarum cæremoniarum gnarus periculum fecerit ejusdem juxta sententiam Consessus Vestri, testatus est mihi, fore ut nihil dedecoris in rem Divinam, & nihil scandali in Populum profecturum sit, si ex auctoritate Vestra sinatur ipse operari publice Sacris in Templo, provolutus in genua.* Ad majorem de cetero cautelam proponit, *ut ei sacrificanti alter Presbyter assistat.*

Erudite probat *Benedictus XIV. in epistola ad Apostolicum cæremoniarum magistrum Reali*, de qua *in appendic. ad tom.* IV. *ejus Bullarii Venetiis impressi pag.* 267. §. 10. 17. & 23., concedi per Summum Pontificem posse impedito Sacerdoti indultum celebrandi Missam sedendo, excepto Canone; in Oratorio tamen privato, & cum assistentia alterius Sacerdotis, vel Diaconi: idque confirmat exemplis. Podagra siquidem laborans Joannes Renna Algeriensis Episcopus, ad Sedem deinde novæ Pampelonis translatus, facultatem a Paulo III. obtinuit celebrandi Missam sedendo in sella, eo artificio confecta, ut illi insidens stare videretur. Similem Sanctus Pius V. concessit licentiam podagrico pariter Cardinali Francisco Ferrerio. Aliique sanctioris vitæ eadem usi fuerunt facultate, ut idem refert *Benedictus XIV. loc. cit.* §§. 26. 28. & 29. Ex his tamen exemplis notat, concedi consuevisse hujusmodi indultum spectabilioribus dumtaxat Ecclesiasticis, & Episcopis sanctitate præclaris.

Sua autem prudentia judicent Emi Patres, num talem etiam mereatur gratiam Orator, qui testimonio Episcopi, spectabilis saltem est Parochus, & gravi laborat paupertate. Ei forsan obest propositus celebrandi modus flexis genibus, quum non sine adstantium admi-

mi-

miratione submittere deberet genua in scamnum proportionatum Altari : nisi ad exemplum Episcopi Renna ita scamnum componeret , ut stare videretur , & absque periculo Sacrificium expleret . Parum enim a sedendo distat genuum submissio ; immo decentior est , præsertim in Canone . Quatenus vero EE. Vestræ indulgendum censeant Oratori , ponderare eriam dignentur , num permittenda sit celebratio in Oratorio privato , & cum assistentia alterius Sacerdotis , vel Diaconi juxta sententiam *Benedicti XIV.* ; aut in publica potius Ecclesia , in qua ex facto experimento *nihil dedecoris in rem Divinam , & nihil scandali in Populum profecturum erit* , secundum votum Episcopi .

Deliberent itaque ,

An , & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro indulto celebrandi Missam in casu &c.

Negative .

NOVARIEN. TRANSLATIONIS , ET REDUCTIONIS MISSARUM . Binæ olim in Caltiniacensi Castro erant Parochiæ , una sub titulo S. Lupi , altera B. Virginis in Cœlum assumptæ . Suppressa fuit anno 1780. auctoritate Apostolica illa S. Lupi , ejusque reditus applicati fuerunt Congregationi Oblatorum Novariæ ; & unica ab eo tempore ob aliorum Sacerdotum defectum celebrata est Missa in parochiali Ecclesia Assumptæ . Ad proprium modo , & Caltiniacensium commodum soliciti sunt Condomini Castri de secunda Missa in altera suppressæ Parochiæ Ecclesia ; ideoque de consensu Congregationis Oblatorum translationem postulant ab illius Ecclesia Missæ quotidianæ , pro qua ipsi ex legato Francisci Caccia , per Catharinam Caccia Francia illius sororem confirmato , annuas eidem Congregationi solvunt mediolanenses libellas 364. , seu sc. 48. 54. monetæ romanæ (Arbitrium heredibus de-

Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.

dit Testator adimplendi legatum *o nella Chiesa di S. Giacomo, o nella Chiesa del Convento di S. Francesco di questa Città*, nec constat, cur illud Oratores adimpleant in Ecclesia Oblatorum, cui titulus est SS. Gaudentii, & Caroli). Quoniam alii vero, præter Parochum Assumptæ, Caltiniacæ non sunt Sacerdotes, qui transferendum adimplere valeant legatum, & difficile illuc e Novaria per quartum & ultra lapidem celebraturus accederet Sacerdos cum simplici eleemosyna manuali, quæ ibi est obolorum 13., petunt insuper Condomini reductionem Missæ quotidianæ ad dies festos.

Translationem probat Novariensis Episcopus, eo quod *Missæ parochiali non omnes de Populo possunt simul adesse; quapropter, ut plures vicinas Parœcias adire cogantur non sine aliquali incommodo, hiemali præsertim tempore*. Non satis ea arridet Parocho Caltiniacæ, *quippe veretur, ne alterius Missæ commodum Parochianis occasionem præstet declinandi a verbi Dei auditione*; sed notat Episcopus, quod huic malo *boni cujuslibet Pastoris vigilantia, & charitas facile occurrere valet, prout videre est ubicumque copia est Sacerdotum*, & adhuc propterea *optandum, quod ab Oratoribus proponitur*, secunda scilicet Missa; quamvis de justitia dubitans translationis addat: *utinam & æque laudandum remedium quod proferunt*. Eodem Episcopo teste, sepulta non sunt in Ecclesia S. Lupi cadavera Testatoris, ejusque Sororis: sed num in altera sint Oblatorum, ignoratur. Posita autem translatione, impossibilem Is censet adimplementum integri Missarum numeri; *quoniam unicuique Missæ respondet tantum simplex eleemosyna manualis, unius nempe julini cum alterius tertia parte. Nullus, uti ajebam, Caltiniacæ est Sacerdos, nec quisquam illuc celebraturus accederet, nisi julios sex ad minus pro singula Missa consequi posset*. Atque in hæc concludit verba: *Oratorum porro, Populique utilitati, & commodo optime consuleret proposita reductio. Num vero hæc satis justitiæ consona haberi possit, supremis EE. Vestrarum suffragiis definiendum humiliter remitto*.

Institutionem secundæ Missæ in Castro Caltiniacæ impedire posset rationabilis contradictio Parochi, ne ab expositione Evangelii avertantur Parochiani. At huic diffi-

difficultati occurrit Episcopus, quum non omnes simul Caltiniacenses, familiaribus curis detenti, assistere valeant Missæ parochiali, & cum gravi propterea incommodo, hiemali præsertim tempore, vicinas adire cogantur parochiales Ecclesias, ut Sacrificio assistant. Qua de re cum ipso Episcopo forsan *optandum, quod ab Oratoribus proponitur*. Præsertim si concedatur ad formam Constitutionis *Cum semper oblatas* Benedicti XIV., in qua præscribitur celebranti Evangelii expositio, & christianæ Doctrinæ instructio. Difficultas est circa modum. Principaliter enim secunda Missa commodum respicit Oratorum, qui ut inferri licet ex condominio Castri, nobiles sunt, & divites. Nulla ergo videtur ratio, cur instituenda potius non sit ipsorum ære, quam per translationem alterius Missæ. Ceterum impedimento non esset hujusmodi translationi qualitas Ecclesiæ, a qua fieri deberet, quum non constet, quod sit Ecclesia tumulans, ex qua difficilius permittitur secundum *Ricc. in prax. part.* 4. *resolut.* 69., & decretum Sacræ Congregationis *in Lucana* 28. *Julii* 1781. neque a Testatore designata, quæ erat illa S. Jacobi, vel S. Francisci. Consensus accedit Congregationis Oblatorum, cujus interest, ne fiat translatio. Illudque etiam notandum, quod unius quotidianæ missæ defectus in una ex pluribus Ecclesiis Civitatis Novariæ nullius fortasse incommodi esset Novariensibus, maximumque Caltiniacensibus afferret commodum illius celebratio in eorum Castro, in quo unicum celebratur Sacrum. In his sane terminis utilem censet translationem *Amost. de caus. piis lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 32. Translationis vero difficultatem auget Missarum reductio, quæ illam necessario sequeretur. Duo sane per *Sacr. Concil. Tridentinum in sess.* 25. *cap.* 4. *de reform.* designantur reductionis casus, quod tam magnus nempe in aliqua Ecclesia sit Missarum numerus, ut nequeat adimpleri; quodque adeo tenuis sit eleemosyna, ut difficile inveniatur, qui Missas celebrare velit. Ex hoc igitur ponderare dignentur Emi Patres, num permitti debeat reductio in non scripto parandi commodi casu; eaque in notabili Missarum numero, ut ex rationibus per Episcopum allatis opus esset. Majus enim Condominorum, Populique Caltiniacæ commodum, magnum

Ani

Animæ Testatoris afferret incommodum, dum pluribus eam suffragiis privaret reductio contra *Text. in cap. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. . Notandum etiam, quod præscripsit Testator tot capitalium assignationem, *che sian sufficienti per una Messa quolidiana*. Ob non factam enim hujusmodi assignationem, supplendum fortasse esset per Oratores, quod pro celebratione Missæ in Castro Caltiniacæ ultra summam scutorum 48. 54. requiritur. Rationabilem contra præbere posset reductionis causam necessitas, in qua essent Caltiniacenses adeundi vicinas Paræcias, ut assisterent Sacro, si celebrationem continuarent Oratores in Ecclesia Oblatorum cum assueta eleemosyna scutorum 48. 54.

Quæritur itaque.

I. *An sit locus translationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo si locus illarum reductioni in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

CAMERINEN. ABOLITIONIS LEGATI MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. Novit superiore anno 1792. Maria Barlesi ex domesticis commentariis, familiam Stephani Antonii Barlesi defuncti ejus viri annuo gravari onere Missarum quindecim ex legato Victoriæ Onofri (quod à remotiori celebrationis tempore relictum infertur anno 1696.) diversisque temporibus celebratas fuisse Missas 735. Sex igitur filiis, miseriisque pressa, EE. Vestris supplicavit pro abolitione hujusce legati quoad futurum, & absolutione quoad præteritum. Ad mensem enim Maii ejusdem anni celebrari debuissent Missæ 1410., & sic deficiebant 675. Omnibus autem de mandato Vestro adhibitis diligentiis, neque in Archiviis, neque in actis sacrarum Visitationum, vel Tabellis Ecclesiarum Caldarolæ Oratricis patriæ, finl-

timi-

timique Castri Morici inventum est testamentum leganti, vel publicum aliud legati monumentum. At secundum privata illa commentaria, nulli celebratio addicta est Ecclesiæ; legatique fundus alienatus creditur ab Avo Stephani Antonii Barlesi. Hæc refert Camerinensis Archiepiscopus ex ore Vicarii Foranei Calderolæ, qui ex incerto relicti legati tempore, incertaque assignatione fundi, & paupertate, bonaque Oratricis fide dignam eam censet commiseratione.

licet deficiat testamentum, omneque aliud publicum monumentum, ex quibus desumi solet probatio legati per *Text. in cap. porro de privileg.*, *Garz. de benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 22., *& Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 4., satis tamen in nostro themate videntur commentaria obligati, quæ plenam contra ipsum, ejusque heredes constituunt probationem, ex *Leg. generaliter Cod. de non numer. pecun.*, *& Leg. quædam* §. *Nummularios ff. de eden.* Attenta potissimum centenaria fere legati exequutione, licet per culpabilem fortasse intermissionem Missarum interruptam. Ex diuturna enim observantia fidem acquirit illegalis scriptura, *Gen. de script. priv. libr. primo quæst.* 4. *numer.* 70. Facile propterea ex capite incertitudinis annuendum non videretur pro abolitione legati. Altera in id urgere posset ratio deficientis fundi juxta *Monacell. formul.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25. Sed ex adimplemento legati probabilis evadit opinio, quod illum possederit, & vendiderit Avus Stephani Antonii Barlesi, ita ut supplere teneantur ejus descendentes, qui mediati præsumuntur heredes. Oratrici tandem favet paupertas, nisi cum ea compatibilis censeatur tenuitas legati Missarum quindecim in singulos annos. Non raro enim Sacra hæc Congregatio per reductionem saltem Missarum pauperibus indulsit, ut *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 20. *Januarii* 1776., *& in Nucerina* 5. *Septembris* 1778.

Hæc quo ad futurum. Quo vero ad præteritum, absolutionem forsan impedit filiorum Oratricis hereditaria qualitas, quæ in ipsis uti descendentibus omittentium celebrationem Missarum præsumitur. Hoc enim

enim nomine supplere forsan tenentur, quod ii neglexerunt. Veniam altera ex parte mereri videntur præ paupertate, ob quam sunt absolutionis exempla *in Siracusana* 7. *Februarii* 1705. *lib. Decret.* 55. *fol.* 44., *& in Romana Oneris Missarum* 11. *Maji* 1709. *ad IV. Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146.

Deliberandum igitur.

I. *An sit locus abolitioni oneris Missarum quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

INDEX

RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1793.

A

ALienatio Locorum MM. Capellaniarum Boncompagni, ad effectum inveſtiendi pretium in cenſibus cum Locis piis, vel Communitatibus Status Eccleſiaſtici in majus Capellanorum compendium, prohibetur *in Bononien. Alienationis* 15. *Junii pag.*127.

Vid. Emphyteuſis.

Applicatio hereditatis Lunardini denegatur Communitati Longiani in augmentum mercedis publici præceptoris, & nobilibus viris de Turre, & Salvolini nepotibus Corneliæ Lunardini heredis uſufructuariæ, eamque applicandam eſſe decernitur poſt obitum uſufructuariæ in celebrationem Miſſarum ad formam teſtamenti, *in Cæſenaten. Applicationis Hereditatis* 23. *Februarii pag* 31.

Similis applicatio hereditatis Mariæ Nicolaæ Cenſori, in celebrationem Miſſarum deſtinatæ, denegatur pauperi Aloyſio Amati Teſtatricis conſanguineo, qui legatum habuit ex teſtamento, *Firmana Commutationis voluntatis* 23. *Februarii pag.* 37. *ad I. Dubium*.

Ad ſecundum Dub. vero, num Capellania, quam Sacra Congregatio ad preces Venancii Bidini Cenſoriæ viri erigi permiſit ex bonis ejus, & uxoris, licet in reciproco teſtamento eroganda eſſent in celebrationem Miſſarum, num erigi ſcilicet deberet ex bonis dumtaxat uxoris, ſalvo uſufructu viri, eique relicta libertate variandi ſuam diſpoſitionem, prodiit in ſubſequenti Congregatione reſcriptum, *Negative, & ſervandam eſſe diſpoſitionem Cenſorj ad formam teſtamenti, in eadem Firmana Commutationis Voluntatis* 20. *Aprilis pag.*34.

Applicantur fabricæ Eccleſiæ SS. Petri & Pauli Montis Ulmi ex ſecunda ceſſione Archipresbyteri Paſchali reditus ejus Archipresbyteratus, & Capellaniæ Sanctæ Mariæ de Paradiſo ab ipſo poſſeſſæ, neglecta prima ceſſione per eumdem facta favore alterius Eccleſiæ Sancti Donati ante ejus unionem dictæ Eccleſiæ SS. Petri & Pauli, *Firmana* 16. *Martii pag.*49.

Applicatio. Vid. Capellania.

B

BEneficiato Collegiatæ Montis Leonis onus eſſe decernitur hebdomadalium Miſſarum trium, & aſſiſtendi Parocho in ſacris functionibus juxta antiqua documenta & teſtes, licet deficiat fundatio Beneficii, *Civitatis Plebis* 11. *Maii pag.*113. *ad I. Dubium*.

Ei vero ob tenuitatem reditus conceditur Miſſarum reductio ad taxam perpetuæ, ſublato onere aſſiſtendi Parocho, *ibid. ad II. Dubium*.

Beneficium erectum in Cathedrali Lucenſi ſub titulo S. Hieronymi, de conſenſu Congregationis Matris Dei patronæ unitur cum omnibus oneribus domui Mulierum pœnitentium Lucæ ob gravem ejus paupertatem, *Lucana Unionis Beneficii* 16. *Martii pag.*47.

Beneficium erectum in Eccleſia S. Joſephi oppidi Appiceani, impetratum per Clericum Antonium Galanti uti devolutum ad S. Sedem ob non factam a Patronis laicis nominationem intra quatrimeſtre, addicitur impetratori per declarationem expirati quatrimeſtris de tempore impetrationis, *Aſculana Beneficii* 17. *Auguſti pag.*211.

C

CAnonicatum deſignatum in communi teſtamento Sanctæ Verri, ejuſque filiorum Canonici Angeli, & Franciſcæ Antoniæ Piermartini, erigendum eſſe reſcribitur in Collegiata S. Mariæ de Miſericordia oppidi Belviderii juxta votum Eminentiſſimi Archipresbyteri Baſilicæ Lateranenſis, ad formam nempe noviſſimi teſtamenti Canonici Angeli, qui illius fundum auxit, abſque conditionibus volitis per

Capitulum Collegiatæ ex teſtamento Verri, *Senogallien. Canonicatus* 11. *Maii pag.* 96. *ad I. Dubium*.

Et inſtitutionem dandam eſſe Clerico Franciſco Mariæ Bevilacqua prælative vocato, licet in ætate annorum 14., *ibid. ad II. Dubium*.

Canonico Ugolino Gualterotti ob paſſum ex obligatione Fundatoris Canonicatus judicatum liberationis a moleſtiis, permittitur alienatio deteriorum bonorum canonicalis præbendæ ad evadendam melioris fundi ſubhaſtationem in *Civitatis Caſtelli* 17. *Auguſti pag.* 200. *ad I. Dubium*.

Ei tamen ob ſufficientes reditus denegatur Miſſarum reductio, *ibid. ad II. Dubium*.

Canonici Collegiatæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ inſervire tenentur in munere Diaconi, & Subdiaconi Archipresbytero, diebus ſolemnioribus celebranti, ad formam Conſtitutionum Abbatis olim commendatarii de Rubeis, cui ſuberat Civitella, licet poſt eam Conſtitutionem inſtituti fuerint Manſionarii, *Brictinorien.* 20. *Aprilis pag.* 72. *ad IV. Dubium*.

Canonici Collegiatæ Pergulæ in Sacris non conſtituti, ſuffragium ferre nequeunt in Capitulo, *Eugubina Electionis* 7. *Septembris pag.* 226. *ad II. Dubium*.

Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Julianæ oppidi Santillana denegatur diſpenſatio a recitatione Officii Mariani in Choro, ad quam tenentur ex Conſtitutione S. Pii V., & Conſtitutionibus capitularibus, nec non ab aſſiſtentia ſecundæ Miſſæ cum cantu de rubrica, quam ex immemorabili abuſu (per decretum Epiſcopi in Sac. Viſitatione ſublato) legebat tantum abſque illorum aſſiſtentia Capellanus nuncupatus *de Herran* in feriis quadrageſimalibus, aliiſque vigiliis, *Cantandrien. Servitii Chori* 20. *Aprilis pag.* 65.

Canonicis Theologo, & Pœnitentiario Volaterranæ Cathedralis conceditur jus optandi præbendas, donec juxta *Sibinicen. Juris Optandi* 8. *Maii* 1688. ad aliquas ex pinguioribus aſcendant, quæ perpetuo affectæ ſint Pœnitentiario, & Theologo pro tempore, *Volaterrana Juris Optandi* 20. *Julii pag.* 183.

Capellania Gualterotti ob tributam facultatem celebrandi per alium declaratur clericalis *in Civitatis Caſtelli Capellaniæ* 23. *Februarii pag.* 34.

Capellaniæ Ceræ bona, quæ piorum legatorum Procurator ceſſit abſque utilitate heredibus Fundatoris per correſpectivum depoſitum pretii inveſtiendi, eidem redduntur Capellaniæ per denegatum Beneplacitum Apoſtolicum, *in Vſcien.* 17. *Auguſti pag.* 199. *ad I. Dubium*.

Permittitur tamen in augmentum imminuti fundi ipſius Capellaniæ applicatio libellarum 675., quas debent heredes ob Miſſas non celebratas, *ibidem ad II. Dubium*.

Capellaniæ fundatæ a nonnullis Monialibus profeſſis Monaſterii Matris Dei Vallifoleti, declarantur ob immemorabilem obſervantiam validæ, licet non conſtet de legitima facultate ab initio, *Vallifoletana* 17. *Auguſti pag.* 200. *ad I. Dubium*.

Præ inopia vero Monaſterii reducuntur per decennium ad lectas cum eleemoſyna obolorum 50. pro qualibet Miſſæ omnes cum cantu, quibus Monaſterium ipſum ex dictis Monialium fundationibus, aliiſque laicorum legatis gravatur, *ibid. ad II. Dubium*.

Et conſulendum reſcribitur *Sanctiſſimo* pro abſolutione Monialium ob Miſſas in præteritum non celebratas, juxta votum Epiſcopi, celebrato nempe aliquo Miſſarum numero, *ibid. ad III. Dubium*.

Capellaniarum pinguium diſmembratio denegatur Duci Poli ad alias erigendas Capellanias ex duplici eoque tenui quotidianæ Miſſæ legato, impoſito poſſeſſori primogenituræ Poli, *Tyburtina Diſmembrationis* 26. *Martii pag.* 55.

Capellaniarum Perrotti, & Mollea adminiſtratio ad quindecim decernitur annos favore unici, & pauperis filii Joannis Pauli Perrotti paſſive vocati, qui ſtatum amplexurus erit conjugalem, *Montis Regalis Capellaniarum* 23. *Novembris pag.* 235.

Capellanias Martignone inſtituendas eſſe decernitur per unum ex heredibus Fundatricis ad formam teſtamenti, cum integro nempe capitali libellarum januenſium 13. mil., nondum ſeparato ab hereditate, licet duplex tantum delata ad eum fuerit hereditaria portio, *Januen. Capellaniarum* 20. *Aprilis pag.* 65. *ad I. Dubium*.

Et denegata in augmentum earum fundi applicatione libellarum 1000. per heredem debitarum ob Miſſas non celebratas, erogandam præſcribitur eamdem ſummam in illarum celebrationem, *ibid. ad II. Dubium*.

Fit tamen Miſſarum reductio ad taxam perpetuæ ob tenuitatem capitalis, *ibid. ad III. Dubium*.

Capellano Mattioli onus eſſe declaratur excipiendi Fidelium confeſſiones, licet eum Teſtator ſimpliciter ad id hortatus fuerit, *Senogallien. Capellaniæ* 20. *Aprilis pag.* 81. *ad I. Dubium*.

Eum vero privandum non eſſe Capellania ob nondum acceptam ex contraria opinione pagellam confeſſarii, ſed præfigendum ipſi terminum arbitrio Emi Epiſcopi ad excipiendas confeſſiones, *ibid. ad II. Dubium*.

Capituli nomine non veniunt Manſionarii Collegiatæ Pergulæ; ideoque ferre nequeunt ſuffragium in electione Archidiaconi, Capitulo, & Canonicis reſervata, *Eugubina Electionis* 7. *Septembris pag.* 226. *ad I. Dub.*

Fieri

Fieri vero debere decernitur hujusmodi electionem per suffragia secreta juxta receptiorem praxim, *ibid. ad III. Dubium*.

Choralis servitii exemptio, quam anno 1766. tribuit A. C. Archipresbytero S. Mariæ in Burgo Civitellæ, ac ratam habuerunt Canonici per transactionem, confirmatur, neglecto recenti judicato Curiæ episcopalis Brictinorii, *in Brictinorien.* 20. *Aprilis pag.* 72. *ad I. Dubium*.

Choralium vacationum ampliatio ad tres menses denegatur Canonicis Collegiatæ S. Michaelis Brixichellæ, qui oblatam assistentiam nonnullis Divinis Officiis Ecclesiæ, veluti in compensationem, præstare tenentur ex Bulla erectionis Collegiatæ; & servari mandatur solitas vocationes dierum 36. *in Faventina Vacationum* 14. *Decembris pag.* 251.

D

Dotale subsidium Innocentii Raimundi Masetti iterum in executionem Gratiæ Pontificiæ per rescriptum *in decisis* addicitur Candidæ Posthumi Testatoris consanguineæ, licet in nullo ex quatuor Monasteriis Urbis, sed in pia degat sublacensium Magistrarum domo, *Romana, seu Nullius Sublacen. Legati* 19. *Januarii pag.* 6.

Dotalia subsidia duo ex quatuor relictis ab Antonio Pelucchi conceduntur ad decennium Filiabus Elisabethæ Guarini, pauperibus illius consanguineis, *Romana Subsidiorum Dotalium* 17. *Augusti pag.* 199.

Dotalium subsidiorum cumulus conceditur ad summam scutorum 400. nobili puellæ Flaminiæ Giorgi proximiori Salvatoris Scandelloni testatoris, ad exemplum aliarum consanguinearum, *Veliterna Subsidiorum Dotalium* 23. *Februarii pag.* 25.

E

Ecclesiæ Cathedralis Balneoregiensis reparatione in decessorem Episcopum Aluffi refusa per rescripta dierum 18. Decembris 1790. & 28. Maii 1791., absolutus deinde fuit idem Præsul per alterum rescriptum 21 Julii 1792. a solvendis fructibus censuum, qui in eamdem creati fuerant reparationem, eo quod extrajudicialiter, & judicialiter interpellaverat Promotorem Fiscalem Balneoregiensem ad recipiendam summam debitam; & novissima hæc resolutio confirmatur *in Balneoregien. Pecuniaria* 16. *Martii pag.* 47.

Vid. Applicatio.

Emphyteusis bonorum spectantium ad duo unita Beneficia Beatæ Virginis Lauretanæ, & Sancti Joannis Evangelistæ erecta in prioratu Ecclesiæ Castri Lapedonæ, conceditur Gregorio Ruggieri meliori oblatori, finita tamen eorumdem bonorum locatione; præstita per eumdem Ruggieri idonea fidejussione; & præfixo termino unius mensis ad deliberandum super prælatione Vincentio Graziani primo deliberatario, *Firmana Emphyteusis* 11. *Maii & 7. Septembris pag.* 92 & 225.

Emphyteusis vitalitia bonorum Beneficii SS Philippi & Jacobi, erecti in Parochiali Ecclesia Sirioli, per Beneficiatum concessa Riccardo Riccardini, approbatur per concessionem reservari Beneplaciti Apostolici, novis neglectis oblatoribus illo inferioribus, *Anconitana Emphyteusis* 17. *Augusti pag.* 208.

Emphyteuticum canonem per Fratres de Manzaliis debitum pio operi Boari, assecurandum non esse decernitur per assignationem fundi; dilata decisione quantitatis ejusdem canonis, ut scribatur particulariter super detractionibus per Manzalios prætensis, *Ferrarien.* 16. *Martii pag.* 57.

Episcopo Civitatis Castellanæ omnino non indigenti remittuntur Multæ in Sacra utensilia erogatæ. Quo ad futurum vero per rescriptum *ad mentem* præscribitur eidem Episcopo, ut certioret Sac. Congregationem, quales ex tribus Multarum speciebus a *Benedicto XIV.* indicatis *in lib.* 10. *cap.* 10. §. 1. *de Synod. diœces.* in Sacra utensilia erogare intendit, *Civitatis Castellanæ, & Hortana* 11. *Maii pag.* 91.

I

Irregularitatis dispensatio denegatur Sacerdoti Joanni Baptistæ Piccinelli, qui homicidium a triennio commisit ad vindicandas contumelias & verbera, quibus Joannes Micheli illius Sororem affecerat, *Bergomen. Irregularitatis* 23. *Februarii pag.* 25.

Denegatur etiam Sacerdoti Joanni Jacobo Lippi, qui homicidium voluntarium, & quodammodo inhumanum a septennio commisit, *Lucana Irregularitatis* 20. *Julii pag.* 184.

Et denegatur Sacerdoti Cono Feola, qui ad defensionem ejus Fratrum facinorosum hominem cum ejus mucrone interfecit, *Caputaquen. Irregularitatis* 7. *Septembris pag.* 221.

Irregularitatis dispensatio differtur Sacerdoti Philippo Magliocchini, qui vigintiquatuor abhinc annis voluntarium commisit homicidium, donec spiritualia exercitia per Ordinarium decreta apud Missionarios SS. Redemptoris Capitis Sileris, expleverit per mensem in loco commodiori ab eodem Ordinario designando, *Anglonen. & Turfien. Irregularitatis* 17. *Augusti pag.* 200.

Irregularitatis dispensatio conceditur Aloysio Azzeni, qui in ætate annorum sexdecim casuale commisit homicidium, *Casaritana Irregula-*

gularitatis 19. *Januarii pag.* 12.

Irregularitatis pariter dispensatio post primam & secundam repulsam, tertiumque rescriptum, *expecti*, conceditur tandem cum clausula *dummodo non celebret in loco commissi delicti* Sacerdoti Terentio Gervasi, qui homicidium primo impetu commisit, vitam emendavit, ac Partem, & Fiscum composuit, *Lunen. Sarzanen.* 16. *Martii pag.* 48.

Irregularitatis dispensatio, dilata primum Clerico Andreæ Marenco involuntario homicidæ, quousque abolitionem obtineret præcedente de se repræsentando, hoc deinde aboleto præcepto conceditur, *in Januen. Irregularitatis* 14. *Decembris pag.* 251.

Irregularitatis dispensatio, absolutio, & rehabilitatio ad Ordines, per rescriptum *expectet* suspensa, conceditur Josepho Pepe, cujus gladio ad terrorem stricto contra Dominicum Antonium de Biase, commissum fuit ab ejus fratribus homicidium, *Nullius Caven. Irregularitatis* 7. *Septembris pag.* 226.

Juspatronatus Capellaniarum SS. Rocci, & Olivæ, earumque administratiquem competere decernitur solis Hominibus Castri S. Olivæ, qui earumdem Capellaniarum dotes constituerunt, licet in temporalibus suppositum sit Castrum jurisdictioni Communitatis Pontis Curvi, *Pontis Curvi Juris patronatus, & Administrationis* 23. *Novembris pag.* 240.

L

Legatum Petri Antonii Marefoschi ex Pontificio rescripto concessum Aloysio Carradori, & Dominico Pieretti in pari ætate annorum 15. cum facultate vacandi studiis domi, non in Universitatibus Maceratæ, aut Firmi juxta dispositionem Testatoris, eis deberi declaratur ad formam testamenti, per quinquennium nempe a die, quo infra annum decimum octavum studere incipient, *Firmana Legati* 19. *Januarii pag.* 8. *ad I. Dubium*.

Eodemque Legato frui debere decernitur Studentes, qui in tempore nominati, decimum octavum excesserint annum, *ibid. ad II. Dubium*.

M

Matrimonialem dispensationem in primo transversali consanguinitatis gradu denegandam esse rescribitur ob defectum exempli Joanni Josepho Tasset filio naturali Petri Brune, licet ex Deodata Brune legitima ejusdem Petri filia duos suscepcrit filios, *Leodien. Dispensationis Matrimonialis* 14. *Decembris pag.* 253.

Matrimonium permittitur grandævo Comiti Joanni Gastoni Prosperi cum ignobili, sed honesta puella, non obstante contradictione nobilium ejus consanguineorum, *in Tudertina Matrimonii* 7. *Septembris p.* 222.

Matrimonium Comitis Josephi Nappi cum nobili puella Theresia Ercolani, ob absolutam, perpetuamque impotentiam viri post decennium dissolvitur, nova denegata recognitione illius corporis, *In Anconitana Matrimonii* 19. *Januarii*, & 16. *Martii pag.* 1., & 47.

Matrimonium etiam Com. Aloysii Pontici cum nobili puella Gertrude Melchiorri, ob similem viri impotentiam post quatriennium irritatur, expleto primum de mandato Sac. Congregationis examine aliorum septem propinquorum ad complendum legitimum illorum numerum, septem nempe ex parte viri, totidemque ex parte mulieris, *Amerina Matrimonii* 15. *Junii*, 20. *Julii*, & 7. *Septembris pag.* 159. 184. & 222.

Matrimonia inter Catholicos, & Hæreticos coram Ministellis acatholicis permittuntur in Ducatu Clivensi (in quo certo non constat de publicatione Concilii Tridentini) per extensionem Declarationis Benedicti XIV. quoad Hollandiam, & Belgium fœderatum, *Dubia Super Matrimoniis inter Catholicos, & Hæreticos Clivensis Ducatus* 15. *Junii pag.* 127.

Missa hactenus celebrata per Minores Conventuales Fossani sub auroram cum eleemosyna obolorum 10., permittitur ob tenuitatem eleemosynæ commodiori hora *in Fossanen. Celebrationis Missæ* 15. *Junii pag.* 127.

Missa quotidiana Capellaniæ Zini, semel ob imminutionem reditus ad taxam perpetuæ reducta, iterum ob difficultatem inveniendi Capellanum ad duplicem reducitur hebdomadalem Missam ad decennium *in Novarien. Reductionis Missarum* 7. *Septembris pag.* 221. *ad I. Dub.*

Et in reparationem domus ejusdem Capellaniæ erogandam esse decernitur pecuniam cumulatam ex omissa Missarum celebratione, juxta votum Episcopi, sub lege nempe investiendi quod superest reparationi, & impositio Capellano onere persolvendi cum Populo semel in hebdomada aliquas preces in suffragium Fundatoris, *ibid. ad II. Dub.*

Missæ celebratio, quam *Benedictus XIV.* expleri posse demonstrat auctoritate Apostolica per spectabiliores impeditos Ecclesiasticos, & Episcopos sanctitate claros sedendo, non permittitur submissis genibus simplici impedito Sacerdoti Carolo Ascanj Parocho S. Viti, licet probo & pauperi, *in Forosempronien.* 14. *Decembris pag.* 258.

Missæ quotidianæ reductio conceditur ob tenuitatem reditus Capellano Pellegrini Ecclesiæ Collegiatæ Carrariæ ad dies festos, Hebdomadæ Sanctæ, octavæ Corporis Christi, Cine-

Cinerum, Defunctorum, & Rogationum, quibus Divinis Officiis assistere tenetur ex fundatione in chorali veste, *Lunen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris pag.* 251.

Missæ conventualis celebratio præscribitur Canonicis Collegiatæ Montis Caularii diebus etiam profestis cum cantu, & juxta rubricam, ut in Metropolitana Cathedrali Firmana, tum ex Bulla erectionis Collegiatæ, cum ex Constitutione *Cum semper oblatas* Benedicti XIV., *Firmana Missæ Conventualis* 23. *Novembris pag.* 245.

Missam conventualem celebrare per turnum non tenetur Archipresbyter Collegiatæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ, qui distinctos habet reditus, nilque percipit ex legatis benefactorum Capituli, *Brictinorien.* 20. *Aprilis pag.* 72. *ad II. Dub.*

Missam tamen celebrare debet parochialem ante ortum Solis, ut post decessores Archipresbyteros hactenus celebravit, *ibid. ad III. Dubium.*

Missam conventualem celebrandam esse decernitur per Canonicos Collegiatæ Trejæ ad formam rescripti anni 1713., quo eam Sacra hæc Congregatio ob tenuitatem fortasse redituum ed dies reduxit festos, neglecto decreto Archiepiscopi Camerinensis de illa celebranda ad formam posterioris Constitutionis *Cum semper oblatas* Benedicti XIV., *Camerinen. Missæ Conventualis* 14. *Decembris pag.* 256.

Missæ hebdomadales quinque Capellaniæ Buontempo ob imminutos reditus, & defectum Sacerdotis, qui talem accipiat Capellaniam, reducuntur ad tres, liberato etiam Capellano ab onere docendi grammaticam pueros, juxta votum Novariensis Episcopi, *Novarien. Reductionis* 19. *Januarii pag.* 14. *ad I. Dub.*

Et pecunia coacta tempore vacantis Capellaniæ in reintegrationem conceditur ejus fundi, *ibid. ad II. Dub.*

Missæ annuæ 32. ob sufficientes reditus servantur ad formam testamenti Natalis Bocchi; ob imminutum vero fundum, & paupertatem heredis reducuntur ad dies Dominicos hebdomadales aliæ quinque legatæ a Petro Bocchi *in Ferrarien. Reductionis Missarum* 23. *Februarii pag.* 25.

Missæ præscriptæ a Jacobo Mancini cum eleemosyna obolorum 20. pro qualibet ex superexstante reditu Capellaniæ, annuis celebratis Festivitatibus sex in rurali ejus Ecclesia S. Francisci de Paula, in eadem pariter celebrandæ sunt Ecclesia ex præsumpta Testatoris voluntate, *Camerinen.* 11. *Maii pag.* 109. *ad I. Dub.*

Permittitur tamen illarum translatio ad Ecclesiam ab Episcopo designandam ad formam Indulti Sac. Congregationis 11. Martii 1786., firmo nempe remanente onere celebrandi diebus festis in dicta Ecclesia S. Francisci de Paula, *ibid. ad II. Dub.*

Missæ hebdomadales tres, sub quarum onere assignavit Joseph Mosca capitale scutorum 600. in redintegrationem Parochiæ S. Petri Apostoli Carceniæ, pridem unitæ alteri Paraciæ Armeni, ob imminutos redintegratæ Parochiæ reditus reducuntur ad unam pariter hebdomadalem; sub conditione tamen, ut quatenus augeantur reditus, augeatur etiam Missarum numerus, *Novarien. Reductionis Missarum* 23. *Novembris pag.* 242.

Missarum reductio denegatur possessori Capellaniæ Constantini ob sufficientem reditum *in Feretrana Reductionis Missarum* 19. *Januarii pag.* 1.

Missarum, aliorumque onerum suspensio conceditur ad biennium in reparationem fatiscentis domus Capellaniæ Malacalza, celebrata unica Missa quolibet mense, & docto coram Episcopo de erogatione superextantium reditum in causam expressam, *Lunen. Sarzanen.* 19. *Januarii pag.* 1.

Missarum abolitio, vel reductio ob inopiam Monasterii SS. Visitationis Oppidi Sancti Romuli denegatur; sed inopiæ gratia conceditur illarum suspensio ad decennium celebratis Missis decem quolibet mense, & cum ege erogandi dotes percipiendas in & usque ad reintegrationem capitalis *in Albinganen.* 20. *Julii pag.* 183. *ad I. Dub.*

Et consulendum rescribitur *Sanctissimo* pro absolutione Monialium ab omissa in præteritum celebratione, ob tenuem Missarum numerum, inopiamque Monasterii, *ibid. ad II. Dub.*

Missarum translatio ab Ecclesia S. Mariæ in Vallicella Urbis, quam Franciscus Roberti patronus Capellaniæ Arighi ob reluctantiam Patrum Oratorii admittendi in eadem Ecclesia Capellanum celebrantem postulabat, ob præstitum deinde a Patribus consensum, licet sub modo servandi per Capellanum ordinem Sacrarii, denegatur *in Romana Capellania* 23. *Novembris pag.* 235

Missarum reductio. Vid. Canonicus. Capellania. Beneficium.

Monti Consolini Perusiæ prorogatur indultum exigendi usuram scutorum trium pro quolibet centenario, & anno in stipendium Ministrorum, Aliosque sumptus usque dum redintegrata fuerit primæva illius dos in summa scutorum 14000. *Perusina Montis Pietatis* 11. *Maii pag.* 105.

O

Ordo Diaconatus, pro quo ex rescripto Sacræ Congregationis 24. Martii 1792. humiliter ad suum Ordinarium recurrere debebat Subdiaconus Aloysius Ciannavei, ei tandem post alterum rescriptum *expectet* permitti-

mittitur cum Dimissoriis Vicarii Capitularis Asculani *in Asculana Ordinationis* 14. *Decembris pag.*252.

P

PRocurationem Archiepiscopo Camerinensi visitanti præstandam esse decernitur per contributum ab omnibus etiam Beneficiatis, Confraternitatibus, & Ecclesiarum Patronis Vicariatus Flastræ, non obstante quod eam præstare consueverint soli Parochi, *Camerinen. Procurationis* 23. *Novembris pag.*235.

Professionis nullitas declarata favore Rosæ Lucianæ Rebelli per Vicarium Capitularem Bracharensem tamquam Judicem executorem Brevis restitutionis in integrum directi Vicario Generali, confirmatur per sanationem sententiæ, attenta potissimum illius executione per matrimonium Rebelliæ *in Bracharen. Restitutionis in integrum super circumscriptione* 20. *Aprilis pag.*67. *ad II. Dub.*

V

VEnditio bonorum hereditariorum Joannis Vitalis Genghini, quæ fieri debet in celebrationem Missarum, & minus recte expleta fuit favore Sacerdotis Josephi Leoni, post affixionem Edictorum demandatam in Congregatione 15. Septembris 1792. ad formam testamenti, faciendam esse rescribitur favore Petri Dominici Leoni melioris oblatoris, salvo jure vigesimæ & sextæ *in Ariminen. Venditionis* 20. *Aprilis pag.*66.

INDEX
CONCLUSIONUM.

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1793.

ALIENATIO

BOnorum Ecclesiæ, vel Loci Pii alienatio in evidentem permittitur illorum utilitatem, *pag.* 123. §. *Tunc permitti*, *pag.* 180. §. *Utilius*, *pag.*195. §. *Subrogatio*.

Hac concurrente utilitate conceditur Beneplacitum Apostolicum, *pag.*195 §. *Subrogatio*.

Et plura sunt hujusce indulti exempla, *pag.*123. §. *Tunc permitti*.

Multo magis permittitur utilis permutatio, *pag.*180. §. *Utilius*.

Immo inter duas Ecclesias non requiritur Beneplacitum Apostolicum, *pag.* 180. §. *Sunt immo*.

Cessat enim finis *Extravagantis Ambitiosæ*, ne bona scilicet Ecclesiæ convertantur in usus profanos, *ibidem*.

Neque aliter sentiendum ex notissimo decreto Urbani VIII., nam excepti in eo censentur casus a jure permissi, *ibid.*

Haud vero permittitur alienatio Locorum MM. ad minus idoneum conficiendum investimentum in censibus, *pag.*125. §. *Loca MM.*

Nullam enim Loca MM. recipiunt hypothecam præter eam, quam exhibent literæ patentes, *ibid.*

Vid. Emphyteusis.

ALIMENTA

Nepos pauper agere valet adversus patruum pro alimentis, *pag.*7. §. *Hæc vero*.

Patrono pauperi debentur alimenta ex superfluis fructibus Beneficii, *pag.*234. §. *Patrono*.

BENEFICIATUS. BENEFICIUM.

Qui pollet qualitatibus volitis a Fundatore Beneficii, perinde habetur, ac si nominatus ab illo fuisset, *pag.*102. §. *Ad secundum*.

Qualitas clericatus volita ab homine, actu concurrere debet in collatione Beneficii, *ibidem*.

Maxime si respiciat tempus electionis, *pag.*103. §. *Actu*.

Superventa tamen intra quatrimestre Patronis laicis concessum ad præsentandum qualificat, etsi volita in actu electionis, *pag.*104. §. *Ne vero*.

Inter æque dilectos præferri debet major ætate, & antiquior clericatu, *pag.*103. §. *Actu*.

Non debetur vero prælatio remotiori in gradu, & in diversa substitutionis sede vocato, *p.*104. §. *Ne vero*.

Admittitur ex fundatione ad Beneficium qui conciliarem non habet ætatem, *pag.* 103. §. *Institutionem*.

Potissimum si vocavit Fundator simplicem Clericum, *ibid.*

Liberari etiam valet Beneficiatus ex fundatione ab onere Divini Officii, *pag.* 101. §. *Qualitatem*.

Fundatores enim Beneficiorum imponere valent legem dispositioni juris contrariam, ne a piis fundationibus retrahantur, *pag.* 101. §. *Servatam*.

Beneficiato permittitur absentia studiorum causa, *pag.*101. §. *Qualitatem*.

Diuturna Beneficii vacatio adversatur dispositioni juris, *pag.*234. §. *Patrono*.

Beneficii dismembratio conceditur ad augendum Divinum cultum, *pag.*56. §. *Secunior*.

Desumi debent Beneficiorum onera ex tabulis fundationis, aliisque publicis monumentis, ut sunt sacrarum Visitationum acta, Tabellæ, & similia, *pag.*115. §. *Ut onera*.

Fundationis defectum supplent etiam Literæ collationum, *pag.*115. §. *Ad suadendam*.

Simplex quoque illarum copia in antiquis actis reperta, *ibid.*

Atque his deficientibus monumentis, non tenetur Beneficiatus adimplere onera, *pag.*115. §. *Ut onera*.

Beneficiorum unio permittitur ex necessitate, vel utilitate, *pag.*44 §. *Quatenus*.

Necessitatem inducit tenuis census Loci pii, *ibid.*

Episcopalis præfert in Seminarii, *pag.* 33. §. *Dubitandum*, *pag.* 43. §. *Quærendum*.
Facilius conceditur concurrente Patronorum consensu, *pag.* 33. §. *Dubitandum*, & *pag.* 44. §. *Quatenus*.
Etiam ante vacationem; salvo jure possessoris, *pag.* 43. §. *Quærendum*.
Vid. Alimenta. Ecclesia. Patronus.

CANONICATUS. CANONICI.

Canonicatus qualitates immutare nequit executor fundationis, *pag.* 99. §. *Ut Canonicatus*.
Nisi concurrant dotis augmentum, & consensus Episcopi, ac Patronorum, *ibid.*
Ad obtinendum Canonicatum Collegiatæ sufficit ætas annorum 14., *pag.* 103. §. *Institutionem*.
Ex fundatione vero idoneus est hac etiam ætate minor, *ibid.*
Maxime ubi vocavit Fundator simplicem Clericum, *ibid.*
Canonici annorum 14. tenentur ad servitium Chori, *pag.* 100. §. *His*.
Idque per Fundatores reticentes relictum censetur sub dispositione juris, *ibid.*
Cogi nequeunt Canonici ad munus Diaconi, & Subdiaconi extantibus Mansionariis, *pag.* 80. §. *Ad quartum*.
Canonicis competit jus optandi meliorem præbendam, *pag.* 170. §. *Optionis*.
Exceptis Canonicis Theologo, & Pœnitentiario, quorum officiis inseparabiliter unitæ sunt præbendæ, *ibid.*
Permitti enim per optionem non debet illarum separatio, *pag.* 171. §. *Reque vera*.
Et pluries ita definivit Sacra Congregatio, *ibid.*
His tamen consulendum per unionem Beneficiorum, *pag.* 172. §. *Utriusque*.
Vel per indultum optandi meliores præbendas, quæ perpetuo unitæ remaneant ipsorum officiis, *pag.* 172. §. *Quoties*.
Pluraque in id sunt exempla, *pag.* 173. §. *Atque*.
Absurdum namque est, quod Canonicus Theologus, & Pœnitentiarius, qui majus subent onus, minora in perpetuum habeant emolumenta, quam simplices Canonici, *pag.* 172. §. *Quoties*.
Vid. Capitulum. Chorus.

CAPELLANIA. CAPELLANUS.

Clericalis censetur Capellania ex facultate celebrandi per alium, *pag.* 36. §. *Nonnullas*.
Superextantes fructus Capellaniæ investiendi potius sunt in augmentum tenuis illius fundi, *pag.* 18. §. *Utilior*, *pag.* 196. §. *Ad secundum*, & *pag.* 218. §. *Ad secundam*.
Generalis hypotheca transit in particularem possessorem bonorum Fundatoris Capellaniæ, *pag.* 61. §. *Præ omnibus*.
Taxativa qualitas capitalis assignati in fundum Capellaniæ eximit heredem Fundatoris, vel Patronum ab eo supplendo, *pag.* 17. §. *Animadversionem*.
Capellaniam renunciare valent Regulares, *pag.* 41. §. *Res profecto*.
Sed admittere tenentur in eorum Ecclesia sæcularem Capellanum, nisi justam afferant recusationis causam, *ibid.*, & *pag.* 235. §. *Quum Patres*.
Nullæ sunt Capellaniæ institutæ per actum ultimæ voluntatis a Monialibus professis, *pag.* 205. §. *Pro nullitate*.
Imponere enim nequeunt Moniales professæ Missarum onus super capitalibus, quorum sunt usuariæ, *ibid.*
Donare tamen valent per actum inter vivos cum onere Missarum, *ibid.*
Quæcumque vero fuerit dispositio, sustinetur post immemorabile adimplementum ob præsumptum Beneplacitum Apostolicum, *pag.* 205. §. *Monasterium*,
Capellania. Vid. Reductio.
Onus a Testatore impositum Capellano hortativis verbis adimpleri debet veluti ex præcepto, *pag.* 83. §. *Notandum*.
Licet namque relinqui censeatur in libero arbitrio, quod committitur alicujus voluntati, *pag.* 82. §. *Dum proponenda*.
Hoc tamen fallit in ultima dispositione, ne morientis consilium, desiderium, preces inutiles reddantur; *pag.* 83. §. *Notandum*,
Qualitas volita in Capellano de tempore electionis, volita censetur actu, *ibid.*
Per assumptam obligationem adimplendi onera Capellaniæ, ad omne id tenetur Capellanus, quod in scriptura per ipsum subscripta continetur, *pag.* 83. §. *Hac posita*.
Si aliquod vero ex contraria opinione neglexit onus, excusatur ab odiosa pœna caducitatis, *ibid.*

CAPITULUM.

Exequi debent capitulares Constitutiones per Canonicos approbatæ, *pag.* 80. §. *Ad quartum*.
Ubi præsertim consentaneæ sunt cœremoniali, *ibid.*
Constat Capitulum ex solis Canonicis, *pag.* 228. §. *Juris dispositio*.
Ideoque sub nomine Capituli, & Canonicorum non continentur Mansionarii, *ibid.*
Et ferre nequeunt suffragium in electionibus reservatis Capitulo, & Canonicis, *ibid.*
Maxime, si discretive vocati sunt ad passivum jus electionis, *ibid.*
Sunt tamen Mansionarii misticum corpus Capituli, *pag.* 229. §. *Notare*.

Et in eo habere valent vocem ex privilegio, statuto, vel consuetudine, *ibid.*

Facile autem ab eorum vocatione passiva fit illatio ad activam, *ibid.*

Attenta potissimum dictione *seu* inter ipsos, & Canonicos adjecta, quæ alternativam inducit, *ibid.*

Vocem habent in Capitulo Canonici tantum in Sacris constituti, *pag.* 229. §. *Quoad secundum*.

Contrarium sustineri posset ex quo Canonicis in Sacris non constitutis statim conceditur Stallum in Choro, & locus in Capitulo, *ibid.*

Habere tamen valent vocem ex fundatione, *ibid.*

Probatur a Jure capitularis electio sive per secreta suffragia, sive per schedas, *pag.* 230. §. *Circa tertium*.

CHORUS.

Immunis non est a chorali servitio prima Capituli Dignitas, licet curam habeat Animarum, *pag.* 77. §. *Primum*.

Nisi distinctos a capitulari massa habeat reditus, ideoque simplicem præeminentiam in Capitulo, *pag.* 78. §. *Promotoris*.

Maxime, si relinquitur chorale servitium illius arbitrio per hæc capitularium Constitutionum verba, *si eidem placuerit*, *ibid.*

Dispensatio a Choro concedenda est in publicam, non in privatam causam, *pag.* 63. §. *Haud facile*.

Alias esset potius dissipatio, *ibid.*

Sæpe vero humanæ fragilitatis miserta, concessit Sacra Congregatio vacationes a Choro, *pag.* 63. §. *Queruntur*.

Servanda est consuetudo vacandi a Choro infra trimestre concessum a *Sac. Concil. Tridentino*, *pag.* 250. §. *De tempore*.

Licet alia in aliis vigeat ejusdem Diœcesis Capitulis observantia, *ibid.* §. *Multum*.

Ex justa tamen & rationabili causa augeri solent vacationes ad tempus conciliare, *ibid.* §. *De tempore*.

Dummodo major Canonicorum pars eodem non absit tempore, *ibid.* §. *Multum*.

Vid. Reductio.

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

Pia Fundatoris Beneficii voluntas, quantum fieri potest, exequi debet, *pag.* 17. §. *Ab anno*, *pag.* 41. §. *Res profecto*, *pag.* 166. §. *Deliberandum*.

In commutandis, vel derogandis ultimis voluntatibus justa requiritur causa, *pag.* 33. §. *Dubitandum*, *pag.* 55. §. *Si sermo*, *pag.* 120. §. *Apertissima*.

Justa commutandæ voluntatis causa est difficultas executionis, *pag.* 120. §. *Difficultas*.

Non item paupertas, *pag.* 38. §. *Petitioni*.

Licet de paupere agatur Testatoris fratre, *ibid.*

Querelam enim inofficiosi non habet frater ad testatam hereditarem fratris, vel sororis, nisi instituta sit persona turpis, *ibid.*

DOS.

Dotalia subsidia relicta censentur Puellis pauperibus, *pag.* 30. §. *Satis*.

Eisque dumtaxat conceditur illorum cumulus, *ibid.*

Præferri tamen debent pauperes Testatoris consanguineæ, *pag.* 192. §. *Aditur*

Ad dotalia subsidia relicta consanguineis, præfertur pauperior, licet remotior, *pag.* 27. §. *Ad primam*.

Conceditur secundum alios prælatio consanguineæ proximiori tanquam magis dilectæ, *pag.* 30. §. *Præstat*.

Ob similia præsertim exempla, *ibid.*

Dotalia subsidia relicta Puellis unius loci, designati per particulam *di*, extendi nequeunt ad Puellas alterius loci, *pag.* 192. §. *Si ea*.

Dotalium subsidiorum cumulus denegatur concurrente aliarum Puellarum præjudicio, *p.* 39. §. *Satis*.

ECCLESIA.

Episcopus, qui reparare neglexit Ecclesiam, reficere debet damnum, *pag.* 45. §. *De rescripto*.

Et sufficit scientia obligationis, ut absque interpellatione constitutus censeatur in mora, *ibid.*

Ecclesiæ ædificium perfici debet, *pag.* 53. §. *Non de mandato*.

Donatio facta Ecclesiæ revocari nequit per alteram posteriorem, licet favore alterius Ecclesiæ, *ibid.*

Resolvitur tamen cessante finali ejus causa, *pag.* 53. §. *Urgent*.

Quod enim donatum est ob causam, hac non sequuta, revocari, & condici potest, *ibid.*

Unio Ecclesiæ *æque principaliter*, omnia ei servat jura, privilegia, & bona, *pag.* 53. §. *Notandum*.

EMPHYTEUSIS.

Denegari non solet in emphyteusi ecclesiastica Beneplacitum Apostolicum ubi evidens concurrit utilitas Ecclesiæ, vel Beneficii, *pag.* 209. §. *Utilis*, & *pag.* 238. §. *In ejusmodi*.

Licet stipulatus etiam sit contractus sub illius reservatione, *pag.* 209. §. *Utilis*.

Et utilis dicitur emphyteusis, cujus canon

æquat bonorum fructus, *pag.* 238. §. *In ejusmodi*.
Prælatio ad emphyteusim debetur ei, qui meliorem facit conditionem Ecclesiæ, *pag.* 94. §. *Omnes*.
Magisque potissimum idoneo, licet minori oblatori, *ibid.*
Danda est sexta intra trimestre a die deliberationis, *pag.* 95. §. *Urget*.

IRREGULARIS, IRREGULARITAS.

Irregularis est, qui remotam etiam dedit causam homicidio, *pag.* 86. §. *Dimissus*.
Multo magis, si absolutus fuit cum clausula, *facta obligatione de se repræsentando novis supervenientibus indiciis*, quæ innocentiam excludit, *ibid.*
Irregularitas non contrahitur per homicidium commissum ex opere licito, debita etiam ad illud vitandum adhibita diligentia, *pag.* 86. §. *Dubitari*.
Secus per homicidium commissum ex opere illicito, quod voluntarium censetur in causa, *pag.* 13. §. *At posito*.
Licet sint, qui voluntariam ab eo excludunt qualitatem, *ibid.*
Abhorrent Canones ab homicidio voluntario, *pag.* 198. §. *De voluntario*.
Ideoque promovendus homicida perpetuo a Sacris Ordinibus repellitur, *pag.* 13. §. *Res profecto*, *pag.* 86. §. *Quatenus*.
Qui commisit nempe homicidium voluntarium, *pag.* 23. §. *Voluntarium*.
Veniam enim meretur in homicidio casuali, *pag.* 86. §. *Quatenus*.
Sacerdoti etiam, qui voluntarium commisit homicidium, denegatur dispensatio ab irregularitate, *pag.* 177. §. *Si commissi*, *pag.* 198. §. *De voluntario*, *pag.* 219. §. *Voluntarium*.
Eo magis, si tantum a commisso homicidio non exciderit tempus, ut delera sit illius memoria, *pag.* 23. §. *Voluntarium*, *pag.* 86. §. *Quatenus*, *pag.* 177. §. *Si commissi*.
Facilius vero ei indulgetur, ne cum dedecore Ordinis mendicare cogatur, *pag.* 13. §. *Res profecto*.
Quandoque concessa dispensatio nedum Sacerdoti, sed etiam Clerico ob lapsum diuturni temporis, constantem vitæ emendationem, aliasque urgentes rationes, *pag.* 14. §. *Ad ea*, *pag.* 86. §. *Quatenus*, *pag.* 177. §. *Si commissi*, *pag.* 198. §. *De voluntario*, *pag.* 219. §. *Ponderandæ*.
Conceditur etiam dispensatio, ubi commissum sit homicidium ad defensionem fratris, vel sororis, quæ æquiparatur propriæ, *pag.* 24. §. *Notandum*, *pag.* 219. §. *Ponderandæ*.

JUSPATRONATUS.

Est quid spirituale, *pag.* 242. §. *Contendunt*.
Æqualiter pluribus acquiritur dotantibus, licet quis minus conferat, *pag.* 100. §. *His*.
Hominibus Oppidi per dotationem quæsitum, spectat ad singulos uti singulos, *pag.* 242. §. *Contendunt*.
Transit cum universitate bonorum, *pag.* 241. §. *In exercenda*.

LEGATUM.

Probatur legatum pium ex testamento, vel publico altero monumento, *pag.* 263. §. *Licet*.
Et contra scribentem, ejusque heredes ex libro etiam privato, *ibid.*
Centenaria præsertim concurrente observantia, *ibid.*
Singuli heredes tenentur ad solutionem legati pro virili, *pag.* 61. §. *Præ omnibus*.
Consequi debet legatum qui volita habet requisita, *pag.* 11. §. *In supposito*.
Legatum relictum ad certum tempus, ultra illud denegatum censetur, *ibid.*
Dubiam præfiniti temporis intelligentiam declarat observantia, *pag.* 10. §. *Quæritur*.
Extendi non debet favore unius in præjudicium alterius vocati, *pag.* 11. §. *Quia deliberandum*.
Succurrendum ex piis legatis pauperibus consanguineis Testatoris, *pag.* 33. §. *Urgent*, *p.* 38. §. *Petitioni*.
In legato relicto Puellis orphanis vera censetur orphana, quæ caret patre, & præferri debet alteri, quæ caret matre, *pag.* 7. §. *Iterum*.
Vid. Beneficium.

MATRIMONIUM.

Liberum est matrimonium, *pag.* 224. §. *Libertatem*.
Et nemini adimenda hujusmodi libertas, qui canonico non prohibetur impedimento, *ibidem*.
Quæ sint impedimenta matrimonium dirimentia, *pag.* 223. §. *Neminem*.
Inter impedimenta dirimentia non est senectus, *pag.* 224. §. *Libertatem*.
Nemo enim est in decrepita etiam ætate, quin natura, vel arte adjutus aliquando coire valeat, *ibid.*
Atque etiam generare; quum nullum a natura definitum sit procreationis tempus, *ibid.*
Et fuerunt, qui ultra centesimum annum generarunt, *ibid.*
Ideoque permittit Ecclesia matrimonium senibus, qui habitu saltem potentiam habent generandi, *ibid.*

Illud-

Undque immo permittit morientibus, licet extincta pene in eis sit talis potentia, *ibidem*.

Ad dirimens inducendum impedimentum satis non est difficultas, sed impossibilitas requiritur coeundi, *pag.*224. §. *Quo vero*.

Prohibitum est de jure naturæ matrimonium in primo adscendentium gradu, *pag.*254. §. *Ex accurata*.

At est controversum, num eadem obstet lex naturæ in primo collateralium, *ibid.*

Affirmant nonnulli, negant alii, *ibid.*

Nullum vero hactenus fuit super hoc gradu Pontificiæ dispensationis exemplum, *ibidem*.

Prioribus Ecclesiæ sæculis irrita erant apud Orientales matrimonia inter Catholicos, & Hæreticos, *pag.*140. §. *Qui prioribus*.

Deinde vero ex universali consuetudine, jureque scripto valide contrahi ceperunt, licet illicite, *ibid.*

Post Concilium vero Tridentinum orta fuit quæstio, num valide contraherentur coram Ministro acatholico, *ibid.*

Affirmabant alii, etiamsi contraherentur in locis publicati Concilii, *pag.* 141. §. *Tuebantur*.

Cum communi negabant alii, eo quod soluti non essent Hæretici legibus Ecclesiæ, *ibid.*

In dubio publicationis Concilii hujusmodi matrimonia censentur valida, *pag.* 143. §. *Nisi certis*.

In dubia enim possessione legis standum est pro libertate, *ibid.*

Constare debet de publicatione Concilii in qualibet Parochia, non in Regno tantum, Provincia, vel Synodo, *ibid*

Desumi valet publicatio a catholica loci Religione dominante, *pag.*142. §. *Plura*.

Excluditur vero in Ducatu Clivensi ex qualitate ejus Ducum, *pag.*143. §. *Deficere*.

Probatur etiam ex observantia conciliaris decreti, ubi celebrari nempe consuevissent matrimonia mixta coram Parocho, & duabus, vel tribus testibus, *pag.*144. §. *Probari*.

De hac observantia non constat in Ducatu Clivensi quoad matrimonia Catholicarum cum Acatholicis coram Ministellis hæreticis, *pag.*145. §. *Etsi*

Plura immo sunt inobservantiæ argumenta, *pag.*145. §. *Inobservantiæ*.

Observantiæ indicium præbere videntur *Recessus Religionis*, seu pacta inita inter Electorem Brandeburgi, & Comitem Palatinum dum indivisam Ducatus possessionem retinebant, ob præscriptas nempe proclamationes, dimissorias, & celebrationem matrimonii coram alterutro viri Parocho, catholico, vel acatholico; sed certam non constituunt publicationis Concilii probationem, ex quo nulla præsertim in illis fit mentio testium, *pag.*146. §. *Aliqui*.

Magis in Hollandia, fœderatoque Belgio præcisa, & conciliari legi consentanea erat observantia, & tamen ob dubiam Concilii publicationem declarata fuerunt valida matrimonia mixta coram Ministello acatholico, *pag.*146. §. *Magis*.

Decretum Concilii, licet in aliqua Ditione publicatum, non afficit Hæreticos, qui distinctam in ea constituunt societatem, *p.* 147. §. *At posita*.

Eademque idcirco immunitate ob individuitatem contractus gaudent Catholici, qui cum illis contrahunt matrimonia, *pag.*147. §. *Dum Clivienses*.

Si necessario Catholica nubere debet Hæretico coram Ministello acatholico, decretum Concilii non obligat, *ibid.*

Nemo enim tenetur ad impossibile, *ibidem*.

Et dicitur impossibile quod commode fieri nequit, *ibid.*

Licet Catholici nubere potius debeant Catholicis, *pag.*148. §. *Omnia*.

Ob difficultates tamen loci permissa, & valida sunt eorum matrimonia cum Hæreticis, *ibidem*.

Ex centenaria potissimum observantia conciliari decreto contraria, *pag.*149. §. *Sive igitur*.

Vim sane habet hujusmodi observantia abrogandi ecclesiasticam etiam legem, *pag.* 149. §. *Sive igitur*, & §. *Rationabilis*.

Maxime si eam toleravit Ecclesia, *pag.*150. §. *Eoque*.

Matrimonia tamen inter Catholicos, & Hæreticos sunt illicita, *pag.*150. §. *Pluries*.

Adversantur enim juri Divino, quum Religionis diversitas verum inter Conjuges impediat amorem, æternamque Partis catholicæ, soboliscque salutem in discrimen adducat, *pag.*151. §. *Adversantur*.

Eaque idcirco detestantur Canones, & Canonistæ, *ibid.*

Sunt immo flagitiosa ob communionem Catholicorum cum Hæreticis in rebus sacris, *pag.*151. §. *Flagitiosa*.

Baptizatus enim, licet hæreticus, contrahens matrimonium cum Catholica accipit Sacramentum, *ibid.*

Et Catholici, qui ea contrahunt coram Ministellis acatholicis, peccant mortaliter, *ibidem*.

Ex matrimoniali namque formula adhibentur Ministelli ut Sacri Ministri, *ibid.*

Eoque magis, in Germania præsertim, illicita & flagitiosa sunt ob tacitum, vel expressum pactum educandi masculinam prolem in falsa secta patris, fœminam in catholica Religione matris, *pag.*152. §. *Illud etiam*.

De jure enim Divino tenentur parentes educare

care filios in vera Religione, *ibid.*

Et quamvis pactum illud excusent nonnulli ex consuetudine, *pag.*152. §. *Neque*.

Contrarium tamen sustinet Benedictus XIV., *ibid.*

Mixta matrimonia reddere potest Summus Pontifex licita per rationabilem dispensationem, *pag.*153. §. *Licet vero*.

Potissima dispensandi causa est majus catholicæ Religionis bonum, *ibid.*

Parochi catholici secundum laxiorem quorumdam sententiam licite concedere valent dimissorias ad illicita contrahenda matrimonia coram Ministellis acatholicis, *pag.*153. §. *Nec licet*.

Contrarium verius, quia proxime influunt in malum, quod absque dimissoriis non sequeretur, *ibidem*, & *pag.*154. §. *Orthodoxi*.

In concedendis sane dimissoriis peccant Parochi Catholici contra Sacrum Concilium Tridentinum, dum per eas substituunt Ministellos, ut matrimoniis assistant, *pag.* 154. §. *In sacrum*.

Neque per silentium approbare censetur Ecclesia illorum factum, *pag.*155. §. *Videt*.

Licet ex justa causa licitas reddere valeat ipsorum dimissorias, *ibid.*

In publicum scilicet catholicæ Religionis bonum, *pag.*155. §. *Hoc igitur*, & *pag.* 156. §. *Ad rem*.

Eas tamen Parochi catholici concedere nequeunt absque dispensatione Apostolica, *pag.*155. §. *Videt*.

Declaratio Benedictina quoad Hollandiam & Belgium, tamquam localis, vim non habet in aliis Regionibus, *pag.*156. §. *Dubium*.

Extendi tamen valet ex identitate rationis, *pag.*157. §. *Eadem*.

Et plura sunt hujusmodi extensionis exempla, *pag.*158. §. *Nec similia*.

Constito de absoluta impotentia viri, statim dissolvitur matrimonium, *pag.*2. 159. 185., *ubique* §. *Regulam*.

Et satis est impotentia, quæ ex interiori, & invisibili procedit causa, *pag.* 159. §. *Regulam*.

Requiritur tamen, ut præcesserit matrimonio, *pag.*6. §. *Quæcumque*.

Esse absoluta quoad omnes mulieres, *pag.*5. §. *Graviora*.

Validum namque est matrimonium cum virgine, ubi potens est vir eum corrupta, *ibidem*.

Præsumitur in viro potentia, *pag.*4. §. *Strenue*.

Ex conformatione præsertim virilium, *pag.*162. §. *Inficiatur*.

Ex larga rursus effusione seminis, *pag.*5. §. *Graviora*.

Et inverisimilitudine, quod cohabitare voluerit mulier per diuturnum tempus cum viro impotente, *pag.*189. §. *Se absconderat*.

Impotentiam vero absolutam probat musculorum erectorum paralysis, quæ insanabilis est, *pag.*160. §. *Duo*.

Immediata enim erectionis causa sunt musculi erectores, *pag.*5. §. *Graviora*.

Et plurimi circa talem impotentiam relationes æstimantur Peritorum, *ibid.*

Licet vero necessaria non sit de jure canonico recognitio corporis viri, aliis concurrentibus impotentiæ argumentis, *pag.* 187. §. *De non consumato*.

Contrarium tamen servatur ex praxi Sacræ Congregationis, *pag.*189. §. *Totam*.

Viri impotentiam confirmat virginitas mulieris, *pag.*3. §. *Comitis*, *pag.* 160. §. *Judicialis*, *pag.*186. §. *Impotentiæ*.

Evidens tamen non est illius signum, *pag.* 161. §. *Exceptione*.

Fieri enim valet, ut vir potens ad coeundum, præ brevitate tamen penis disrumpere nequeat hymen altius in nonnullis mulieribus, vel interius positum, *pag.* 5. §. *Graviora*.

Vel ex maleficio, aliisque de causis impedita remaneat virilis ejus potentia, *pag.* 161. §. *Exceptione*.

Magna immo de ipsa virginitate est controversia. Alii enim negant illius signa, *pag* 3. §. *Comitis*, *pag.*162. §. *Inficiatur*.

Alii, ex meliori ceteroquin anotomiæ schola, ea admittunt, *pag.* 3. §. *Comitis*, *pag.*160. §. *Judicialis*, *pag.*186. §. *Multum*.

Pro inspectione corporis mulieris adhiberi solent Obstetrices, *pag.* 3. §. *Comitis*, *pag.*186. §. *Impotentiæ*.

Et rectum est illarum judicium circa virginitatem, *pag.*186. §. *Multum*.

Etiamsi causam non reddant scientiæ, *pag.*3. §. *Comitis*, *pag.*186. §. *Impotentiæ*.

Præsertim, si corpus recognoverunt mulieris post balneum, *pag.*186. §. *Multum*.

Sunt tamen, qui incertum affirmant illarum judicium, *pag* 5. §. *Incertam*.

Nam quæ eis videntur signa virginitatis, induci potuerunt ex constringenti medicamento, *ibid.*

Artem tamen eludit balneum, *ibid.*

Multoque minus attenditur illarum judicium, nisi deamione simul membranarum, & cohæsione partium deponant, *pag.*190. §. *Satis*.

Suspicione non caret juramentum conjugum de non consumato matrimonio, *pag.*161. §. *Certam*.

Magis de cetero creditur mulieri neganti, quam viro affirmanti consummationem matrimonii, *pag.*187. §. *De non consumato*.

Et prima declaratio viri prævalet secundæ, *pag.*161. §. *Certam*.

Consummationem excludit matrimonii septima manus, seu juramentum propinquorum septem, *pag.*3. §. *Comitis*, *pag.* 159. §. *Regulam*,

gulam, *pag.*187. §. *De non consumato*

Septem nempe ex parte viri, totidemque ex parte mulieris, *pag.*161. §. *Exceptione*.

Ex præterita viri impotentia præsumitur ejus continuatio, *pag.*185. §. *Regulam*.

Dissolutionem impedit matrimonii sera mulieris reclamatio juxta *cap.* 1. *de frigid. & malefic.*, *pag.*3. §. *Si aliquod*.

Nisi tales concurrant probationes, ut rectum proferri valeat judicium frigiditatis viri, secundum *cap.*6. & 7. *cod. tit.*, *ibid.*

Idque pluribus confirmatur exemplis dissoluti matrimonii post diuturnum mulieris silentium, *pag.*4. §. *Idque*.

Post tale silentium vero rigidiores requiruntur impotentiæ probationes, *pag.*4. §. *Strenue*.

Et satis non sunt ad illud excludendum extrajudiciales querelæ, sed formale intra legitimum tempus requiritur judicium super impotentia viri, *ibidem*, & *pag.*161. §. *Certam*.

Nunquam tamen per silentium mulieris præscribitur actio nullitatis matrimonii, ubi imputari nequit silentium illius malitiæ, & signa concurrant impotentiæ viri, licet verisimiliter evidentia, *pag.*187. §. *Sero*.

Locum non habet cohabitatio triennalis. ubi de absoluta & perpetua constat impotentia, *p.*161. §. *Ex his*.

Incipit triennalis a decreto Judicis, *pag.*161. §. *Exceptione*, *pag.*187. §. *Sero*.

Et censetur expleta, si in majori cujusque anni parte tentata fuerit consumatio matrimonii, *pag.*187. §. *Sero*.

Sunt tamen, qui continuam, & officiosam requirunt cohabitationem, *pag.*161. §. *Exceptione*.

Causa matrimonialis, ad vitandam occasionem peccandi, celerem exigit expeditionem, *pag.*188. §. *Vindicant*.

Et contra virum contumacem proceditur per citationem ad valvas, vel confinia, *pag.*189. §. *Se absconderat*.

Quæ deducuntur pro nullitate, facilius suadent dissolutionem matrimonii per dispensationem ab eo rato, & non consumato *pag.*189. §. *Quatenus*.

Justa dispensandi causa est intacta mulieris virginitas, *ibid.*

Periculum etiam incontinentiæ, *ibid.*

Et odium natum ex divortio, *ibid.*

Pluraque sunt hujusmodi dispensationis exempla, *ibid.*

MISSA.

Prima Missa ante ortum Solis celebranda est cum expositione Doctrinæ christianæ pro agricolis, *pag.*79. §. *Nullam*.

Servanda est celebratio Missæ certa hora, ubi commodum respicit Populi, *pag.*120. §. *Apertissima*.

Remitti tamen valet hujusmodi obligatio favore Xenodochii, ne majori gravetur celebrantis stipendio, *pag.*120. §. *Difficultas*.

Utilior est Animæ Fundatoris præsens Missarum celebratio, quam perpetuæ Capellaniæ gretio, vel ejus fundi ampliatio ex fructibus destinatis ad celebrationem, *pag.*18. §. *Utilior*, *pag.*39. §. *Aliter*, *pag.*62. §. *Agitur*, *pag.*196. §. *Ad secundum*, & *pag.*218. §. *Ad secundam*.

Ubi Testator certam non designavit Ecclesiam, liberum reliquisse censetur locum celebrationis Missarum, *pag.*110. §. *Arbitrium*.

Maxime si Ecclesiam designavit pro aliis piis operibus, *ibid.*

Et accedat observantia, *ibid.*

Voluisse vero præsumitur celebrationem in Ecclesia sibi prædilecta, *pag.*111. §. *Præcipua*.

Prædilectionis argumenta sunt constructio Ecclesiæ, & fundatio perpetuæ capellaniæ. *ibid.*

Potissimum si fit mentio ejusdem Ecclesiæ in præcedenti parte testamenti, *ibid.*

Et his concurrentibus non attenditur discretiva, *ibid.*

In quolibet dubio volita censetur Missarum celebratio in Ecclesia titulari, *ibid.*

Missarum celebratio in designata Ecclesia, certisque diebus majorem exigit eleemosynam, *pag.*116. §. *Quod si*.

Earumque applicationem voluisse præsumitur, qui certum assignavit stipendium, *pag.*116. §. *Si de oneribus*.

Induci nequit obligatio celebrandi Missas diebus festis expresso deficiente Fundatoris præcepto, *pag.*112. §. *Si ex litera*.

Deficiente fundo abolendum est Missarum legatum, *pag.*163. §. *Licet*.

Si fundus vero in commodum cessit Ecclesiæ, eo etiam non existente adimpleri debet Missarum onus, *pag.*166. §. *Deliberandum*.

Missarum translatio denegatur, si difficilis non sit illarum celebratio in designata Ecclesia, *pag.*41. §. *Res profecto*.

Hac vero concurrente difficultate conceditur, *pag.*42. §. *At posito*.

Ad Ecclesiam vero ab Ordinario designandam, *ibid.*

Difficile conceditur ab Ecclesia tumulante, *pag.*260. §. *Institutionem*.

Permittitur tamen ubi incommodum non afferat Ecclesiæ, a qua, & commoda sit Ecclesiæ, ad quam, *ibid.*

Ex immemorabili Missarum celebratione acceptum per Regulares censetur illarum legatum de licentia Superiorum Ordinis, *pag.*121. §. *Hæc equidem*.

Licet Benedictus XIV. in Encyclica *Cum semper oblatas* expresse non retractaverit privilegia, & indulta applicandi Missam conventualem diebus tantum festis, ita ut ea servasse videatur, *pag* 256. §. *Ex duplici*.

Amplissi-

Ampliſſimæ tamen clauſulæ ejusdem Encyclicæ, cujuſcumque conſuetudinis abrogatoriæ, ipſa etiam aſſiciunt privilegia, *pag.*257. §. *Notandum*.

In eadem Encyclica præscribitur quotidiana Miſſa conventualis, non obſtante onere aliarum Miſſarum cum cantu, *ibid*.

Plures etiam juxta rubricam celebrandæ ſunt Miſſæ conventuales in Cathedralibus, & Collegiatis, *pag.*246. §. *Petitioni*.

Juſta vero de cauſa conceditur indultum celebrandi unicam conventualem, *pag.*247. §. *Ob graves*.

Et libera etiam ſecundæ, & tertiæ applicatio, *ibid.*

Miſſam conventualem applicare tenentur Dignitates etiam inſignis Collegiatæ, *pag.* 79. §. *Agitur*.

A culpabili Miſſarum omiſſione denegatur abſolutio, *pag.*167. §. *Agitur*.

Omittentem vero excuſat impotentia, *ibid.*

Concedere valet Summus Pontifex Sacerdoti impedito licentiam celebrandi Miſſam ſedendo, *pag.*258. §. *Sua autem*.

Et plura in id ſunt exempla, *ibid.*

MONS PIETATIS.

Ex conſtitutione Leonis X. *Inter multiplices*, edita in Concilio V. Lateranenſi, permittitur Monti Pietatis uſurarum exactio pro ſtipendio Miniſtrorum, aliiſque ſumptibus, *pag.*107. §. *Conſtitutionem*.

MULTÆ.

In nonnullis olim caſibus ſibi Judices eccleſiaſtici applicare poterant Multas, *pag.*88. §. *Veteri*.

Ex diſpoſitione vero *Sacri Concilii Tridentini* applicandæ ſunt Locis piis, vel fabricæ Eccleſiæ, *ibid.*

Neque aliter eas applicare valet Episcopus abſque Beneplacito Sacræ Congregationis, *pag.* 89. §. *Quoad ſummam*.

Erogari nequeunt Multæ in Sacras Supellectiles, quas in defectum peculiaris reditus, & ob inopiam Capituli parare tenetur Epiſcopus, *pag.* 88. §. *Veteri*.

Applicari tamen valent Epiſcopo indigenti, *pag.* 89. §. *Suam*.

Qui nempe ex reditibus Epiſcopatus ſufficientem non habet ſuſtentationem, *ibid.*

Et pauper dicitur Epiſcopus, qui Congruam non habet ſcutorum 1000., *pag.*89. §. *Ad hanc*.

Ei vero applicandæ non ſunt ad indefinitum tempus, & indefinitam ſummam, *ibid.*

Applicari etiam valent in levamen indigentis Epiſcopi manutenzioni ſacrorum utenſilium, *pag.* 89. §. *Suam*.

PATRONUS.

Immutare nequit qualitates Beneficii, *pag.* 99. §. *Ut Canonicatus*.

Niſi augeat dotem, & conſenſus accedat Epiſcopi, *ibid.*

Facile admittenda non eſt Beneficii devolutio in pœnam negligentis Patroni, *pag.*212. §. *Quæſtionem*.

Favendum potius Patrono, quam impetratori Beneficii, *ibid.*

Spes obtinendæ prorogationis impedit curſum termini ad nominandum Beneficiatum, *ibidem*.

Dummodo honeſta ſit illius petitio, *pag.*213. §. *Adverſus*

Prorogatio facultatis nominandi, veluti relativa ad preces, initium ducit a tempore in precibus expreſſo, ne reddatur illuſoria, *pag.*212. §. *Subſequens*.

Prorogatio conceſſa poſt expiratum nominationis terminum inutilis eſt abſque reſtitutione in integrum, *pag.*213. §. *Aliam*.

Ex ſuperfluis fructibus Beneficii debentur alimenta pauperi Patrono, *pag.* 234. §. *Patrono*.

Patronus adminiſtrator reddere tenetur rationem intereſſe habentibus, & Epiſcopo, *pag.* 241. §. *In exercenda*.

Vid. Juspatronatus.

PROCURATIO.

Debetur Epiſcopo viſitanti ab omnibus, qui viſitationem ſubeunt, *pag.*231. §. *Nituntur*.

Inopia excuſat ab ea contribuenda, *pag.*231. §. *Urgent*.

Legitima attenditur Beneficiatorum conſuetudo non contribuendi procurationem cum Parochis, *ibid.*

Sed eſt concludenter probanda, *pag.* 231. §. *Nituntur*.

Immo nec immemorabilis prodeſt abſque petitione contributionis, contradictione, & acquieſcentia, *ibid.*

Conſuetudo non ſolvendi procurationem inducí valet contra Epiſcopum, non item per ſimplicem negativum ſolutionis actum inter coobligatos, *pag.*232. §. *Neque ad rem*.

PROFESSIO.

Irrita eſt ſententia nullitatis profeſſionis promulgata a Vicario capitulari in executionem Pontificij Brevis ſuper reſtitutione in integrum directi Vicario Generali, *pag.* 69. §. *Nullam*.

Maxime ſi præſentatum ei non fuerit Breve, *ibid.*

Et non ſervaverit formam delegationis, *pag.*69. §. *Tertiam*.

Valida

Valida tamen eſt, ubi delegatus non fuit Vicarius Generalis ratione perſonæ, ſed officii, *pag.*70 §. *Sententiam*.

Licet ex generali juris regula nulla ſit ſententia ob defectum citationis, *pag.* 69. §. *Secundum*.

Regula tamen hæc fallit in ſententia nullitatis profeſſionis, edita in ſequelam reſtitutionis in integrum, *pag.*70. §. *Defectum*.

Poſt conceſſam enim reſtitutionem in integrum ulterior proceſſus remanet quodammodo cœremonialis, *ibid.*

Neque requiritur rei cognitio, quæ citationem exigit Partis, *pag.* 70. §. *Et hac ſane*.

Sententia nulla ſuper jam conceſſa reſtitutione in integrum, non vitiat alteram ſuper nullitate profeſſionis, *pag.*71. §. *Omitti*.

Poſt irretractabilem executionem ſententiæ ſuper nullitate profeſſionis, concedenda eſt ejus ſanatio, *pag.*71. §. *At poſita*.

REDUCTIO.

Duo ſecundum Tridentinam Synodum ſunt reductionis Miſſarum caſus, quod tam magnus nempe in aliqua Eccleſia ſit illarum numerus, ut nequeat adimpleri, vel adeo tenuis ſit eleemosyna, ut difficile inveniatur, qui eas celebrare velit, *pag.*261. §. *Translationis*.

Ubi reditus idcirco pares ſunt oneri denegatur reductio, *pag.* 21. §. *Adhuc*, & *pag.* 244. §. *Qualis*.

Quandoque vero conceditur favore pauperum conſanguineorum Teſtatoris, *pag.* 21. §. *Adhuc*.

Denegatur etiam poſt diuturnum adimplementum, *pag.* 62. §. *Deliberandum*, *pag.* 206. §. *Statim*, *pag.*244. §. *Qualis*, & *pag.* 248. §. *Oratori*.

Ubi vero emolumentum non reſpondet oneri, conceditur etiam poſt acceptationem, & adimplementum, *pag.* 248. §. *Oratori*.

Facile privandi non ſunt Teſtatores ſuffragiis per reductionem Miſſarum, *pag.*261. §. *Tranſlationis*.

Difficilis eſt reductionis reductio, *pag.* 206. §. *Statim*, & *pag.*217. §. *Jam ſemel*.

Reducenda non ſunt onera per contractum aſſumpta, *pag.*206. §. *Statim*.

Onera legati pii reduci debent ad æquitatem, *pag.*17. §. *Animadverſionem*.

Conceditur Miſſarum reductio ob imminuta capitalia, vel fructus abſque culpa poſſeſſoris, *pag.* 207. §. *Plurimum*, & *pag.* 244. §. *Aliter*.

Favore præſertim Parochiæ, *pag.* 244. §. *Aliter*.

Ubi nempe difficilis ſit ejus proviſio, *ibidem*.

Atque etiam favore pauperis obligati, *pag.*207. §. *Plurimum*, & *pag* 263. §. *Licet*.

Conceditur quoque ob aucta rerum pretia, *pag.*244 §. *Aliter*.

Reducitur Miſſa conventualis ad dies feſtos ob tenuitatem redituum, *pag.*247. §. *Ob graves*, & *pag.*256. §. *Ex duplici*.

Si cujuſque nempe Canonici reditus non excedit ſcuta triginta, *pag.*247. §. *Ob graves*, & *pag.*257. §. *Notandum*.

Alia potius reducenda ſunt onera, quam Miſſæ, *pag.* 207. §. *Si indulgendum*, & *pag.* 248. §. *Oratori*.

Secus ubi principaliter reſpexit Fundator ad ſervitium Chori, *pag.*181 §. *Quatenus*.

Ante inſtitutionem Capellaniæ reducuntur Miſſæ ad taxam perpetuæ, *pag.* 62. §. *Deliberandum*.

Ob defectum etiam Capellani, qui tenuem accipiat Capellaniam, *pag.*17. §. *Animadverſionem*, & *pag.*217. §. *Jam ſemel*.

Reduci ſolent Miſſæ in levamen Loci pii, *pag.* 166. §. *Altera*, & *pag.* 181. § *Quatenus*.

Et quandoque fit ejus favore reductio Miſſarum cum cantu ad lectas, *pag.*207. §. *Si indulgendum*.

Ob levem culpam conceditur abſolutio a præterita Miſſarum omiſſione, *pag.*208. §. *Hæc*.

Et ob paupertatem omittentis, *ibid.*, & *pag.*263. §. *Hæc quoad futurum*.

TESTAMENTUM.

Reciprocum teſtamentum irrevocabile eſt ſecundum aliquos favore cauſæ piæ, *pag.*38. §. *Quo vero*.

Contrarium verius ob naturam actus revocabilis uſque ad mortem, *ibid.*

Mutare nequit ſuperſtes reciprocam alterius diſpoſitionem, *pag.*39. §. *Aliter*.

Neque juſtam præbet commutandæ diſpoſitionis cauſam minus ſolennis prædefuncti diſponentis declaratio, *ibid.*

FINIS

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1794.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXIII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCXCIV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

THESAURUS

RESOLUTIONUM

SAC. CONGREGATIONIS

CONCILII

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1794. per Diæceſes diſpoſitus.

A

AMmpurien. ſeu Emporien. Reductionis Miſsarum 15 Martii, & 5. Aprilis *pag.* 63. & 68.
Anglonen. & Turſien. Irregularitatis 25. Januarii *pag.* 5.
Apiana Reductionis Miſſarum 20. Septembris *pag.* 252.
Ari inen. 21. Junii *pag.* 146.
Aſculana 16. Auguſti, & 20. Septembris *pag.* 236. & 239.
Aſten. Translati nis Miſſæ 31. Maii *pag.* 117.
Auximana Legati 12. Julii *pag.* 171.

B

BErgomen. Irregularitatis 31. Maii, & 21. Junii *pag.* 131. & 133.
Bononien. Commutationis Voluntatis 21. Junii *pag.* 139.

C

CAmerinen. Abolitionis Legati Miſſarum, & Abso'utionis 25. Januarii *pag.* 1.
Camerinen. Matrimonii 20. Septembris *pag.* 239.
Caſſanen. Miſſæ Conventuali, & pro Populo 20. Septembris, & 22. Novembris *pag.* 260. & 263.
Chien. Matrimonii 21. Junii, & 16. Auguſti *pag.* 133. & 228.
Civitatis Caſtelli Capellaniæ 16. Auguſti *pag.* 234.
Civitatis Caſtelli Capellaniæ 22. Novembris *pag.* 264.

D

DErthonen. Commutationis Voluntatis 10. Maii *pag.* 93.

E

ECcleſien. 16. Auguſti *pag.* 188.
Eugubina Manſionariæ 5. Aprilis, & 20. Septembris *pag.* 73. & 243.

F

FAnen. Reductionis Miſſarum 10. Maii *pag.* 102.
Faventina Capellaniæ 21. Junii *pag.* 144.
Faventina Irregularitatis 22. Novembris *p.* 273.
Ferentina Viſitationis Sac. Liminum 15. Martii, & 5. Aprilis *pag.* 50. & 67.
Feretrana Irregularitatis 15. Martii, 5. Aprilis, & 22. Novembris *pag.* 61. 68. & 276.
Ferrarien. Miſſarum 10. Maii *pag.* 97.
Firmana Subſidii Dotalis 8. Februarii, & 15. Martii *pag.* 34. & 43.
Firmana Emphyteuſis 10. Maii *pag.* 86.
Firmana Reductionis Miſſarum 21. Junii, & 12. Julii *pag.* 150. & 155.
Forosempronien. Reductionis Miſſarum 5. Aprilis *pag.* 69.

I

JAnuen. Matrimonii 25. Januarii, & 15. Martii *pag.* 2. & 46.
Imolen. Legati Pii 20. Septembris *pag.* 244.

M

MAceraten. Reductionis Miſſarum 12. Julii *pag.* 163.
Mediolanen. Canonicatus 31. Maii, & 21. Junii *pag.* 128. & 133.
Melevitana Subſidiorum Dotalium 12. Julii, & 16. Auguſti *pag.* 183. & 188.
Montis Faliſci Jubilationis 6. Decembris *p.* 295.
Montis Politiani Capellaniæ 5. Aprilis, & 10. Maii *pag.* 80. & 85.

N

NEpeſinæ Mediæ Annatæ 16. Auguſti *p.* 233.
Nolana Irregularitatis 6. Decembris *pag.* 300.
Novarien. Translationis, & Reductionis Miſſarum 25. Januarii *pag.* 1.
Novarien. 25. Januarii, & 8. Februarii *pag.* 16. & 23.
Nucerina Commutationis Voluntatis, & Tranſactionis 15. Martii, & 5. Aprilis *pag.* 55. & 68.
Nullius Guaſtallæ Canonicatus 31. Maii *p.* 122.
Nullius Terræ Pontiani Subſidiorum Dotalium 16. Auguſti *pag.* 229.

O

ORiolen. 6. Decembris *pag.* 287.

Par-

P

Parmen. 10. & 31. Maii *pag.* 105. & 111.
Parmen. Reductionis Onerum 12. Julii, & 16. Augusti *pag* 175. & 187.
Pientina Cessionis 22. Novembris, & 6. Decembris *pag* 278. & 283.
Placentina Reductionis Missarum 25. Januarii, & 8. Februarii *pag.* 11. & 23.
Placentina Commutationis, & Translationis Onerum 21. Junii *pag.* 135.
Placentina Suspensionis Onerum 22. Novembris *pag.* 268.

R

Reatina Capellaniæ 8. Februarii *pag.* 24.
Reatina Mediæ Annatæ 10. Maii *pag.* 90.
Recineten. Parochiæ 12. Julii, 16. Augusti, & 20. Septembris *pag.* 155. 238. & 239.
Ripana Emphyteusis 10. & 31. Maii *pag.* 109. & 111.
Romana Subsidiorum Dotalium 25. Januarii, & 31. Maii *pag.* 6. & 126.
Romana, seu Auximana Subsidiorum Dotalium 8. Februarii, & 15. Martii *pag.* 17. & 44.
Romana Alimentorum, & Subsidii Dotalis 15. Martii *pag.* 44.
Romana Dotium 31. Maii *pag.* 120.
Romana Subsidiorum Dotalium 31. Maii *p.* 126.
Romana Subsidiorum Dotalium 12. Julii *p.* 159.
Romana Suspensionis Missarum 6. Decembris *pag.* 283.

S

S. Miniatis 20. Septembris, & 22. Novembris *pag.* 258. & 263.
Segovien. 25. Januarii, & 8. Februarii *pag.* 14. & 23.
Senogallien. 5. Aprilis, & 10. Maii *pag.* 76. & 85.
Senogallien. Taxæ Seminarii 6. Decembris *pag.* 292.
Senogallien. Oneris Missarum 6. Decembris *pag.* 298.
Spoletana Subsidii Dotalis 8 Februarii *pag.* 27.
Sutrina Baptismi 12. Julii *pag.* 165.
Sutrina Missarum 22. Novembris *pag.* 274.
Sutrina 6. Decembris *pag.* 283.

V

Valentien. Ordinis Subdiaconatus 31. Maii *pag.* 112.
Veliterna Reductionis Onerum 25. Januarii, & 8. Februarii *pag.* 19. & 24.
Veliterna Subsidiorum Dotalium 8. Februarii *pag.* 33.
Viterbien. Reductionis Missarum 22. Novembris, & 6. Decembris *pag.* 280. & 283.
Urbevetana Administrationis 20. Septembris *pag.* 255.
Urbinaten. seu Ariminen. 15. Martii, & 5. Aprilis *pag.* 47. & 67.
Urbinaten. Servitii Chori 21. Junii, & 12. Julii *pag.* 152. & 155.

Die Sabbathi 25. Januarii 1794. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NOVARIEN. TRANSLATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. An sit locus translationi Missarum in casu &c.

Et quatenus affirmative.

II. An, & quomodo sit locus illarum reductioni in casu &c.

Ad I. & II. Negative.

CAMERINEN. ABOLITIONIS LEGATI MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. An sit locus abolitioni oneris Missarum quo ad fiuturum in casu &c.

II. An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.

Ad I. Negative quoad abolitionem, & esse locum suspensioni ad decennium, celebrata quotannis unica Missa.

Ad II. Affirmative celebratis Missis decem pro unica vice.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.

JANUEN. MATRIMONII. Quum Marchio Paulus Franciscus Spinula eam tandem exhiberet sui corporis recognitionem, a qua semel in causa Brignole, iterumque in prima hujus litis instantia refugerat, Sacra idcirco hæc Congregatio rescripsit sub die 20. Julii elapsi anni: *Dilata, & ad D. Secretarium pro explendo examine Marchionis Pauli Spinula, & præfixione termini unius mensis ad recognitionem corporis ejusdem Marchionis; qua peracta, fiat nova recognitio corporis Marchionissæ Hieronymæ Mari juxta instructionem dandam a D. Secretario, cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis, etiam pro deputatione Peritorum.* In exequutionem igitur hujusce rescripti expletum præ omnibus fuit Marchionis examen; & licet ad *quintum*, *decimum*, & *decimum septimum* interrogatorium potentem se asseruisset virum, omnibusque potentis viri partibus cum uxore functum, hæc tamen super eodem interrogatorio *quinto*, & *decimo quarto* dixit; prima nempe condormitionis nocte neque matrimonii consumationem tentasse, quia *tutto era l' istesso il tentarla o nella prima notte, o in una successiva*; ac talem deinde in conjugali palestra fuisse, ut *non posso asserire di aver pienamente consumato il matrimonio, nè asserire il contrario*.

Ventum hinc ad recognitionem ejus corporis, omnibusque ad excitandam venerem adhibitis assuetis, licitisque mediis, nullum omnino in virilibus apparuit elasticitatis signum, unoque ore Medici tres, totidemque Urbis Chirurgi ad id deputati retulerunt, quod Marchionis penis *restò immobile a fronte di tutti li sperimenti, e non mostrò mai segno di erezione, o semi erezione*, licet post calida generosi vini balneola aliquantulum tumuit, ut tumescere solet *qualunque parte del corpo tenuta nel bagno tiepido*. Talem autem virilium inertiam tribuerunt Periti musculorum erectorum paralysi, ob inveteratam ab infantia rachitidem in Marchione; eamque idcirco ex intima phisica censuerunt *immedicabile*, *invincibile*, *e perpetua*. Expleta tandem *servatis servandis* recognitione corporis Marchionissæ Hieronymæ, intactam in ea noverunt virginitatem Obstetrices tres. Atque ex utraque *judiciali* recognitione dubitandum amplius non esse contendunt Defensores Marchionissæ de absoluta Marchionis Pauli impotentia, ob quam ex notatis in Folio 20. Julii superioris anni, nullum,

lum, & dissolubile est matrimonium. Maxime quia Peritorum judicium ex iterato comprobatur non consumati matrimonii facto, neque cum Marchionissa scilicet Brignole, neque cum Marchionissa Mari, licet triennio cum una, quatriennio certaverit Marchio cum altera.

Altum contra Defensor matrimonii de Peritis queritur, quod *ex officio* interrogati, num secunda opus esset Marchionis recognitione, satis ad ferendum perpetuæ impotentiæ judicium censuerint primam. Non ad nutum, inquit, virilem quis ostendere valet potentiam, eoque minus potuit Marchio Spinula coram sex superciliosis Phisicis, & de mense augusto, quo calor in homine dissipatur, ac membra languescunt. Ad secundam fortasse, vel tertiam recognitionem promptiora erunt illius virilia, quæ secundum Peritos, visibili carent vitio. Pluraque Defensor ipse memorat iteratæ recognitionis exempla; nempe *in Romana Dissolutionis Matrimonii* olim acta in Sacra Rota, ut *in decis.* 10. & 11. *ad ornat. Card. de Luc. lib.* 14. *tom.* 2., aliisque similibus Causis actis in hac Sacra Congregatione, ac præsertim *in Januen. Matrimonii* inter Principem Joannem Andream ab Auria, & Principissam Thursiæ *diei* 22. *Augusti* 1739., *in Fanen. Matrimonii* 20. *Januarii* 1759., *in Forolivien. Dissolutionis Matrimonii* 8. *Augusti* 1761., & *in Asten. Matrimonii* 18. *Maii* 1776. Multum vero confidit in exemplo Principis ab Auria, eo quod visibili quoque carebat vitio, neque ullùm & ipse in prima recognitione dedit virilis potentiæ signum. Quædam postremo notat contra relationes Peritorum, ut originem potissimum a rachitide excludat paralysis in musculis erectoribus.

At ponderare dignentur Eminentissimi Patres, num secunda per Peritos neglecta Marchionis recognitio magis exploratam potius reddat illius impotentiam *immedicabile*, *invincibile*, *e perpetua*, quam in prima noverant *certa*, *indubitata*; *e non dubbiosa*, *incerta*, *ed equivoca*; & quid ex secunda, tertia, vel quarta recognitione de eo sperandum, qui non una tantum vice, sed plures per annos, & opportunissima concubitus occasione virilem non monstravit potentiam cum duplici eleganti puella *Brignole*, & *Mari*. Iterata quandoque fuit recognitio; sed ob vitium primæ, vel ubi impotentia viri, juxta casum Principis ab Auria, nedum ob externam virilium conformationem, sed ob defi-

cientia interioris frigiditatis indicia, declaranda erat *respectiva*, quæ veluti raro contingens, difficillimæ est probationis. Facile autem ex circumferendis Peritorum relationibus decerni poterit, num causa insanabilis paralysis in musculis erectoribus esse valeat rachitides; licet rheumaticis etiam concedere soleat Natura virilem potentiam, quam avare Marchioni Spinula denegavit.

Alia fuse lateque urgent Defensores Marchionis. Iis vero missis, quæ in prima etiam deduxerunt Propositione, nonnullos ad virilem probandam illius potentiam extrajudiciales producunt Peritos, & Testes. Medicus præ omnibus *Bonelli* pluries inspexisse ait Marchionis penem, eumque semel vidisse *assai tumefatto*; iterum *che MI PARVE, ed era in istato di una vera, sufficiente, e durevole erezione, mentre rimaneva costantemente teso, ed alzato in linea paralella all' orizonte*. Atque ex his testatur de ipsius Marchionis potentia *da potere a Dio piacendo tirare innanzi, e conservare la sua illustre Famiglia*. Medicus alter *Coronæ* vidisse etiam testatur penem erectum *in una linea paralella all' orizonte*, atque ex relaxato illius fræno (quod opera etiam fieri valet manus) desumit *un segno certo, ed indubitato, che l'asta virile ha combattuto*. Et Medicus *Adinolfi* post iteratas inspectiones animadvertit *una semierezione*. Tres adstipulantur Chirurgi. Horum unus, Ludovicus nempe *Paliani* observasse refert *astam virilem fortiter erectam, & validam per duos circiter minutos primos*. Alter *de Rubeis* eam vidit *in una lodevole semierezione*. Et Liborius *Angelucci* amphibologice inquit, *che l' asta si pose in qualche risentito vigore*. Vocemque postremo hujusmodi Peritorum repercutiunt Familiares duo Marchionis.

Quanti vero adversus judiciales valeant, quæ modo producuntur extrajudiciales, & inter se dissonæ peritiæ, EE. Vestræ decernent. Judicialibus certe feliciores fuissent extrajudiciales Periti, quod sine incitante ad venerem remedio, eam ad nutum fere Marchionis viderint penis erectionem, vel semierectionem, quam omnibus illi adhibitis medicæ, & chirurgicæ artis præceptis videre non potuerunt; idque viderint, quod triennio Marchionissa Brignole in primo matrimonio, quatriennio Marchionissa Mari in secundo expertæ nunquam fuerunt. In memoriam revocent Eminentissimi Patres similem casum decisum die 19. Januarii elapsi anni 1793. *in Aniconitana Matrimonii*. Dilationem po-

stu-

stulabat, novamque sui corporis recognitionem Comes Joseph Nappi, ut virilem probaret potentiam, de qua extrajudiciales quidam Periti, & Testes deponebant. At Sacra hæc Congregatio ad Dubium, *An constet de nullitate matrimonii*, judicialibus inhærendo Peritis rescripsit: *Affirmative. Quo vero ad dilationem, & novam recognitionem viri, nihil.*

Hæc super primo nullitatis matrimonii Dubio. Quo vero ad secundum super dispensatione a matrimonio rato, & non consumato; ea ipsa fere hinc inde deducuntur, quæ in prima Propositione. Resumpto igitur Folio 20. Julii superioris anni, iisque perpensis, quæ in respectivis habentur Scriptis, & in separatis extrajudicialium Peritorum *Animadversionibus*, & *Disertationibus*, quæ parato jam ad hoc imprimendum Folium prælo, ex parte Marchionis exhibitæ fuerunt, definiendum proponitur.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Provisum in primo.

ANGLONEN. ET TURSIEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Hujus Causæ species est in Folio 20. Julii, resolutio in sequenti 17. Augusti elapsi anni 1793. Ad Dubium enim, *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate*, in quam inciderat Sacerdos homicida Philippus Maghiocchini, rescripserunt EE. Vestræ = *Dilata*; & *Orator peractis Exercitiis spiritualibus per mensem in loco commodiori ab Episcopo designando, recurrat*. Hoc igitur adimpleto rescripto, iterum Magliocchinius supplicat pro dispensatione. Testatur profecto Anglonensis, & Tursiensis Episcopus, *Philippum Magliocchini Sacerdotem irregularem Terræ Spinusii . . in Conventu Patrum Minorum Observantium S. Francisci Terræ S. Martini a Nobis adsignato, spiritualia exer-*

exercitia cum omni exemplaritate, pietateque per mensem continuum . . peregisse; nec non a tempore patrati homicidii usque adhuc semper dedisse contritionis signa, ac fuisse bona vita, & moribus prædium. Ideoque eum censet *obtinendæ dispensationis ab irregularitate, qua innodatur, dignum, ut sic ferventius Deo inservire, ac cum Missarum stipendiis se alere honeste possit.*

Denuo itaque quæritur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

Sess. 22. cap. 6. & 11. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Jamdiu Bartholomæus Marliani cum congruis reditibus fundavit in Ecclesia S. Augustini Urbis Sodalitium S. Apolloniæ; eique imposuit onus dotandi quotannis puellas sex romanas cum subsidio florenorum 100., monetæ tunc in Urbe currentis, pro qualibet nubente in sæculo, totidemque scutorum pro nubente in Domino; pro qua tamen minui deberet aliarum numerus: alteramque de triennio in triennium præscripsit dotem florenorum pariter 100. pro puella oppidi Rodobii Vercellensis Diœcesis ad nominationem Communitatis ejusdem oppidi. Hæc disposuit per actum inter vivos. Testamento deinde jussit, ut erogari deberet in ornamentum Altaris, & celebrationem Festi S. Apolloniæ, vel tot alias dotes, quod præscriptæ superesset dotationi: omniaque confirmavit anno 1566. S. Pius V., qui in suis Apostolicis Literis ita novissimam refert dispositionem: *Et si dictis puellis prius dotatis aliquid ex reditibus assignatis hujusmodi superesset, illud in paramentis dicti Altaris comparandis, aut aliis puellis nuptui tradendis, prout ipsis Confratribus utilius videretur, expenderetur.* Ob reditus autem volventibus annis aliquantulum imminutos, per sententiam mandavit anno 1710. clar. mem. Cardinalis de Carpineo tunc Urbis Vicarius cum facultatibus Sacræ hujus Congregationis, ut nil amplius in ornamentum erogaretur Altaris, & celebrationem Festi. Quod ignorans, contrarium decrevit anno 1786. Sodalitii Congregatio, ut in eos sumptus nempe contri-

tribuere deberet hereditas Marliani annua scuta quindecim.

Fundatoris exemplum pii alii sequuti sunt Viri. Anno siquidem 1574. vineam Sodalitio per substitutionem reliquit Jacobus Coriolanus Cataneus sub lege erogandi ejus pretium in Loca MM., & distribuendi fructus in dotes juxta consuetudinem ipsius Sodalitii, & *a cose pie e misericordiose*. Anno rursus 1583. tradidit Petrus *della Foresta Gebenen.* Loca MM. triginta sub lege dotandi puellas tres romanas orbatas patre, & nubentes in sæculo, cum subsidio scutorum 35. pro qualibet; & dotandi ex cumulo superextantis reditus unius & alterius anni alias puellas duas, vel unam nubentem in Domino cum subsidio scutorum 100. Ex fructibus insuper Locorum MM. quatuor, quæ testamento anni 1588. reliquit Simon Egidj, tot pariter distribui jussit dotes. Hujusce vero legati fundus imminutus est ad Loca MM. duo (qua de causa ignoratur) & raro propterea distribuuntur dotes.

Tradito item capitali scutorum 1100., constituit Bartholomæus Rusconi anno 1593. cum conditionibus Fundatoris subsidia dotalia duo scutorum 40. pro puellis nubentibus in sæculo, vel scutorum 80. pro una nubente in Domino. Anno iterum 1622. heredem instituit Sodalitium Petrus Nicolaus Fantozzi matilicensis sub onere distribuendi tot dotes scutorum 35. inter puellas annorum saltem 18., quæ carerent patre; cum prælatione tamen puellarum descendentium à Matilica (quas inter anno 1691. hunc statuit ordinem clar. mem. Cardinalis Franzoni jam Urbis Vicarius; ut primum nempe haberent locum utroque orbatæ parente; secundum quæ carerent alterutro; tertium simplices oriundæ; & quarum respectu declaravit anno 1772. Sacra ista Congregatio, ut attendi deberet descendentia *usque ad quemcumque gradum in infinitum*) Eodemque tandem institutionis titulo tot anno 1624. ex fructibus suæ hereditatis præscripsit dotes Andreas de Alexandris *juxta requisita, & laudabiles ordinationes & Statuta dictæ Societatis. Dans tamen, & concedens eidem Societati facultatem & potestatem mutandi conditiones, & alia requisita, nec non dictam dotem, & dictas dotes conferendi quibus dictæ Societati visum fuerit, non obstantibus dictis Statutis.*

Accurate semper expletæ fuerunt hujusmodi dotationes, semperque distributæ: etiam sunt dotes ad Sodalitium de-

devolutæ. Quoniam vero non omnes dotes promissæ statim solvebantur, pluraque idcirco scutorum centena in sterili manebant deposito, depositam hinc summam investire consueverunt Sodales in Locis MM. ad creditum, liberamque dispositionem Antistitum Sodalitii, ut pareret interim fructus, libereque ad opportunum tempus ex pretio Locorum MM. solvi possent dotes; & ad annum 1786. insignem a sæculo & ultra acquisiverunt numerum Locorum MM. 90., & $\frac{90}{100}$, quæ summam currenti pretio constituunt scutorum 10169. 47. Detractis vero scutis 4856. pro dotibus solvendis ad totum annum 1791., superextat capitale scutor. 5313. 47., præter alia scuta 800. actu deposita. Ante annum 1786. fieri solebant ex fructibus dd. Locorum MM. expensæ omnes Sodalitii. At illos eo anno erogare decrevit Sodalium Congregatio in anniversarium pro defunctis Deputatis, & in tot dotes scutorum 25. ad liberam collationem Deputatorum pro tempore; utque major esset hujusmodi dotium numerus, certam pro expensis cuique legato imposuit summam, in totum scutorum 55. 05., cum detrimento dotium fundationis.

Quum nuper autem dubitare cepissent Sodales de validitate jam exequuti decreti eorum Congregationis, *Sanctissimo* propterea supplicarunt pro absolutione, quatenus opus esset, a censuris; & facultate continuandi celebrationem anniversarii, liberamque collationem dotium ex fructibus superadditi capitalis Locorum MM., & non servatis legibus fundationum, a quibus investita provenit pecunia: precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, se defunctus Cardinalis Columna, decessor Urbis Vicarius, ad ea quo ad præmissum factum remisit, quæ in sua manuscripta *Informatione*, & *Summario* deduxerant Sodales, & a proprio abstinens voto, ex eadem *Informatione* desumi posse dixit *quæcumque sunt scitu, factuque in hac re necessaria.*

Ad obtinendam facultatem conferendi dotes absque legibus fundationum, & celebrandi anniversarium, notandum rogant Sodales, Loca MM., de quibus agitur, comparata fuisse per œconomicam ipsorum, eorumque Decessorum industriam cum pecunia, quæ ad solutionem promissarum dotium in sterili fuisset deposito; & quidem absque ullo vel minimo fundationum præjudicio, quum nulla unquam omissa fuerit præscriptarum dotium collatio. Æquum idcirco censent, ut erogentur superadditi reditus partim in eorum suffragium, qui

qui utile instituerunt infructiferæ pecuniæ investimentum, per unum nempe anniversarium; reliqui vero in dotalia subsidia, sed ad liberam Deputatorum collationem, qui investimentum continuarunt, & distributionem curant dotium. Maxime, quia moraliter impossibile est cuique tribuere fundationi, quod absque distinctione investitum fuit, ideoque statuere leges novæ collationis dotium.

Singulas vero Emi Patres ponderare dignentur petitionis partes, ut de illis decernant. Defuncti siquidem Deputati rem in conficiendis investimentis administrarunt Fundatorum. Si locum ergo habere debet anniversarium, pro iis potius celebrandum videretur, a quibus procedit investita pecunia. Nullus insuper ex Fundatoribus subsidiorum dotalium sollicitus fuit de expensis Sodalitii, si unum excipias Marlianum primum illius institutorem, qui ex redundantibus assignati capitalis fructibus supellectili consuluit Altaris S. Apolloniæ. Hujusmodi autem supellectilem præstat modo per confessionem Sodalium Conventus S. Augustini; & nulla apparet ratio, cur reditus majori ex parte provenientes a reliquis Fundatoribus dotium, in diversam erogari debeant causam expensarum Sodalitii juxta decretum Congregationis Sodalium anni 1786.. Æquius profecto videtur, ut fiant hujusmodi expensæ ex additis Locorum Montium fructibus, ut ante decretum. Ita enim integri fundationum reditus juxta præcisam erogarentur Fundatorum voluntatem; & vitaretur absurdum augendi numerum dotium liberæ collationis cum illarum imminutione, quæ certas ex fundatione habent leges. Expensæ de cetero, quæ ex iis fierent Locorum Montium fructibus, quasi ex singulis fieri censerentur legatis, a quibus Loca Montium procedunt;

Loca tandem hæc MM., veluti acquisita ex pecunia, dotalibus fundationum subsidiis destinata, in tot videri possent eroganda præsentes dotes: sed utilior forsan erit perpetua aliarum dotium distributio ex illorum fructibus; ad exemplum Ecclesiæ S. Antonini Nationis Lusitanæ, cujus Deputatis concessit Sacra hæc Congregatio die 23. Junii 1742. facultatem investiendi dotes devolutas, quas vocant *recadentias*, ad augendum subsidiorum numerum, *in Romana lib.* 92. *Decret. pag.* 397. *terg.*. Quatenus autem indulgeri pariter velit Sodalitio S. Apolloniæ levior facultas augendi numerum dotium

ex jam facto Locorum MM. investimento, præ omnibus in hoc casu redintegranda videntur ex eodem investimento Loca MM. duo legati Egidj, quod ob passum decrementum raro adimpletur : nam hujus etiam legati reditus investiti forsan cum aliis fuerunt. At difficultas est circa liberam, quam Sodales postulant, novarum dotium collationem. Ut iterum enim, atque iterum notatum est, provenit capitale illud ex respectivis reditibus Fundatorum : proindeque conferri potius deberent dotes secundum leges, quas Fundatores ipsi juxta naturam subsidiorum dotalium pro reliquis præscripserunt; quod conferantur nempe puellis pauperibus, romanis, & alterutro saltem orbatis parente; & aliæ puellis nubentibus in sæculo, aliæ nubentibus in Domino juxta respectivas fundationes, partito ab EE. Vestris numero.

Quod attinet ad præteritum : disposuerunt quidem Sodales de pecunia piorum operum per investimentum ad liberam ipsorum dispositionem, quodque magis est, ad proprium creditum; ejusdemque capitalis fructus contra formam erogarunt fundationum. Proindeque in censuras forsasse inciderunt *Sacri Concilii Tridentini ses. 22. cap. 11. de reform.* . Veniam altera ex parte mereri valent ob erroneam ceteroquin opinionem, quod facultas ipsis tributa quoad unam hereditatem Marliani, disponendi scilicet de superfluis reditibus sive in supellectiles Altaris, sive in alias dotes, *prout ipsis Confratribus utilius videretur*, ad alias extendi posset posteriores fundationes, a quibus etiam novum procedit capitale.

Respondere igitur placeat.

I. *An, & quomodo sint erogandi fructus Locorum MM., de quibus agitur in casu &c.*

II. *An, & quomodo ex iisdem fructibus sint conferenda subsidia dotalia in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Dilata.

PLA-

PLACENTINA REDUCTIONIS MISSARUM. Nicolaus Crollalanza Præpositus olim Collegiatæ Ecclesiæ S. Uldarici Placentiæ quatuor testamento anni 1744. Canonicatuum titulo instituit laicales Capellanias annui pro qualibet reditus placentinarum libellarum 600., seu scutorum 31. 58. monetæ romanæ, quotidiano duobus ex Capellanis, seu Canonicis imposito onere celebrandi in dicta Ecclesia Sacrum per se ipsos *stricto modo* ad Altare SS. Crucifixi, aliisque duobus ad Altare SS. Philippi Nerii, & Joannis Nepomuceni. Codicillis deinde anni 1746., abrogato in id testamento, fundari jussit post ejus obitum sub titulo pariter Canonicatuum, nisi ipse vivens fundasset, sex Beneficia ecclesiastica, totidem conferenda Sacerdotibus *attualmente tali*, imposuitque cuique Canonico onus hebdomadalium Missarum quatuor (comprehensis semper diebus festis de præcepto) ad designata ejusdem Ecclesiæ Altaria cum annuo stipendio libellarum 624., seu scutorum 30.84., quorum 18. 06. in eleemosynam Missarum, reliqua 14. 78. in fundum canonicatuum. Quatuor insuper erigi mandavit Præbendas, assignavitque Præbendariis sub onere celebrandi Sacrum singulis diebus festis, & assistendi Choro, prædium quoddam per ipsos administrandum tum pro Missarum stipendio, cum pro fructibus, quos vocant *grossi*. Institui demum voluit massam pro distributionibus ad quotidianam restituendam choralem residentiam, vel præcisam, vel saltem causativam, atque officiaturam more Cathedralis, quæ jam a duobus fere sæculis absoleverat; præscripsitque Capitulo annua quatuor anniversaria *di tante Messe per cadaun anniversario, quanti saranno li Signori Canonici, e Prebendarj, come sopra eretti, e fondati, compresovi il Signor Prevosto*. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Quemadmodum vero innuerat in codicillis, reipsa sequenti anno 1747. instituit vivens sub respectivo titulo, & cum præcisa residentia Canonicatus, & Præbendas, cessitque capitalia pro massa distributionum. Missarum onus juxta codicillos confirmavit, dempta quoad Canonicos obligatione celebrandi per se ipsos in casu infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti per Capitulum approbandi: et reservavit sibi Beneficiorum omnium jus patronatus quoad viveret; deindeque heredi, & successoribus in primogenitura per ipsum ordinata; ac ultimo loco favore Capituli. Primo autem Canonicatui

catui sub titulo S. Philippi Nerii sortem in tot censibus assignavit libellarum 15000., seu scutorum 789. 47. $\frac{1}{2}$, annui reditus libellarum 750., seu scutor. 39. 47. $\frac{1}{2}$; cuique ex reliquis sortem libellarum 12000., seu scutorum 631. 58. annui reditus libellarum 600., seu scutorum 31. 58., iidemque semper hujusmodi reditus ad præsens fuere, licet secundum placentinum Episcopum, *aliquando imminuti: ex una enim parte hic fructuum census quinque in singula centena sortis non excedunt; ex alia vero si aliqui census redimantur, ut sæpe contingit, non semper adest Canonicis prompta occasio impendendi restituta capitalia in aliorum censuum tuta emptione; unde non raro sortes per plures menses fructus non pariunt. Quod si restitutæ sortes in emptione fundi stabilis impendi vellent; primo difficulter fundus valori modicæ sortis respondens posset occurrere; deinde fructus potius imminuerentur, quum hic fundi stabiles fere nunquam reddant quinque in singula centena pretii pro eorum emptione solvendi.*

Ob facilem igitur redituum imminutionem in redemptionibus censuum, sumptusque litium contra censuarios, & ob auctam ex taxa episcopali manualem Missarum eleemosynam solidorum 30., seu obulorum octo, fundationis tempore currentem, ad solidos 45., seu obolos duodecim, EE. Vestris supplicant Canonici pro aliqua reductione Missarum quatuor hebdomadarum, quibus ipsi gravantur, exceptis illis diei festi, eorumque instantiæ favet Episcopus in hæc verba: *Ex dictis plane elucet, quam hodie imminuta sit portio fructuum, quam Præpositus fundator, deducta Missarum eleemosyna* (in annuis scutis 18. 6.) *stare voluit pro dote, & sustentatione Canonicorum, ut clare habetur in erectionis instrumento: tempore enim erectionis, deducta eleemosyna Missarum juxta taxam a fundatore præscriptam, quæ uno fere obolo superabat eleemosynam manualem tunc currentem, supererant pro sustentatione cujuslibet Canonici scuta 13. 52., hodie vero aucta eleemosyna, ut supra, supersunt tantum scuta 6. 95. Hisce præmissis; attento gravi onere residentiæ quotidianæ præcisæ, quo premuntur Canonici oratores; attenta tenuitate quotidianarum distributionum, quæ duo scuta cum dimidio in mense vix, aut ne vix quidem excedunt; attento pleno consensu Patroni Canonicatuum per me auditi, ac fatentis, se libenter acceptarum quamlibet redu-*

reductionem, quæ Sanctissimo placuerit, censeo, Oratoribus ipsis ex speciali gratia benigne concedendam petitam reductionem præfatarum quatuor Missarum in hebdomada ad tot annuas Missas, quot cum præmissa summa scutorum 18. 6., a fundatore primitus pro Missarum stipendio destinata, celebrari poterunt cum eleemosyna manuali hìc per tempora currente; retento tamen adamussim rigoroso onere in Canonicis celebrandi singulis diebus festis de præcepto in præfata Ecclesia, & designatis respective Altaribus per se ipsos, vel obstante impedimento juxta dispositionem fundatoris, per alios, nunquam dilata, nec in dies profestos rejecta celebratione.

Præter stipendium Missarum in annuis scutis 18. 6.; præbendam habet scutorum 21. 41. $\frac{1}{2}$ primus Canonicus sub titulo S. Philippi Nerii, & scuta circiter 30. ex distributionibus quotidianis, quæ integre forsan ab eodem proveniunt Crollalanza, qui illarum massam constituit. Alii vero Canonici quinque, licet minorem habeant præbendam scutorum 13. 52., pares tamen ultra eleemosynam Missarum consequuntur distributiones. Ponderandum ergo, num ob actum celebrationis stipendium, reductionem Missarum mereantur, qui compensationem ex præbenda, & distributionibus recipiunt, honesteque ex illis vivere queunt. Factum accedit Oratorum: nam ultro Canonicatus acceperunt, & onera omnia, præsertim Missarum, cum eodem fundationis reditu ad hæc tempora adimpleverunt. Facile siquidem post acceptationem, & adimplementum concedenda non est reductio, ut antiquioribus omissis Sacræ hujus Congregationis resolutionibus, recentes sunt negativæ casus *in Novarien. Reductionis Missarum*, & *Absolutionis* 12. *Maii*, & *in Camerinen. Reductionis Missarum* 16. *Junii* 1792.

Secrevit contra Fundator stipendium Missarum a præbendis, & distributionibus, illudque in ea constituit summa, quæ ad manualem tunc currentem pro quatuor sufficiebat hebdomadalibus Missis. Augmentum itaque manualis, quod minorem patitur Missarum numerum, librandum fortasse est juxta votum Episcopi cum summa scutorum 18. 06., *taxative* in hanc causam assignata, non item cum præbendis, & distributionibus, quæ grave aliud habent correspectivum onus quotidianæ, & præcisæ residentiæ, neque ex-

nota

notatis in facto tales sunt, ut congruam Canonicis præbeant sustentationem. In his porro terminis deliberare dignentur Emi Patres, num *ex speciali* saltem *gratia*, ut censet Episcopus, concedenda sit petita reductio, æquando scilicet Missarum numerum cum assignato stipendio ad præsentem Placentiæ manualem. Quoties enim onus non respondet emolumento, post acceptationem etiam, & adimplementum conceditur reductio, ut *in Albinganen. 12. Decembris* 1778., *& in Lunen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris elapsi anni* 1793. Eo magis vero indulgeri posset Oratoribus, si servaretur Missarum celebratio diebus festis, ut proposuit Episcopus; nam de hoc potissimum solicitus fuit Fundator in testamento, codicillis, & instrumento erectionis Canonicatuum.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess.24.cap12 de Reform.

SEGOVIEN. Canere hactenus consuevit Segoviense Capitulum nonam, vesperas, & completorium pomeridiana hora secunda cum dimidia. Quum hoc autem, æstivo præsertim tempore, grave admodum, nocuumque sit interessentibus, supplicat idcirco Capitulum pro ea differenda Divini Officii parte ad horam tertiam cum dimidia a die 3. Maii ad totam cujusque anni diem 14. Septembris; & hæc habet Segoviensis Episcopus: *Capitulum demuo per suffragia secreta de mutatione egit, omnesque, tribus demptis, mutationem volunt. Usu & consuetudine receptum est prædictas horas canonicas hora secunda, & dimidia cantare; idcirco mutatio non est Constitutionibus contraria. In Ecclesia Cathedrali Abulensi, quæ vicinior est, cujusque aeris temperies simillima, nona, vesperæ, & completorium hora tertia & dimidia persolvuntur. Ex mutatione nullum Populo scandalum, aut detrimentum præbebitur. Demum existimo, preces veras esse; nam Canonici, & alii frequentius, commodius-*

diusque prædictis horis adesse procul dubio possunt, si in horam tertiam & dimidiam, qua calor æstivus declinat, transferantur.

Recitandum est Divinum Officium congruis horis, ita ut quælibet canonica hora gradatim respondeat horæ diei, ut ex *cap.2. de offic. Archipresbyteri*, notat *Fagnan. in lib.3. Decretal. cap.1. de celebrat. Miss. numer.6.* Nonæ igitur, & vesperis congruentior est hora secunda cum dimidia promeridiana juxta consuetudinem Segoviensis Capituli; facileque idcirco mutandum non videtur, quod ab eo secundum canonicam legem servatur, *Fagnan. in lib.1. Decretal. cap. consuetudines, de consuetud. num.14.* At hora tertia cum dimidia, ad quam transferri postulat Capitulum promeridiani Officii cantum, magis proxima est horæ completorii, quod in memoriam sepulturæ CHRISTI præcedere debet Solis occasum, *Francolin. de hor. canon. part.1. cap.18.* Quemadmodum ergo una modo completorium cum nona, & vesperis anticipatur hora, ita nona etiam, & vesperæ una protraherentur hora cum completorio; ac levis propterea esset exigui temporis mutatio. Gratiam hanc mereri posset Capitulum ob grave æstivi caloris incommodum in accessu ad Chorum pomeridiana hora secunda & dimidia; ob Constitutiones capitulares variationi non resistentes; & quia, Episcopo teste, *ex mutatione nullum Populo scandalum, aut detrimentum præbebitur*. Ex his porro, similibusque de causis permittitur in recitatione Divini Officii horarum mutatio, *Brasch. in prompt. synod. cap.86. num.18. & seq., Ceccoper. lucubrat. canon. lib.2. num.20., Benedict. XIV. instit. 107. §.4. num.20.* Atque exemplum est in *Abulen. Servitii Chori 23. Januarii 1790.*

Deliberandum itaque proponitur.

An, & qua hora sint canenda nona, vesperæ, & completorium in casu &c.

NO-

Sess. 21. cap. 5. & sess. 24. cap. 13. de Reform.

NOVARIEN. Postremis tabulis anni 1692. mandavit Franciscus Viarana heredi scripto Carolo Philiberto Scolari, ut annuum constitueret reditum libellarum imperialium 700., seu scutorum 84. monetæ romanæ pro duplici quotidiana Missa in parochiali Ecclesia S. Jacobi Matiati superioris, una nempe in commodum villicorum sub auroram, altera circa secundam, vel tertiam diei horam arbitrio celebrantis; eique insuper jussit, ut alias quotannis erogaret libellas 300., seu scuta 36. in sex dotandas pauperiores puellas. Utrumque hoc pium legatum neglectum aliquanto fuit ab ipso Carolo Philiberto, multoque magis a Sacerdote Josepho Scolari ejus successore, & de anno 1785. ascendebat omissio ad dotes octoginta tres, & Missas 3022., quæ summam in unum constituebant libellarum 7072., seu scutorum 848. 64. . Monitionibus vero decessoris Episcopi Novariensis in Sacris Visitationibus, conscientiæque stimulis incitatus, anno tandem 1791., quo Episcopalis Sedes vacabat, cessit Sacerdos Joseph parochiali Ecclesiæ, annuente Vicario Capitulari, tot bona valoris libellarum 7072. cum onere supplendi omissiones. At Parochus Franciscus Maria Minelli, & curator fabricæ Ecclesiæ Joseph Vignola EE. Vestris supplicarunt pro applicatione dictorum bonorum in manutentionem fabricæ, sacræque supellectilis; et postulavit Sacerdos Scolari absolutionem a præteritis omissionibus, quas per cessionem supplevit.

Hodiernus Episcopus refert, quod *Matiati Ecclesia, quæ nullum agnoscit Patronum, pro sui manutentione dotem non habet. nec præter Fidelium eleemosynas, alia suppetunt media ad parandum necessaria pro Divinorum ministeriorum celebratione. Super Beneficii parochialis reditibus ne denarium quidem in eam causam assignare liceret, Quandoquidem fructus certi vix scutorum sex & sexaginta, incerti vero sexdecim monetæ romanæ valorem attingunt, deductis deducendis; unde sat modica Rectori sustentatio obvenit. Nullum præterea Beneficii simplicis, vel alterius titulum præter parochialem continet. Capellaniæ nomen dat vulgus utrique institutioni Missæ quotidianæ a dicto Viarana invectæ: verum manualem duntaxat eleemosynam pro unaquaque Missa Scolari Familia persolvit; unde supra modicum id, quod Ecclesiæ manutentionis titulo pro earumdem Missarum celebratione tribuitur, nil plu-*

pluris sperandum. Parochianos tandem ut ut propriæ Ecclesiæ devotos, satis superque pro viribus, quantumvis parum ad opus, oblationibus præstare constat. Porro oblationes hujuscemodi, quæ ad summum scuta quindecim romana in annum præstant, ne pro dimidietate quidem expensarum sufficere exploratum est: scuta enim ad minus quadraginta quinque expostulat olei, & cereæ, & sacræ supellectilis universæ comparatio, & restauratio, prout ex jurata fide dignorum testium assertione mihi est comprobatum. Inde fit, ut Ecclesiæ fabrica ære alieno pernecesse prægravetur, cui nescio quomodo, & quando satisfieri valeat.

Atque in hæc concludit verba: *Ex his jam patet EE. Vestris, quid in proposito sentiam; veram nimirum adesse necessitatem, ut Oratoribus a summa Vestrum benignitate pro gratia rescribatur. Super dotibus, quarum solutio omissa proponitur, nemini jus quæsitum; quandoquidem neque promissæ, neque assignatæ cuiquam fuerunt: nil propterea sanctius, quam si in Domus Dei dotationem convertantur. Quo ad Missas vero, Defunctorum suffragiis sat fore consultum censerem, si fabricæ Ecclesiæ imponatur onus duarum Missarum in singulo mense, futuris quibusque temporibus implendum. Numerum hunc Missarum congruum reor, eo quod fructuum percipiendorum ex prædiis hac de causa traditis quartam ad minus partem sibi vindicet. Neque vero hinc fas erit dijudicare, fabricam Ecclesiæ fore plus æquo locupletem: vix enim est, ut scuta viginti quinque, deductis oneribus, sit inde perceptura, quibus si adjungatur tenuis oblationum quota, quæ & in dies minor certo certius erit ob temporum calamitates, sufficienter quidem erit Ecclesiæ necessitati provisum.*

Applicationi bonorum, de quibus agitur, dispositio adversatur juris canonici. Ea namque cessit Sacerdos Scolari ad omissas supplendas dotes, & Missas, ut voluntatem adimpleret Testatoris; facileque idcirco converti non debent in diversum fabricæ Ecclesiæ, & sacrorum utensilium usum; per *cap. tua nobis, de testam., Pignatell. consult.* 50. *num.* 1. *tom.* 6., *Scarfant. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 4. *tit.* 5. *tom.* 2. *in animad. num.* 1. Licet insuper dotem non habeat parochialis Ecclesia Matiati, aliaque omnia juxta Episcopum ad illius manutentionem deficiant media, annua

tamen ei ex oblationibus sunt scuta quindecim & alia consequi deberet scuta duodecim pro utensilibus duplicis quotidianæ Missæ ; nam præstanda sunt ex testamento annua scuta 42. pro qualibet , seu scuta sex ultra eleemosynam manualem . Quæ ergo deficiunt scuta 18. ad complendam summam scutorum 45. pro manutentione Ecclesiæ necessariam , suppleri possent (ut suppleta forsan fuerunt ante cessionem bonorum) ab illius Rectore, qui annua in oppidulo habet scuta 82. cum incertis , *deductis deducendis* .

Ex his contra Parochiæ reditibus *sat modica Rectori sustentatio obvenit* , ita ut ob defectum congrui subsidii *Ecclesiæ fabrica ære alieno pernecesse prægravetur* , *cui nescio quomodo* , *& quando satisfieri valeat* ; quemadmodum observat Episcopus , qui implicite etiam præstationem excludit utensilium , dum refert , quod *manualem dumtaxat eleemosynam pro unaquaque Missa Scolari Familia persolvit* . In his profecto terminis locus esse posset petitæ applicationi ; quum indigens parochialis Ecclesia favorem omnem mereatur ; exemplo Parochialis Meggiani , cui perpetuo EE. Vestræ quædam applicarunt Missarum legata *in Spoletana* 18. *Decembris* 1790. Maxime , quia nulli quæsitum est jus ad dotes , quæ incertis conferri deberent puellis in summa scutorum 498. , consulique posset in reliquis suffragio Testatoris per annuam tot Missarum celebrationem , quot ad taxam perpetuæ, legalis capit fructus capitalis scutorum 350. , in quibus præterita consistit earumdem Missarum omissio .

Quo ad absolutionem autem Sacerdotis Scolari ; in culpa quidem is fuit ob diuturnum utriusque legati inadimplementum ; sed eam tandem per cessionem bonorum purgavit .

Dubia sunt .

I. *An , & quomodo sit locus applicationi bonorum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Die

VELITERNA REDUCTIONIS ONERUM. Joannes Carolus Innocenti heredem scripsit anno 1783. germanam suam sororem Erminiam; & hæc potissimum reliquit legata: Gertrudi nempe Bellagamba Cesaretti, ejusque tribus filiabus, suis ex sorore proneptibus, scuta 25. pro qualibet: annua insuper scuta 44. Brigittæ Menicoccia ejus uxori quousque in statu viveret viduitatis; & Venerandæ Pacini ipsius ancillæ vel unicam præstationem scutorum 200. quatenus in Conservatorium reciperetur *della Neve*, vel annua quousque in sæculo viveret scuta 15.: atque in fundum utriusque vitalitii nonnullos assignavit activos census, infructiferum creditum, & domum, quæ summam constituunt scutorum 1960. Legavit rursus pauperibus Velitrarum infirmis ad prudens Parochorum arbitrium annuos fructus demandati investimenti scutorum 1150.. Et tres postremo ad designata Cathedralis Altaria quotidianas præscripsit Missas cum fundo scutorum 4290. in tot aliis censibus, & prædio in regione *le Corti = per le limosine manuali, utensili, ed altro*; mandavitque ut extinctis vitalitiis, *restino li frutti, e suoi capitali accresciuti ed uniti alli fondi sopra descritti per maggior sussistenza delle tre Messe quotidiane, o siano Cappellanie sudette, quali le dichiara, e vuole che siano meramente laicali, o sia un peso di Messe per l'infrascritta sua erede, e di lei eredi, e successori*. In casu vero inadimplementi tum legati Missarum, cum eleemosynæ, pœnam heredi indixit caducitatis ab administratione eorum capitalium, sive favore Capellæ B. Virginis Gratiarum ejusdem Cathedralis, sive favore Parochorum Civitatis. *Sess. 25. cap. 2. de Reform.*

Ut pauperi succurreret Familiæ Cesaretti, sanguine Testatori conjunctæ, ad octennium primo, deindeque ad aliud [jam fortasse expiratum] triennium suspendit *Sanctissimus* duas ex tribus Missis, pauperumque infirmorum legatum. Nuper vero defuncta Erminia Innocenti, eidem supplicavit *Sanctissimo* unica illius filia Annuntiata pro reductione utriusque pii legati ob numerum filiorum octo, auditisque informatione, & voto Eminentissimi Cardinalis Albani Sacri Collegii Decani, & Episcopi Velitrarum, preces *Sanctitas Sua* per organum R. P. D. Auditoris remisit ad Sacram hanc Congregationem *cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis*. Hæc autem in sua exposuerat in-

formatione Eminentissimus Episcopus; quod omnibus nempe detractis legatis, *rimangono liberi, ed assoluti per l'Erede scudi* 2270., hereditaria comprehensa domo valoris scutorum 650. Rationem etiam habebat tum fundi Missarum in summa scutorum 4290., cum fundi vitalitiorum in scutis 1960., & sic capitalis in unum scutorum 6250., & detracta ex annuo hujusce capitalis fructu scutorum 312. 50. ad rationem scutorum quinque in singula centum, summa scutor. 108. pro tribus quotidianis Missis, superexistantem heredi tribuebat reditum scutorum 204. 50. Numerum admittebat filiorum Oratricis: sed de his notabat, quod *quattro sono già emancipati, e ben collocati fuori di Casa; gli altri non che di peso, sono di sollievo, di ajuto, e di consolazione per le loro ottime qualità*. Addebat immo, quod Oratricis vir *si procaccia il vitto coll' industria delle Vigne; ma mediante questa industria, e la buona economia và sempre più migliorando il proprio stato*. Hoc tamen non obstante, alium in privatam ipsius Oratricis, publicamque spiritualem utilitatem proponebat reductionis Missarum modum, misso onere eleemosynæ.

Abbondano in Velletri le Messe (sunt ejus verba) *per la limosina di un paolo; e la stessa abbondanza, e la tenuità della limosina rende difficilissimo l'adempimento de' pesi. Dall'altra parte fra tanti pesi di Messe ne manca una, che debba dirsi all'aurora, e che sarebbe utilissima specialmente in Velletri, dove la maggior parte del Popolo attendendo alla lavorazione delle vigne, deve andar in campagna prima del giorno: Sarebbe perciò sommamente utile, se potesse trovare nella Chiesa di S. Clemente vicina alla Porta della Città una Messa per l'aurora, nella quale il Sacerdote, come ordina Benedetto XIV. per le Cappelle rurali, recitasse almeno gli atti delle Virtù Theologali, e di contrizione. Quindi a questa Messa ante auroram assai necessaria potrebbero restringersi le tre Messe quotidiane fondate nella Chiesa di S. Clemente dall'Innocenti. Converrebbe in tal caso fissare l'elemosina di detta Messa a bajocchi venti, attesa l'ora incomoda: sul di più dovrebbero pagarsi alla stessa Chiesa gli utensili; riconoscere il maggior incomodo del Sagrestano, e del Chierico; supplire a qualche altra spesa maggiore, necessaria per doversi in quell'ora per molti riguardi illuminare*

in qualche maniera la Chiesa : e non dovendo però tutto questo assorbire l'intiera elemosina della terza Messa , il residuo potrebbe cedere in vantaggio dello stesso Cappellano per l'incomodo della recita de' suddetti atti, e di qualche altra pratica di divozione da fissarsi secondo le circostanze , e le diverse solennità dell'anno . E intanto una tal Cappellania potrebbe poi servir di titolo per le ordinazioni de' Preti da nominarsi dall'Oratrice , e suoi eredi .

Reductionem onerum obtinere confidit Oratrix tum ob filiorum numerum , cum ob difficile Missarum adimplementum ad manualem , ex rationibus adductis per Eminentissimum Episcopum ; & ex jure , quod tanquam Testatoris consanguinea , ad integram haberet successionem , quatenus intestatus decessisset . Ponderandum altera ex parte , num reductionis gratiam mereatur , quæ hereditarium habet capitale scutorum 2270. *liberi ed assoluti* , atque annuum ex ipsis fundis Capellaniæ lucratur reditum scutorum 204. 50. , juxta informationem Eminentissimi Episcopi : cujus insuper vir *và sempre migliorando nel proprio stato* ; & quatuor ex filiis sunt *ben collocati fuori di casa* , reliqui *sono di sollievo , di ajuto , e di consolazione* . Deficiente propterea requisito paupertatis , ob quam miserta fuit Sacra Congregatio consanguinei Institoris Missarum *in Nuceriva Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778. , concedenda non videtur reductio . Difficilis quidem est juxta Eminentissimum Episcopum celebratio trium Missarum, de quibus agitur , ad manualem , quam præscripsisse videtur Testator verbis illis , *per le limosine manuali* ; consentaneum tamen videri posset ipsius Testatoris voluntati eleemosynæ augmentum : non modo enim in fundum legati Missarum assignavit capitale scutorum 4290. , sed aliud etiam post vitalitiorum extinctionem (quoad Brigittam saltem Menicoccia certe sequutam) addendum jussit scutorum 1960. *per maggior sussistenza delle tre Messe quotidiane, o siano Cappellanie* , quæ simul juncta annuum præbeut reditum scutorum 312. 50. Illudque etiam notandum , quod adeo Testator de Missarum celebratione , & distributione eleemosynæ inter pauperes infirmos solicitus fuit , ut heredem negligentem privaverit administratione capitalium utriusque legati .

Qua-

Quatenus autem concedenda non sit piorum legatorum reductio in commodum Oratricis, deliberare dignentur Eminentissimi Patres de reductione saltem Missarum juxta votum Eminentissimi Episcopi. Optima profecto esset celebratio Missæ sub auroram in spiritualem agricolarum utilitatem, si ei præsertim addantur actus Virtutum Theologalium, & contritionis, *ex cap. necesse de consecr. dist.* 1., *Nicol. Flosc. verb. Missa num.* 31., *Ceccoper. lucubr. eccles. lib.*3. *tit.*12. *num.* 5., piamque istam institutionem necessario sequerentur, quæ de majori eleemosyna, aliisque sumptibus proponit Eminentissimus Episcopus. Ponderandum vero, num ad instituendam Missam sub auroram, duplici altero Testator privari debeat quotidiano suffragio, de quo tantopere per comminationem etiam caducitatis solicitus fuit.

Vestræ igitur deliberationi proponitur:

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. *Februarii* 1794. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

PLACENTINA REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

SEGOVIEN. *Ses.24. cap.12. de Reform.*

An, & qua hora ſint canenda nona, vesperæ, & completorium in casu &c.

Affirmative ad formam precum.

NOVARIEN. *Sess.21. cap.5. & sess.24. cap. 13. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit locus applicationi bonorum in casu &c.*

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione in casu &c.*

Ad I. Affirmative quoad quantitatem tantum capitalis correſpondentis octogintatribus subſidiis dotalibus nondum collatis.

Ad II. Affirmative.

VELI-

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

VELITERNA REDUCTIONIS ONERUM.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Negative.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

REATINA CAPELLANIÆ. Triginta circiter abhinc annis heredem instituit Claudius Ferettini uxorem suam Antoniam Persi, legavitque præ ceteris Claræ ejus ex fratre pepti scuta centum. Legatum hoc quoad vixit heres, consequuta non fuit Clara, siluitque per annos circiter viginti sub data per eam successionis suæ spe. At vix ipsi moriens reliquit Persia anno 1781. legatum patrui, scripsitque in reliquis heredem Reatinæ Cathedralis Capitulum sub onere, *che debba far celebrare, ed applicare una Messa quotidiana perpetua per l'Anima mia, e de miei Antenati*: & in primum celebrantem nominavit Sacerdotem Petrum Ferretti cum eleemosyna obolorum 10. pro qualibet Missa, eoque deficiente jussit, *che per la celebrazione, ed applicazione della detta Messa sia eletto e deputato dal Rmo Capitolo un Cappellano Sacerdote Reatino, il quale sia tenuto ed obbligato a celebrare ed applicare la sudetta Messa ogni mattina, ma nella Chiesa Cattedrale di Rieti, e sull'ora appunto dell' aurora, con ricevere la limosina come sopra dal medesimo Capitolo, ad ogni cenno, ed arbitrio del quale resti amovibile il Cappellano sudetto.*

Sua igitur Clara Ferettini dejecta spe, sub qua de ipsius Persiæ consensu nupserat Joanni Baptistæ Fortunati, numerosamque dederat prolem, rem Supremo exposuit Principi, obtinuitque per Chirographum diei 28. Februarii 1782., ut ex hereditate Persi *si tolga e detragga un capitale, che sia atto e capace a rendere e corrispondere l'annua somma di scudi quaranta, e questo capitale venga costituito ed assegnato in dote della Cappellania da erigersi col peso di una Messa quotidiana in conformità del citato testamento della predetta Antonia Persi. Tutto quello poi, che resterà in detta eredità, de-*

dedotto il suddetto capitale, vogliamo che debba liberamente darsi, e conseguarsi all' oratrice Chiara Ferettini Fortunati in ajuto e sollievo delle proprie indigenze. In executionem hujusce Chirographi assignavit Reatinus Episcopus partem hereditarii prædii in vocabulo *Casabianca*, valoris scutorum 1484. 33. ½, annuique reditus scutorum 41. 33. in dotem Capellaniæ, quam erigi mandavit. At secundo Pontificium Solium adiit Clara, & per rescriptum diei 16. Julii ejusdem anni 1782. impetravit insuper gratiam, *ut si inter filios & descendentes Oratricis aliquis nunc & in posterum reperiatur idoneus Sacerdos, in collatione Capellaniæ ab Ordinario Reatino, & ab aliis, ad quos de jure pertinere poterit jus conferendi præfatam Capellaniam, ceteris extraneis Sacerdotibus præferatur.*

Hoc freta rescripto, petiit Clara ab Episcopo institutionem Clerici Nicolai Fortunati ejus filii ad erigendam Capellaniam, in exclusionem Sacerdotis Ferretti primo a Testatrice nominati: sed contrariam sententiam passa, ad obitum acquievit Ferretti sequutum anno 1784. Tunc vero quum in Capellanum elegissent Capitulares Sacerdotem Josephum Sorgi, proprium & Clara nominavit filium annorum tunc tresdecim, supplicavitque *Sanctissimo* pro confirmatione. Id ipsum deinde suo nomine petiit Clericus Nicolaus, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, rem totam EE. Vestris exposuit Episcopus, suumque votum in hæc anno 1786. aperuit verba: *Hoc unum repetam, Oratorem, sive qui ejus nomine agit, se insatiabilem ostendere in hoc negotio, sibique vindicare velle quod ipsi nulla ratione competit. Quoties vero bona, seu Latifundia pro Missæ quotidianæ celebratione in ejus potestatem pervenerint, statim deteriora evasura, ut in nihilum fere reducantur, in detrimentum Defunctorum, quorum suffragia cito in posterum minuentur, & Testatricis voluntas omnino inanis & fraudata evadet.* Jam enim pro paupertate familiæ Fortunati in deterius peritorum testimonio abierat portio Latifundii tradita Claræ in exequutionem Pontificii Chirographi. Post diuturnum tandem plurium annorum silentium, Vestro nunc judicio sub infrascriptis Dubiis subiicitur Causa.

Agitur primo de erectione Capellaniæ, eamque omnino faciendam contendit Clericus Fortunati. Primum in id desumit argumentum ex demandata per Antoniam Persi

electione Capellani Sacerdotis in defectum Ferretti, & celebratione Missarum in Ecclesia Cathedrali: nam erectionem exigit Capellania collativa cum designatione certæ Ecclesiæ, vel Altaris pro celebratione; quum nemo privatus constituere valeat locum sacrum, vel rem spiritualem sine auctoritate Ordinarii, argumento *capituli ad hoc* 4. *de religios. domib.* Valdeque deinde urget Chirographum diei 28. Februarii, & rescriptum 16. Julii 1782., in quibus meminit *Sanctissimus* erectionis, & collationis Capellaniæ, certumque ei assignari voluit fundum. Impugnari sane non posse ait Pontificium oraculum, ex *cap. in causis* 19. *de sentent. & rejudic.*, neque in controversiam adduci, quin constitutio dotis necessitatem inducat erectionis, *Piton. de controv. patron. allegat.*49. *num.*9. *& seqq.* Hujusmodi vero erectionem quanto citius fieri debere, juxt. *gloss. in cap. quam sit de elect. in sexto*.

Notat altera ex parte Capitulum, simplicem in testamento Persiæ demandatam fuisse Missarum celebrationem; non item cum illarum onere institutam Capellaniam, volitumque Sacerdotem celebrantem *ad ogni cenno amovibile*. Simplex namque Missarum onus, & amovibilitas celebrantis ecclesiasticam non constituit Capellaniam, *Van-Espen. part.*2. *tit.*18. *cap.*1. *num.* 18., *& seqq.*: maxime, quia demandata fuit celebratio cum eleemosyna manuali, quæ adversatur illius institutioni in titulum, *Bordon. de legat. Missar. cap.*6. *num.*32. *& seq.*, *Petr. ad Constit.*6. *Gregor.* XI. *num.*19. *& seq. tom.*4. Enunciativam vero Chirographi de erigenda Capellania tribuendam inquit suggestioni Claræ Ferettini, sibique idcirco nullum inferre posse præjudicium, ad tradita per *Rot. cor. Falconer. tit. de emphyt. decis.*2. *num.*17.

Secunda quæstio est de hujusce Capellaniæ collatione. Sibi eam deberi contendit Nicolaus Fortunati, licet simplex Clericus: nam Sacerdotis nomen, quod in testamento Persiæ, & Pontificio adhibetur rescripto 16. Julii 1782., convenit etiam Clerico, per *Text. in cap. si quisquam de cohabit. Clericor.*, *Rot. in Fanen. Canonicatus* 23. *Martii* 1789. §.12. *cor. R. P. D. Strasoldo*; non obstante adjectione idoneitatis, quæ probitatem respicit morum, *gloss. in cap. si is, de institut. in sexto*. Eoque magis, quia tanquam pauper de jure præferri debet, *Rot. cor. Alsad. decis.*85. *num.*7.

Re-

Recedendum contra non esse sustinet Capitulum in nostro themate a propria Sacerdotis significatione, quum testamentum Persiæ Sacerdotem requirat celebrantem, & sic Sacerdotem actu, *Amost. de caus. piis lib.3. cap.2. num.43. & 51.*, *Piton. de controv. patron. allegat.33. num.17.* Potissimum, quia in primum celebrantem nominavit Testatrix Presbyterum Ferretti. Melius enim interpretari nequit Sacerdotis nomen, quam ex facto, & observantia Fundatoris, *Card. de Luc. de Benefic. disc.61. num.13. vers. secundo ponderabam*, *Piton. loc. cit. num.16.* Inde autem concludit, præferendum non esse Clericum Fortunati Sacerdoti Sorgi, jamdiu legitime ad celebrationem Missarum deputato; dum ex rescripto 16. Julii 1782. præferri debet Sacerdotibus extraneis Sacerdos æque Familiæ Fortunati. Multoque minus concedendam autumat Capellaniam Clerico oratori in titulum, quia obstat qualitas simplicis legati pii Missarum, ut notatum est ad primum Dubium; & quia in pessum ob ejus paupertatem iret assignatus fundus, ut monet Episcopus.

Deliberandum igitur.

I. *An, & intra quod tempus sit erigenda Capellania in casu &c.*

II. *An eadem Capellania sit conferenda Clerico Nicolao Fortunati in titulum patrimonii sacri in casu &c.*

Ad I. Affirmative intra brevem terminum ab Episcopo designandum, & amplius.

Ad II. Affirmative, & amplius.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS. Matthæus Consegli Arcis Nulphæ heredem scripsit anno 1788. Josephum Todini ejus nepotem, ac præ ceteris legavit *scudi venticinque annui in perpetuo per il maritaggio di una Zitella povera, parente, ed onorata in ogni anno, da aversi in considerazione dall' Erede sempre la più povera in concorso di più di una di esse in qualche anno, da sodisfarsi da esso, e suoi successori nell' atto delli sponsali, e non prima.* Aliquandiu pium hoc legatum ob dilatam testamenti aperitionem latuit; & nullum *Sess.22. cap.6. de Reform.*

hactenus heres post aperitionem contulit subsidium, tempus expectans sponsalium pauperis consanguineæ ad formam testamenti. *Sanctissimo* interim supplicavit Todinius, ut sibi tamquam heredi adscribere dignaretur illorum annorum subsidia, in quibus nullæ essent pauperes consanguineæ dotandæ; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, nonnullas spoletinus Episcopus transmisit illius animadversiones, de quibus infra; eique in hæc favit verba: *Perspecta Testatoris voluntate pro dicto subsidio scutor. 25. annuatim, limitata, ac circumscripta ad puellas tantum dicti oppiduli ejus patriæ, honestas, pauperes, in, simulque ejus sanguine conjunctas, videtur contemplasse puellas simul, & heredem, adeant si puella dictis qualitatibus prædita adesset, suffragaretur, alias exemptus esset heres a tali onere, quatenus deesset, cui legatum, sive subsidium solvere potuisset.*

Mentio in animadversionibus Todinii fiebat duplicis consanguineæ nuptæ post obitum Testatoris, sed ante aperitionem testamenti, ac de petito ab eis subsidio post publicationem legati; licet ob contractas nuptias denegato. Nova idcirco exquisita fuit informatio, *audita utraque muliere, de quibus in foliis animadversionum, & Parocho; nec non affixis edictis ad invitandas puellas ad formam testamenti*; & hæc alia retulit Episcopus: alteram nempe ex nuptis consanguineis subsidium dotale in tempore non petiisse ob ignorantiam legati; alteram ex longinquo, in quo nupta est, senogalliensis Diœcesis loco, idem fortasse ad missam epistolam responsuram fuisse; oppiduli vero Parochum arbitrari, puellas omnes cum prælatione consanguinearum vocatas esse, easque etiam subsidium petere posse: quodque *publicatis in Castro veteri, & Arce Nulpha edictis pro notitia puellarum ad formam testamenti, nulla ex eis comparuit, ac instetit pro dicto subsidio consequendo, & requisitus Parochus narrat adesse puellas sive agnatas, sive cognatas Fundatoris, absque tamen occasione desponsandi.*

Ne res vero secundum petitionem Todinii decideretur, eidem supplicavit *Sanctissimo* Communitas Arcis Nulphæ pro extensione legati ad puellas extraneas cum prælatione consanguinearum, & coactione Todinii ad deponenda quotannis legata scuta 25. pro faciliori exactione. Atque his etiam precibus ad Sacram Congre-

gationem ablegatis, addiditEpiscopus in tertia informatione, quod *affixis edictis &c. adjungere feci, juxta veneratissima EE. Vestrarum mandata, singulis interesse habentibus citationem cum præfixione termini pro die* 10. *Novembris currentis* (1793.) *ad deducenda vicissim sua jura in ista Sacra Congregatione. Ex notitiis habitis, familiæ, quæ Testatori conjunctæ jactantur, complures numerantur tam in loco, quam extra: Fœminæ innuptæ non minus, quam nuptæ ad dictum subsidium concurrere prætendunt; maxime quæ matrimonium inierunt post obitum Consilii ab anno* 1788. *usque ad præsens, ratione quod ob non apertum testamentum ignorabant legatum. Revera heres nullum hactenus contulit subsidium, fundamento, quod Testator reliquit hujusmodi subsidium puellis sanguine conjunctis, consignandum actu matrimonii contrahendi. Inter innuptas in ætate nubili constitutas hac in tempestate pariter plures numerantur, quæ expectant electionem puellæ, & collationem subsidii, ut nubere queant, de quo dubitant ob nullam adhuc factam subsidii traditionem.*

Qua de re existimabat, *debere heredem intimare quolibet anno ad valvas Ecclesiæ concursum puellarum, & devenire ad electionem puellæ, quam judicaverit digniorem, reservata solutione subsidii actu matrimonii, & si puella electa remanserit innupta, aliis conferre juxta modum; tali pacto non deficient puellæ parentes dotandæ; eoque magis, quod hereditas Matthæi Consilii communiter censetur adscendere possit ad valorem scutorum in stabilibus, censibus, & cambiis* 3000. *circiter, & onera annuatim satisfacienda non pertingunt quantitatem scutorum* 30. 20., *comprehenso subsidio. An autem deficientibus puellis parentibus extendatur legatum, uti prætendit Communitas, & Homines dicti castri Arcis Nulphæ, ad alias puellas non parentes dicti loci, vel potius heres Todini eximatur ab honere subsidii conferendi, id pendet a sapientissimo EE. Vestrarum judicio.*

De futura primum agitur collatione dotalis subsidii. Ex aperta profecto Testatoris voluntate illud conferre tenetur heres quolibet anno pauperibus consanguineis *in perpetuo*, & in actu sponsalium solvere. Unice ergo quærendum, num cogi valeat juxta petitionem Communitatis Arcis Nulphæ ad deponendam quotannis assignatam summam scutorum 25. pro faciliori ejus con-

se-

sequutione. Todinio in id favet regula juris; quod accipi debeat legatum de manu heredis, *Bart. in leg. si patronus §. fin. num. 11. ff. ad Trebellian.*, *Castill. controv. jur. lib. 5. cap. 157. num. 17.* Favet etiam voluntas Testatoris, qui expresse mandavit, ut solveretur subsidium ab ipso herede, ejusque successoribus: & opulentia demum Todinii, qui præter suum patrimonium, alia, Episcopo teste, possidet hereditaria bona valoris scutorum circiter 3000. Adeo contra absurda videri non posset petitio Communitatis, quum consentaneum sit subsidiorum dotalium depositum praxi, ac præsertim Locorum Piorum Urbis; nilque heredis intersit, sive apud se retineat subsidium, quod conferre tenetur singulis annis, & paratum habere debet, ut solvat, sive illud deponat, ut de mandato suo in actu sponsalium solvatur. Jus quidem ex testamento habet non solvendi ante sponsalia per ea verba = *nell' atto delli sponsali, e non prima*; sed ex notissima theorica, *deponere non est solvere*. Illudque etiam juxta votum Episcopi fortasse expedit, nempe *debere heredem intimare quolibet anno ad valvas Ecclesiæ concursum puellarum, & devenire ad electionem puellæ*.

Deliberandum secundo de subsidiis neque a Testatoris obitu collatis, neque solutis. Ex pluribus Todinius non amplius teneri posset ad illorum collationem. Nulla sane ex pauperibus consanguineis legatum hactenus petiit; ideoque caducata forsan remanserunt in commodum heredis subsidia, quæ de anno in annum conferri debuissent, & ob defectum concurrentium conferri non potuerunt, per *Text. in leg. Julius 62. ff. de legat. 2.*, *& in leg. id autem 76. ff. ad leg. falcid.*, *Bellon. de jur. accresceen. cap. 1. quæst. 43. num. 26.*, *& 31.*, *& Rot. in Romana Subsidiorum Dotalium 11. Decembris 1758. §. 3. coram Ubaldo*. In annuis enim relictis tot sunt legata, quot anni, ex *leg. si in singulos annos ff. de ann. legat.*, *& leg. cum in annos ff. quand. dies legat. cedit.*, ac deficiente propterea in uno anno conditione (quæ in nostro themate est petitio consanguineæ puellę) evanescit legatum sub ea relictum, ad *Text. in leg. 41. §. intra ff. de fideicomm. libert.*, & deberi incipit subsequenti anno, purificata conditione; *Surd. de alim. tit. 5. quæst. 4. num. 81.*, *& Rot. in Faventina Donationis 5. Maii 1759. §. 12. cor. Olivatio*.

Ur-

Urget contra, quod ad certam Testator non respexit puellam, sed ad pium dotationis opus in genere favore incertarum consanguinearum. In his enim terminis caducatas etiam dotes conferendas esse firmant *Card. de Luc. de dot. disc.* 10. *num.* 5., *Constant. vot.* 298. *num.* 12., *de Nigr. de nominat. part.* 1, *quæst.* 49. *lib.* 1. *num.* 49.: ad instar dotium devolutarum ob non contractum matrimonium, quæ ex non sequuto dotationis effectu, in beneficium non cedunt heredis, sed aliis conferri debent puellis, ut Sacra hæc decrevit Congregatio *in Romana Subsidiorum Dotalium* 20. *Januarii* 1770., *in Lucana* 21. *Maii* 1784., *in Æsina Subsidiorum Dotalium* 27. *Novembris ejusdem anni*, & *in Romana* 20. *Martii* 1790. Maxime, quia per puellas consanguineas, (quæ testimonio Episcopi *plures numerantur*) non stetit, quominus ipsis subsidia conferrentur. Sese enim ab his petendis abstinuerunt ex quo dubitabant de illorum consequutione *ob nullam adhuc factam subsidii traditionem*.

Quatenus autem sint conferendæ nondum collatę dotes, in quęstionem venit, num conferri etiam debeant duabus jam nuptis consanguineis. His utique obstat litera testamenti; nam annua scuta 25. legata sunt *per il maritaggio di una Zitella*, & sic non debentur nuptis, juxta *Cancer. var. resol. cap.* 22. *part.* 3. *numer.* 182., *Surd. de alim. tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 18., *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *n.* 2. Potissimum quia nuptarum dotatio in præjudicium vergeret puellarum, quæ *plures numerantur*, & *expectant electionem puellæ*, & *collationem subsidii*, *ut nubere queant*. Prodesse vero posset nuptis ignorantia legati cum nupserunt, ob nondum apertum testamentum ex culpa heredis. Fortasse enim impedita facultas petendi ante nuptias legatum, æquivalet petitioni, quæ jus nuptis servat ad dotem, *Fontanell. de pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 6. *gloss.* 3. *part.* 4. *num.* 49. & *seq.*, *Covarr. in cap. officii num.* 10. *de testam.*, & *Sac. Congregatio in Cæsenaten. Subsidiorum Dotalium* 29. *Novembris* 1788. *ad II. Dubium*.

Ex iisdem rationibus, ex quibus adscribi possent Todinio præteritæ dotes, applicationem ipse postulat futu-

turarum in ils annis, in quibus aut nubilis deficiet consanguinea, aut dotale subsidium ante nuptias non petierit. Atque hoc etiam notandum rogat, quod ob defectum puellæ, vel ob non petitum in uno anno subsidium, duplicaretur subsidium ipsum in altero contra mentem Testatoris, qui unicam singulis annis præscripsit præstationem scutorum 25.,quodque ea idcirco sit capienda applicationis interpretatio, quæ minus ipsum gravet, *Merlin. Pignatell. centur. 2. cap. 65. num. 26. & seq.*, *Card. de Luc. de legat. disc.48. num.9.*. At præter notata super secundo Dubio, advertere dignentur Emi Patres, majus Todinio non inferri gravamen, si nullum in uno, duplex in altero anno conferet subsidium. Nil amplius enim unica solvet vice, quam quod divisim in annos solvere debuisset.

Ne vacent autem dotes in casu non existentis puellæ consanguineę, vel non petiti subsidii, extensionem flagitat Communitas legati ad alias Arcis Nulphæ puellas. Ob demandatam porro collationem subsidii *in ogni anno*, perpetua, ac nunquam interrupta esse debet illius largitio, ad *Text. in Leg. 6. de ann. legat.* Ideoque æquum videri potest, ut in locum non existentium, aut non petentium consanguinearum aliæ succedant pauperes Arcis Puellæ; ex qualitate etiam legati pii, quod latam admittit interpretationem. Taxative altera ex parte subsidium reliquit Testator consanguineis, nec facile propterea præstandum videtur aliis puellis, quæ hac careant qualitate, ut definivit Sacra Congregatio *in Romana 24. Martii* 1787., & 29. *Novembris* 1788. Quoties vero vacatura subsidia neque applicanda essent heredi, neque extraneis conferenda puellis, cumulari possent, ut pluribus in annos concurrentibus puellis consanguineis conferantur, vel ad eas ante consequutionem subsidiorum alendas, ut *in Romana 22. Maii* 1757., & *in Romana Subsidiorum Dotalium 29. Agusti* 1766.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo in futurum sit præstandum subsidium dotale puellis consanguineis in casu &c.*

II. *An, & quibus sint conferenda subsidia præterita, seu potius sint applicanda heredi in casu &c.*

III. *An*

III. *An subsidia futura in iis annis, in quibus nulla erit nubilis puella consanguinea, vel dotem non petierit, sint etiam applicanda heredi, seu potius sequentibus annis conferenda in casu &c.*

IV. *An in subsidium extendi debeat legatum ad pauperes puellas extraneas in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam testamenti, & juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative ad primam partem ad formam testamenti, comprehensis etiam Puellis nuptis post obitum Testatoris; negative ad secundam.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IV. Negative.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Postulavit ab hac Sacra Congregatione nobilis Velitrarum puella Flaminia Giorgi cumulum subsidiorum dotalium Scandelloni in scutis mille: sed ad Dubium, *An & in qua summa concedi debeat cumulus dotium*, rescripserunt EE. Vestrę sub die 23. Februarii elapsi anni 1793.; *Affirmative pro scutis quatuorcentum ad rationem quatuor subsidiorum pro quolibet anno*. Imparem vero autumans hujusmodi cumulum nobili suæ conditioni, pro ejus supplicat augmento ad summam initio postulatam scutorum mille; & hæc summatim sunt, quæ in novis exponit precibus. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Potissima, inquit, ratio concedendi cumulum in scutis dumtaxat 400. ea fuit, quod sibi etiam juxta votum Emi Episcopi consulere posset per cessionem alterius cumuli scutorum 800. jamdiu concessi Angelæ Mariæ ejus amitę. Nullis vero hęc induci potuit officiis, precibusque, ut proprium cederet cumulum, cujus applicationem impetraturam fore confidit loco alimentorum sive a Clementissimo Principe, sive ab hac Sacra Congregatione in casu obitus Canonici Giorgi ejus fratris, a quo nunc alitur. Æquitati propterea consentaneum dicit Flaminia, ut congruum ei per ampliationem concessi cumuli ad condignas ine-

undas nuptias elargiatur subsidium ; nam *durum videri potest, id Puellæ Oratrici nobili & pauperi denegare, quod ejusdem amitæ, quod aliis puellis Testatori propinquis tributum est* ; ut non obstante contrario voto notabat Emus Episcopus in præterita informatione.

Majorem quidem Oratricis amita non habuit cumulum, quam scutorum 800., sed id evenisse ait Oratrix, quia alia illi erant scuta 200. ex dote materna, quæ congruam explebant dotem scutorum mille teste *Folio* 8. *Junii* 1771. Ne maximus vero aliarum consanguinearum numerus, cujus præterita ipsa meminit informatio, augmentum impediat proprii cumuli in scutis 600., rem sine illarum prejudicio componi posse proponit, si concedatur sibi hujusmodi augmentum ex subsidiis, quæ post earumdem consanguinearum dotationem quolibet supererunt anno, aliisque devolvendis per obitum puellarum ante initum matrimonium. Resumpto igitur Folio 23. Februarii elapsi anni, respondere placeat.

An, quomodo, & in qua summa sit concedendum augmentum cumuli subsidiorum dotalium in casu &c.

Affirmative pro aliis scutis quatuorcentum ad rationem duorum subsidiorum quolibet anno, & dummodo nubat in Domino ; & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA SUBSIDII DOTALIS. Anno 1790. heredem scripsit Sacerdos Silvester Luciani Communitatem, binosque Parochos Montis Giberti ; hereditatem in pia distribuit opera. Annua siquidem legavit scuta decem in augmentum stipendii Præceptoris oppidi ; tenuem quotidianam elemosynam senibus, aliisque ad laborem ineptis ; annua scuta sex pauperibus familiis, quę distinctis pro masculis, & fœminis carerent lectis ; annua scuta duodecim pauperi oppidano Clerico in supplementum patrimonii sacri ; & scuta viginti pro manutentione alterius oppidani in Seminario Firmano ; tribus suis grandævis Sororibus omne id, quo indigerent, reliquis etiam suspensis legatis ; annuam ad triennium præstationem scutorum quin-

quinque pro qualibet honesta oppidi puella, quæ in Monasterio educationis causa maneret ; subsidiumque dotale scutorum quindecim pro qualibet nubente in Domino, & scutorum quinque pro nubente in sæculo : quod profanum subsidium ad scuta ampliavit septem pro suis consanguineis in tertio, & quarto gradu ; ad scuta quindecim pro puellis honestiorum familiarum ; & ad scuta viginti pro qualibet favore Margaritæ, & Nicolinæ filiarum Josephi Bernetti, *il quale a me le raccomandò, e per riguardo ancora del di loro fratello Gaetano Bernetti, a cui sono ancora obbligato.*

Novissimo isto allectus legato, subsidium superstitis sororis Margaritæ (jam enim innupta decessit Nicolina) ampliare curavit Cajetanus Bernetti Causarum patronus in Urbe, supplicavitque *Sanctissimo* pro ampliori summa scutorum 200. ex eadem hereditate Luciani, in tot saltem ratas, *ut* assumere posset ejus soror monasticum habitum, pro quo ipse impar erat ob paternum alieno ære obrutum patrimonium, propriumque conjugalem statum. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, retulit Firmanus Archiepiscopus, non modo Margaritam *Monalium institutum amplecti velle, sed reipsa ad habitum jam fuisse admissam* ; quodque *dos, quæ hac de causa erat persolvenda, in nummis quingentis est præfinita, solvit pecunias ipsas Orator* ; *quas tamen non a patrimonio suo sumpsit* [*quod exiguum est multoque gravatum ære alieno*] *sed partem dotis, quam ei tulit uxor, in eamdem causam erogavit.* Et a suo abstinens voto, quasdam exhibuit animadversiones Administratorum hereditatis, & Canonici Bernetti (Oratoris forsan patrui) quibus petitum tuentur, & vicissim impugnant subsidium.

Testimonio Joannis Rinaldi annuum Canonicus admittit Oratoris reditum in scutis 111., a collectis, & passivis censibus liberum ; licet eum Administratores asserant in scutis 150. Prêter hanc vero, vel illam certi reditus summam, habendam censent Administratores rationem avitæ dotis, quæ pro medietate saltem debetur Margaritæ, & de duplici Oratoris spe ; consequendi scilicet ex quadam pendente lite non tenuem pecuniæ vim, & pinguem grandævæ ejus amitæ hereditatem ; ultra id, quod in agendis Causis lucra-

tur. Atque ex his excludi contendunt gravem Oratoris indigentiam, ob quam dotale subsidium pro sorore mereatur. Eoque magis, quia in argumentum facultatis uxorem duxit. Imparem de cetero dicunt subsidio scutorum 200. hereditatem Luciani, cujus annuus reditus scuta attingit 174. 49., nam vix ex hujusmodi reditu adimplentur legata eleemosynæ, & subsidiorum dotalium; & fieri posset, ut hæc etiam ad formam testamenti suspendi deberent legata, si indigentia superveniret sororum Testatoris. Petitioni immo Oratoris adversari arbitrantur ipsius Testatoris voluntatem; dum satis fecisse censuit suis obligationibus cum familia Bernetti per legatum scutorum 20. pro qualibet Oratoris sorore; adeoque ei pia alia cordi fuerunt opera, ut in judicio etiam sustineri mandaverit.

Tuetur altera ex parte Canonicus Bernetti respectivam Oratoris indigentiam ob tenuem reditum scutor. 111., & spernendam ait inanem incertæ litis, speratæque hereditatis spem, quæ facile per contrariam sententiam, adversamque amitæ dispositionem evanescere poterit. Quanquam ad sustinendum decorem familiæ Bernetti, non parum utile Oratori futurum affirmat contractum matrimonium per successionem ad curialia soceri negotia. Præsentem & ipse admittit hereditariorum redituum tenuitatem: sed æquum fieri posse censet flagitatum subsidium, si post obitum prestetur sororum Testatoris, & in tot annuas ratas scutorum viginti.

Ex ore igitur utriusque Partis rationes habent Emi Patres decidendi. Præ ceteris vero advertere dignentur ad prædilectionem familiæ Bernetti, ac præsertim Oratoris, cui inquit Testator *sono ancora obbligato*. Fortasse enim pinguius reliquisset legatum ejus sorori Margaritæ, si prævidisset, quod ob tenuitatem paterni patrimonii erogare deberet Orator *partem dotis, quam ei tulit uxor*. Alteraque ex parte Vestram meretur ponderationem, quod concedi solet dotalis cumulus pauperibus Testatoris consanguineis, qualis non est Margarita Bernetti, *Amostaz de caus. piis lib.* 4. *cap.*4. *num.*10., *Card. de Luc. de dot. disc.*100. *num.* 5., & *Sacra hæc Congregatio in Senogallien. Subsidiorum Dotalium* 11. *Junii* 1774. Num Orator autem dici valeat pauper, ex notatis EE. Vestræ decernent.

nent. Consanguinitatis certe requisitum non habet. Illudque etiam accedit, quod ad concedendum petitum subsidium, licet post obitum sororum Testatoris, & in ratas, non parum, nec ad breve tempus ceteris detraheretur piis operibus.

Deliberandum itaque.

An, & quomodo sit concedendum subsidium dotale in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

ROMANA, SEU AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Per instrumentum 19. Februarii 1620. assignavit Paulus Paganini, cessitque in Locis MM. Archiconfraternitati SS. Annuntiatæ Urbis scuta triginta millia cum onere anniversarii *con dodici Messe basse*, aliarumque in singulos annos Missarum duodecim ad quodcumque Altare privilegiatum, ac distribuendi reliquos fructus in tot dotes scutorum centum *con monacare tante povere Zitelle, che abbiano li requisiti e qualità conforme alli suoi Statuti*, vel his deficientibus puellis, *nel solito maritaggio*. Per aliud deinde instrumentum 29. Augusti ejusdem anni hujusmodi cessionem confirmavit *irrevocabilmente*, rogavitque Officiales Societatis, *che in grazia sua si contentino, che la Signora Maddalena sua pronipote, moglie del Signor Teodosio de Rossi possa nominare due Zitelle l' anno per monacare, o maritare, purchè abbiano tutte le qualità conforme alli Statuti, e dopo la morte di detta Signora Maddalena la figliuola maggiore di essa Signora Maddalena*. Et in tertio demum instrumento anni 1623. hoc ampliavit jus nominandi ad Theodosium de Rubeis, ejusque filios, heredes, & successores in infinitum, & ad medietatem subsidiorum dotalium, in hæc verba = *la Signora Maddalena sua pro-*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

pronipote, moglie del Signor Teodosio Rossi, ed il detto Signor Teodosio mentre vivono, e dopo la morte di essi li loro figli, eredi, e successori, tanto maschi come femine in infinito, possino nominare ogni anno la metà delle Zitelle per monacarsi, o maritarsi.

Paganinio defuncto, cessionem Locorum MM. hereditario nomine extrajudicialiter impugnabat Magdalena, & tertium altera ex parte instrumentum Societas. At res composita fuit per transactionem anno 1624., cumulateque ex parte heredis per traditionem Locorum MM., & ex parte Societatis per acceptationem instrumentorum exequuta fuit pia Institutoris dotium voluntas. Aliæ deinde aliis de causis sub annos 1632., & 1686. initæ fuerunt concordiæ, ratumque habuerunt collatores dotium respectivum eorum jus nominandi puellas pro medietate. Perpetuo autem subsidio fuit descendentibus fœminis Magdalenæ pium legatum. Plures enim a *Clemente IX.*, *Clemente X.*, *Clemente XI.*, *Innocentio XIII.*, aliisque Romanis Pontificibus impetrarunt dotium cumulos, ad summam quandoque scutorum trium, & quatuor millium: num ex una ipsarum medietate, vel ex altera Societatis, non constat. Ex utraque tamen parte præstanda decrevit Sacra hæc Congregatio die 30. Martii 1748. alimenta, & dotes filiabus quatuor, binisque neptibus Philippi de Rubeis. Rescripsit enim *affirmative juxta mentem* ad III. & IV. tunc propositum Dubium, nempe = *An in casu, quo dicta subsidia* [reservata descendentibus Magdalenæ] *non sufficiant pro alimentis, & dotibus ald. Virginum de Rubeis, quæ sunt in numero sex, eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem subsidiorum, quæ distribuuntur a Ven. Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ Urbis* = & = *An dictis Virginibus assignanda sint dicta subsidia, quæ ut supra distribuuntur ab eadem Archiconfraternitate, & in qua summa pro earum qualibet*. Mens autem fuit, quod præstari deberent alimenta *in scutis tribus menstruis pro qualibet*; *subsidia vero dotalia juxta earum statum, & præsentem conditionem, ita tamen, ut nubentes in Domino, nubant extra Urbem*; *& ad Emum Præfectum pro executione*; ut ex confirmatoria resolutione 3. Augusti ejusdem anni 1748. Atque in executionem rescriptorum singulę taxatæ fuerunt dotis

tes in scutis 700. pro nubentibus in sæculo, & sc. 745. pro nubentibus in Domino.

Aliter in Pontificiis exequendis similium dotationum gratiis rescripsit Emus Societatis Protector. Præstanda enim mandavit *ex medietate legati Paganini*, liberæ collationis heredum de Rubeis, tum menstrua alimenta scutorum 2. 50. & dotalia subsidia scutorum 700., quæ *Clemens XIV.* die 14. Martii 1770. cuique concessit filiæ Alexandri de Rubeis, Ludovicæ nempe, Mariæ Franciscæ, & Annæ Mariæ, cum alia subsidia scutorum 700., quæ Pontifex ipse concessit die 21. ejusdem mensis filiabus quatuor Gertrudis de Rubeis nuptæ Joanni Baptistæ Veri Manni. Idemque deinde in Causis alimentorum servavit Sacra hæc Congregatio. Vel enim ex medietate subsidiorum Societatis alimenta denegavit, ut die 10. Maii 1777., vel ea ex altera dumtaxat descendentiom de Rubeis concessit, ut die 20. Augusti 1785. Quo ad alterum vero ex subsidiis dotalibus concessis a *Clemente XIV.* sequuta fuit superioribus annis resolutionem anni 1748. Quum enim nupsisset Joanni Candelori Maria Veri Manni, una ex filiabus Gertrudis, nec facile consequi posset dotem scutorum 700. ex medietate subsidiorum de Rubeis, jam fere ex annuis vitalitiis, & anterioribus dotibus absumpta, ab EE. Vestris idcirco quæsivit die 21. Junii 1788., *An dos scutorum* 700. *assignata Mariæ de Rubeis Veri Manni a san. me. Clemente XIV.*, *præstanda sit ex medietate dumtaxat subsidiorum dotalium Paganini*, *quæ distribuuntur ad nominationem heredum Magdalenæ Paganini*, *& Theodosii de Rubeis*, *seu potius in ejus defectum ex altera etiam medietate subsidiorum*, *quæ distribuuntur ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ*, prodiitque responsum: *Negative ad primam partem*; *affirmative ad secundam*.

Ex hoc, aliisque antiquioribus exemplis Pontificium nuper adiit Solium Maria Francisca de Rubeis, nupta Alexandro Stella Auximano, quæ inter filias Alexandri dotem habuit scutorum 700. ex gratia *Clementis XIV.*, petiitque pro qualibet ex tribus ejus filiabus dotem scutorum 3000. ex medietate ad nominationem heredum Paganini & de Rubeis. Præcibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, testatur Eminentissimus Episcopus Auximanus de descendentia Oratricis a Familia de Rubeis, & de paupertate Familiæ Stella in

hæc

hæc verba : *Pro certo habeo , dictam oratricem Mariam Franciscam , & Mariam Annam esse Alexandri Hyacinthi de Rubeis filias , in quas jus nominandi ad eadem subsidia coalescit : similiter , præfatam Mariam Franciscam nuptui traditam pluribus ab hinc annis Alexandro Stella de Familia hujus Civitatis , nobili quidem , sed nimis angusto instructa patrimonio , & ære alieno gravato , tres ex eodem viro suscepisse fœminas , queis dos congrua ex bonis patrimonialibus constitui nequit.* Atque ita suum aperit votum . *Quapropter cum in casu necessaria requisita concurrant , nempe paupertatis , & descendentiæ a Fundatore , crederem annui posse pro gratia juxta vota nobilis Mulieris oratricis in scutis termille pro qualibet ex tribus filiabus , cum ita expostulent earum gradus nobilitatis , naptiales impensæ hodie mensuram amplius non habentes , ac insuper alia exempla subsidiorum , quæ descendentibus ex Familia de Rubeis soluta sunt a Ven. Archiconfraternitate in quantitate scutorum* 4000. , *vel* 3000. , *vel* 2500. *His omnibus accedit assensus Mariæ Annæ sororis , & Alexandri patris .*

Petitioni Oratricis assentitur Societas (cujus animadversiones , a suo abstinens voto , appellat Eminentissimus Protector) dummodo tribuantur illius filiabus dotes ex medietate subsidiorum reservata descendentibus de Rubeis , & hæc notat , ut suam servet medietatem ; Primo nempe , quod ex duplici cessionis instrumento anni 1620. reservata sibi erat subsidiorum omnium distributio . II. , quod ex simplici gratitudinis ratione approbaverit , quod ex instrumentis illis impugnare potuisset , eorumdem scilicet subsidiorum reservationem favore descendentium de Rubeis pro medietate. III. , quod tam Paulus Paganini fundator in tertio instrumento anni 1623. , quam Theodosius de Rubeis , & Magdalena Paganini in quarto concordiæ instrumento anni 1624. perpetuam circa partitionem subsidiorum promiserunt observantiam . Ita in instrumento anni 1723. *promettendo la detta cessione , ed assegnazione avere sempre con queste condizioni , e patti rata , grata , e ferma , e contro di essa non venire mai per alcun tempo , ne che li suoi eredi vi verranno contra sotto pretesto alcuno* . Et ita in instrumento anni 1624. *quæ omnia promiserunt ad invicem habere rata &c. & contra non facere ; alias ultra prædicta , & eorum puram observa-*

tio-

tionem, teneri voluerunt etiam ad omnia damna. Et IV. demum, quod semper hactenus in dotationibus descendentium de Rubeis ex Pontificiis gratiis servata fuit medietas subsidiorum Societatis. Prima, & secunda ratio excludi posset ex facto approbatæ divisionis subsidiorum per concordiam, & subsequuta observantia annorum centum septuaginta: quarta ex resolutionibus Sacræ Congregationis annorum 1748. & 1788. Una urgeret tertia reservatæ medietatis subsidiorum favore Societatis, tum per stipulationem Fundatoris, cum per contractum heredum, & quidem sub amplissimis perpetuæ observantiæ clausulis. Fortasse enim pro suis dotationibus invadere non possent Oratricis filiæ alienam subsidiorum partem contra conventa pacta, quorum observantiam præscribit etiam *Textus in cap. 1. ibiq. gloss. 1. de pact.*, & *in leg. non minorem 20. Cod. de transact.* At frustra de sua portione timet Societas, quum Oratricis preces ad alteram heredum cohibeantur.

Quatenus igitur EE. Vestræ indulgere velint petitioni Oratricis, eamque favore ejus filiarum adhibere indulgentiam, quam pro pauperibus Fundatorum descendentibus Sacra ipsa adhibuit Congregatio *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium 22. Septembris* 1731., & *in Romana Subsidiorum Dotalium 6. Decembris* 1778., deliberandum erit de quantitate cumuli, ejusque initii tempore. Nobilis conditio filiarum Oratricis dotem exigeret scutorum 3000. pro qualibet, juxta votum Eminentissimi Episcopi; nec antiqua desunt similis, & majoris dotationis exempla, ut notatum est in facto. Favere quidem possent hujusmodi exempla Oratrici: sed ignoratur, num de una antiquitus, vel pluribus eodem tempore dotandis ageretur puellis. Plurium certe dotes statutæ fuerunt anno 1748. in scutis 745. pro qualibet nubente in Domino, & scutis 700. pro nubente in sæculo; & ab eo tempore non excesserunt dotationes scuta 700., ac præ ceteris favore Oratricis per Breve *Clementis XIV.* Sive in una vero, sive in altera quantitate concedatur filiabus Oratricis cumulus, non primum inchoari poterit, quam post eas alias dimissas descendentes, quæ datam etiam habent cumuli fidem. Juxta calculum enim exhibitum a Societate, annua summa subsidiorum spectantium ad heredes, scutorum est 351. 10. Detractis vero scutis 248. pro alimentis, &

vitalitiis, quæ ex Pontificiis præstantur rescriptis, annua remanent scuta 103. 10., præter alia 197. 81. ½ deposita. Ex hoc tamen superextante reditu, & depositio solvendæ adhuc sunt duæ ex assignatis dotibus scutorum 700.

Deliberandum itaque:

An, quomodo, & in qua summa sit concedendus cumulus, dotium tribus filiabus Mariæ Franciscæ de Rubeis Stella in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Martii 1794. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FIRMANA SUBSIDII DOTALIS. Communitas Montis Giberti, administratrix pii operis Luciani, alia nunc ad excludendam instantiam Cajetani Bernetti opportune deducit. Per apocham locationis probat, annua eum ex bonis suis rusticis percipere scuta 240., præter ovos centum, & nonnullos capos; ac secundum depositiones inquilinorum scuta 10.40. ex urbanis. Per fidem vero proprii Secretarii activum & passivum exhibet statum hereditatis. Activus in annuis consistit scutis 174. 49., passivus in scutis 173. 60., ex vitalitiis nempe; fructibus censuum; eleemosynis pauperum; stipendiis utriusque Executoris testamentarii, Secretarii Communitatis, & Ludimagistri; collectis; & dotalibus subsidiis. Atque hinc concludit, nec detrahi posse, nec debere ex tali hereditate dotale subsidium scutorum 200. favore Margaritæ Bernetti, cujus frater congruum habet reditum, nec parum etiam in Urbe ex Causarum patrocinio lucratur. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo sit concedendum subsidium dotale in casu &c.

Affirmative pro summa relicta in testamento tantum.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA, SEU AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An, quomodo, & in qua summa sit concedendus cumulus dotium tribus filiabus Mariæ Franciscæ de Rubeis Stella in casu &c.

Affirmative in scutis 700. pro qualibet ex medietate dotium liberæ collationis heredum de Rubeis, satisfactis tamen alimentis, vitalitiis, aliisque dotium cumulis jampridem concessis.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA ALIMENTORUM, ET SUBSIDII DOTALIS. Quot scutorum millia in dotalia subsidia donaverit Paulus Paganini Archiconfraternitati SSmæ Annuntiatæ Urbis: quo pacto inter Archiconfraternitatem, & descendentes Theodosii de Rubeis ex æquo partitum fuerit jus conferendi dotes: quæ descendentibus annua assignamenta, & dotales concessi cumuli: quid ex dimidia eorumdem descendentium portione quotannis supersit: & quæ demum petitio Comitissæ Mariæ Franciscæ de Rubeis Stella pro tribus ejus filiabus, habent Emi Patres ex præcedenti Folio 8. Februarii in *Romana, seu Auximana Subsidiorum Dotalium*, quæ superiore proposita est loco. Cum Comitissa igitur concurrit Ludovicus filius Julii de Rubeis pro Maria Theresia ejus filia annorum circiter trium. In precibus enim, ad Sacram hanc Congregationem per *Sanctissimum* remissis, menstruum aliquod pro filiola postulat assignamentum, subsidiumque dotale ex eadem descendentium portione, ex qua suis Comitissa consulere curat puellis.

Dubitandum ait Emus Archiconfraternitatis Protector, quin reipsa Orator sit filius Julii, qui tanquam descendens a Theodosio obtinuit die 20. Augusti 1785. per rescriptum Sacræ hujus Congregationis menstrua scuta quatuor titulo alimentorum: nam ea occasione mentionem tantum fecit Julius duplicis ejus filiæ, Annæ Mariæ, & Victoriæ. Aliquantulum de cetero, quo ad annuos superextantes reditus portionis descendentium, a calculo discrepat per Societatem exhibito in altera Causa Stella. Eos namque reditus a scutis 103. 10. ad scuta evehit 106. 26. Et quamvis conveniat de de-

deposito scutorum 197. 81. ½, unam tamen (non duas juxta relatum calculum) solvendam refert dotem scutorum 700. assignatam *usque ab anno* 1781. *erga Mariam de Rubeis nuptam cum Joanne Pansidori, cui interim fructus dotales pensitantur.* Atque ita concludit: *In sensu itaque essem, instantiam Ludovici de Rubeis, legitimatione personæ, & paupertatis præsertim non culposæ probatione omnino destitutam, & intempestivam pro dote quo ad annorum duorum infantulam* (qualis erat superiore anno) *differendi ad tempus opportunum, & habile, post nempe relati debiti dissolutionem.*

Per fidem baptismatis probat Ludovicus, se filium esse Julii de Rubeis, qui dubio procul a Theodosio descendit; & natam ab ipso esse Mariam Theresiam: probatque ex altera proprii Parochi fide, *qualmente l'onesto uomo Lodovico de Rossi, dimorante da circa anni otto in questa Parrocchia colla sua Moglie, ed una figlia, siccome privo di qualunque siasi bene di fortuna, così per varie vicende trovasi ora in istato assai povero, e bisognevole di ogni più opportuno soccorso, e degno altresì di ogni possibil riguardo.* Primæ idcirco occurrit Emi Protectoris difficultati. At ei quo ad menstruum filiæ assignamentum obesse posset alterum concessum superstiti Julio ipsius patri. Haud enim leve subsidium sunt humili familiæ menstrua scuta quatuor, nisi ejus individui personalem negligant industriam. Quo vero ad dotem, præmatura nimis videri potest ejus constitutio pro puerula annorum nunc trium; congruo ad illam solvendam deficiente reditu.

Ponderandum contra, num menstrua scuta quatuor assignata Julio, qui omnibus indiget præ senectute, aliquod afferre valeant levamen pauperi ejus filio, nurui, & nepti, qui omnibus carent. Assignamentum præterea postulat Ludovicus pro ejus filiola, quæ jus forsan habet ad alimenta, donec consequatur dotem; aliarum descendentium puellarum exemplo, quæ aliquid alimentorum titulo consequutæ sunt, ut notatum est in Folio Stella. In qua vero hujusmodi alimenta concedi deberent quantitate, Vestro statuendum esset arbitrio. Vix quidem juxta relationem Emi Protectoris annua supersunt scuta 106. 26. ex portione descendentium, atque ex illorum cumulo, & deposito scutorum

rorum 197. 81. ½ solvenda adhuc est Mariæ de Rubeis Pansidori jam assignata dos scutorum 700.

Ad dotem autem, quod attinet puerulæ, præmatura quidem est illius petitio; sed non desunt similium dotationum exempla, licet plures per annos, & post contracta etiam matrimonia expectari debuerint solutiones, ut præ ceteris accidit Mariæ de Rubeis Pansidori. Quatenus vero EE. Vestræ indulgendum etiam censeant filiæ Oratoris, deliberare insuper dignentur, num præferri debeat puellis Stella. Patrem illa habet *in istato assai povero, e bisognevole di ogni più opportuno soccorso, e degno altresì di ogni possibil riguardo.* Nobiles contra puellæ Stella relative forsan pauperes sunt; nam in petendis dotalibus subsidiis scutorum 3000. pro qualibet, eam præsertim per Emum Episcopum Auximanum afferunt rationem, quod *ita expostulent earum gradus nobilitatis, & nuptiales impensæ hodie mensuram amplius non habentes.* Deliberandum quoque esset de quantitate dotis favore ejusdem puerulæ de Rubeis, num ejus scilicet statui conveniat taxa anni 1748. in scutis 700., si nubat in sæculo, & scutis 745., si nubat in Domino.

Dubia sunt.

I. *An, in qua summa, & ad quod tempus concedi debeant alimenta in casu &c.*

II. *An, in qua summa, & quo tempore sit solvendum subsidium dotale in casu &c.*

Ad I. & II. habebitur ratio suis loco, & tempore.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.

JANUEN. MATRIMONII. Propositum fuit in Congregatione 25. elapsi Januarii I. *An constet de nullitate matrimonii*, & quatenus negative, II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt *Affirmative*; ad secundum *Provisum*

sum in primo. Iterum modo ad præscriptum Benedictinæ Constitutionis *Dei miseratione* ad examen redit Causa; ideoque resumptis Foliis 20. Julii præteriti anni, & 25. prædicti Januarii; novisque perpensis Allegationibus deliberare dignentur Eminentissimi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis,

URBINATEN. SEU ARIMINEN. Pluries *in Foliis* 11. *Junii* 1774., 24. *Januarii* 1784., 11. *Martii* 1786., & 20. *Decembris* 1788. exposita fuit pia dispositio Marci Antonii Gisgoni. Lentiæ siquidem decedens, testamento præscripsit anno 1683., ut post obitum Eleonoræ ejus filiæ & heredis sine filiis universa investiretur hereditas in Civitate Arimini ipsius patria, legavitque trientem rèdituum Hospitali Misericordiæ, bessem pauperibus ejusdem Civitatis = *con preferir però quelli della Casa, se ve ne saranno* = Eleonora in pupillari ætate defuncta, Testatoris voluntatem commutavit *Innocentius XII.*, reditusque inter Hospitale, pauperes invalidos, nubilesque puellas æquis partibus distribuit. Verum ab hac etiam deflecti oportuit destinatione ad succurrendum pauperibus Testatoris consanguineis. Annua præ omnibus ab Ariminensi Antistite obtinuit scuta 18. Junipera de Rubeis ex Oppido *Colbardolo*. Alia scuta 36. Lucas de Alexandris Urbinas per Chirographum Clementis XIV. Et scuta 18. pro quolibet ab hac Sacra Congregatione Marianus illius frater, Gertrudes soror, & Nicolaus nepos per rescripta dierum 9. *Julii* 1774., 7. *Februarii* 1784., & 11. *Martii* 1786. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quamvis autem præfati de Alexandris annua in unum ex hereditate Gisgoni perciperent scuta 90., certarunt tamen cum illius Administratore in Congregatione 17. Januarii 1789., ut integrum consequerentur redituum bessem, quatuor etiam productis filiabus Lucæ. Ad Dubium vero, *An ad Oratores pertineat pro duabus*

ex

ex tribus portibus pium legatum relictum a Marco Antonio Gisgoni, ita ut illorum precibus sit annuendum, rescripserunt EE. Vestræ, *Negative in omnibus*. Temperatiores hinc ad *Sanctissimum* dederunt preces pro triente saltem redituum, qui annuam attingunt summam scutorum circiter 1470., iisque ad Sacram ipsam Congregationem remissis, hæc habet Urbinatensis Archiepiscopus: *Quod dicere mihi fas est, dicam ingenue: Oratores, & præsertim quatuor puellæ nubiles, una cum earum matre vidua, Nicolaus octogenarius, ac pene cæcus, summa egestate, integris tamen moribus adjuncta, laborant. Quapropter si quis gratiæ pateat aditus, beneficentissimum Principis animum eos experiri aliquatenus saltem posse confido.*

In aliam vero abit sententiam Episcopus Ariminensis. Subsidia porro memorans jam per Oratores impetrata, notat, quod *ea non ex justitia, sed tantum ex gratia attributa ipsis fuerunt. Gratia porro jam obtenta jus nullum tribuit ad aliam obtinendam. Immo in præsenti casu prima gratia secundam excludendi vim habet. Nam etiamsi Oratoribus concedere velimus, vere pauperes, de domo Testatoris, & ex pauperibus vocatis eos esse, cum tamen qui mox una simul subsidium petunt, iidem ipsi sint, qui singillatim subsidiati jam sunt, atque ita subsidiati, ut dici omnino debeant ceteris vocatis pauperibus quantitate subsidii prælati, hoc ipso ab ulteriori subsidio excluduntur.* Ex ore insuper Administratoris hereditatis rationes regerit, quibus rejecta fuit instantia anni 1789., quæque præsenti etiam conveniunt, licet a besse ad trientem redituum contractæ: defectum nempe paupertatis Oratorum ob stabilia quæ possident bona, præter industriam, & subsidium, quo *jam gaudent singuli satis conspicuo*: qualitatem rursus forensium, quæ impedimento est, ne tanquam Urbinates consequantur legatum relictum pauperibus Ariminensibus: Et remotissimam eorumdem Oratorum consanguinitatem cum Testatore in duodecimo gradu. Atque ita demum per Administratorem ipsum concludi ait, nempe *actum esse de pauperibus Arimini, ac præsertim de invalidis, quorum pars in Hospitalis domo collecta, pars in Civitate ab hereditate Gisgoni vel sustentatur, vel levamen accipit, si precibus Oratorum obsequendo, eorum aviditas foveatur. Hi namque potius quam novis concessionibus acquiescant*

scant, audaciores in dies fiunt, dumque paupertatem suam exagerant, minime gravantur & Patronos sibi comparare, & lites sustinere, quibus a viginti circiter annis ad hæc usque tempora hereditatem persequi non desinunt.

Quæritur primo de viribus resolutionis 17. Januarii 1789., num triens saltem redituum Gisgoni debeatur Oratoribus, quibus denegatus fuit bes. Suam iterum Alexandrii ostentant consanguinitatem, licet in duodecimo gradu ad sensum Juris deletam; iterumque novissimæ informationi Urbinatensis Archiepiscopi innixi, paupertatem urgent, ob quam ipsi tanquam consanguinei præferri debent ad legatum relictum pauperibus, tum ex Jure secundum *Leoncill. de privileg. pauper. privileg.* 89. *verb. donatio*, *Tiraquell. de privileg. piæ caus. in præf. vers. facit pro prima*, & *Rot. in nuperr. decis.* 232. *num.* 7. *tom.* 8., cum ex dispositione Testatoris, qui nedum trientem, quem modo postulant, sed bessem etiam legavit redituum pauperibus, *con preferir però quelli della Casa, se ve ne saranno*. Sub nomine autem *domus* remotissimos quoque contineri ajunt consanguineos ad tradita per *Fargn. de jur. repatr. part.* 2. *can.* 1. *cas.* 6. *num.* 22. Quin eis obstet forensium qualitas; dum eam neglexit Sacra hæc Congregatio, concessitque subsidia Oratoribus, licet Urbinatibus. Facile enim in legatis piis admittitur extensio, ut pauperibus Testatoris consanguineis succurratur, *Leoncill. loc. cit.*, *Amost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 48. Neque tanti æstimandum autumant subsidium scutorum 90.; ipsorum Familiæ concessum; nam major est indigentia, longeque subsidium illud minus besse, quem Testator reliquit pauperibus cum prælatione consanguineorum.

Altera ex parte Administrator hereditatis, præter exceptiones, quas de Alexandris patiuntur tanquam Urbinates, & remotissimi consanguinei, defectui potissimum insistit paupertatis. Ii namque domum possident habitationis, prædiumque annui reditus scutorum circiter 21. Alter insuper ex ipsis annua lucratur scuta 22., ut lyrista Metropolitanæ Ecclesiæ Urbini. Aliaque omnes habent scuta 90. ex legato Gisgoni. Factum accedit sumptuum, quos nec facere ut pauperes potuissent, neque in hac facere possent Causa.

Illudque etiam notandum, quod eum ipsum petunt redituum trientem, quem *Innocentius XII.* assignavit pauperibus invalidis; & sic pium hoc everterent opus, dum commodum sibi pararent statum per annuum reditum scutorum circiter 500., in quibus triens consistit.

Nisi vero annuendum sit pro concessione trientis, hoc saltem juxta secundum Dubium petunt de Alexandris, ut augeantur jam concessa subsidia; Vestramque excitare stud*e*nt pietatem ex paupertate nubilium puellarum quatuor, & octogenarii Nicolai pene cœci. Bene ordinatæ enim charitati consentaneum dicunt, ut in legato pauperum pauperes præferantur consanguinei ex *can. ceterum distinct.* 86., *Piringh. in lib.* 5. *Decretal. tit.* 26. *num.* 12. Administrator contra hereditatis hanc etiam reiiciendam censet petitionem ex rationibus ipsis super primo Dubio deductis, atque ex defectu præsertim veræ paupertatis, & præjudicio pauperum invalidorum, *quorum pars in Hospitalis, domo collecta, pars in Civitate ab hereditate Gisgoni vel sustentatur, vel levamen accipit.*

Deliberandum itaque.

I. *An, & quomodo sit standum, vel recedendum à decisis sub die* 17. *Januarii* 1789. *in casu &c.*

Et quatenus in decisis.

II. *An, & in qua summa sit locus augmento assignamenti in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

*Sess.*25. *cap.*5. *de Regular. & Monial.*

FERENTINA VISITATIONIS SS. LIMINUM. Peramplum in Civitate Ferentini Patres conventuales possident Cœnobium, adnexasque officinas, & atria, cum rusticis ædibus, quæ muris undique, septisque Monasterii clauduntur. Singulas hujus Conventus partes delineatas exhibet mappa topographica, quam gene-

neralis Procurator Ordinis exhibuit, quamque præsenti Folio addendam censui, ut facilius Rmi Patres de proposita quæstione decernant. Siquidem intra septa præsertim locus quidam existit culturæ ineptus, quem vocant *hortum frigidum*, ubi nulla unquam clausuræ lex indicta fuit, & idcirco tam viris, quam fœminis patuit hactenus promiscuus accessus. Exterior *horti frigidi* janua signata litera A., proximam habens a dextris turrim campanariam, à sinistris portam Civitatis dictam *Porterulam* ad introducenda *animalia*, *onera*, *proventus*, *aliaque similia in comodum memorati Conventus* inservit. Intra ipsius cavedii ambitum duo sunt inurbana receptacula, quorum primum B. famulo Conventus dormitorium præbet, alterum C. complectitur stabulum, fœnile, gallinarium, ligna, & alia hujus generis. E prospectu ipsius Ædificii sese offert atrium D., quod hinc inde binas habet adnexas cellas frumentarias EE., quodque in extremitate F. ducit ad alterum cavedium G., à quo clausura Conventus incipit, cum ab eo detur aditus ad cellam olearium H., & per ostium I. ad Conventum K., ubi habitant Religiosi, & ceteræ sunt officinæ.

Dubitare hinc cepit Ferentinus Antistes in pastorali Visitatione anni 1789., & in novissima anni 1792., num *hortus frigidus* subiiciendus esset clausuræ, ideoque statum describens suæ Diœcesis, Vetrum hac de re postulavit oraculum. Ablegato autem ad folium examine, atque affirmativam ipse defendens sententiam, ita rescripsit: *Ex facto hactenus exposito consequi mihi videtur, prædictum horti frigidi locum comprehendi intra septa Monasterii clausuræ subjecta, in quæ fœminas ingredi nefas est; cum clausuræ nomine communiter intelligatur totum illud spatium, quod intra septa Monasterii, seu Conventus continetur, ut habent plura Sacræ Congregationis Episcoporum decreta relata à Ferraris in Bibliotheca verb. Conventus artic. 3. num. 9., de qua re sæpius, sed frustra, amicè monui ejusdem Conventus Religiosos.* Aliter vero sentit Procurator generalis his innixus rationibus: *Locus* (inquit) *quem hortum frigidum vocant, non est cubiculis & officinis Conventus ita unitus, ut hujus pars dici possit, sitque clausuræ subjectus. Neque officit, quod muris undique, & septis Monasterii claudatur controversus locus.*

Nam si valeret hæc ratio, nullum esset atrium, & cavædium, immo pars nulla in Monasteriis, atque Conventibus, quæ non subderetur clausuræ: quandoquidem portiones illæ omnes, quæ à clausuræ lege exemptæ sunt, passim ubique à muris, seu septis Monasteriorum circumambiantur. Quare scrupulus invasit Ferentinum Antistem, qui ibi clausuram suspicari cepit, ubi nec ipse per 40. circiter sui Episcopatus retroactos annos, nec ullus unquam Prædecessorum suorum, neque Superiorum mei Ordinis quisquam clausuram esse, aut esse debere suspicatus est.

Ut omnis procul esset occasio violandi votum castitatis inducta fuit clausura in Regularium Monasteriis, quæ eo præsertim respicit, ne ibi mulieres recipiantur, *cap. Placuit* 8., *cap. Juxta* 11., *cap. Monachi* 33. *caus.* 16. *quæst.* 1., & *cap. Pervenit* 20. *caus.* 18. *quæst.* 2. Saluberrima tamen hæc sanctio privilegiorum prætextu eludi ceperat temporibus S. Pii V., qui proinde ad tollendos irreptos abusus Constitutione, quę incipit *Regularium Personarum*, mulieribus cujuscumque gradus omnia revocavit privilegia, aut licentias ingrediendi Monasteria, ac Domos Regularium; lata contra ipsos pœna privationis officii, & suspensionis ipso facto; contra mulieres vero excommunicationis Summo Pontifici reservatæ. Has autem pœnas alia Constitutione *decet Romanum Pontificem* ad casum extendit, quo absque ullo etiam privilegiorum prætextu in Regularium Cœnobiis fœminæ reciperentur, atque instauravit Gregorius XIII. per Constitutionem *Ubi Gratiæ*, qua eadem lata est excommunicationis sententia, sive contra Religiosos admittentes, sive contra mulieres quocumque titulo ingredientes ipsorum Cœnobia.

Cum vero & Canones, & Constitutiones Apostolicæ de Monasteriis, ac Domibus tantum Regularium mentionem fecerint, hinc mota est quæstio, an mulieres admitti liceret intra domos rusticas Regularium, vel eorum hortos à Monasteriis disjunctos, quo recreationis gratia Religiosi interdum sese conferunt; atque in re odiosa ne fieret extensio, affirmativam defendit *Pellizar. de Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *sect.* 2. *n.* 33. & *Lezana eod. tract, tom.* 1. *cap.* 10. *pag.* 67. *num.* 11. & *tom.* 2. *verb. clausura sub num.* 3. Qua quidem præ-

missa

missa opinione, jure hactenus Religiosis placuisse videtur, ut *Hortus frigidus* à clausura foret immunis. Prædictus enim locus nedum non adhæret Monasterii ædificio K., ut unum quasi cum eo corpus constituat, sed immo à Cœnobio procul dividitur per duo interposita cavedia, seu atria G. D., & separatam denique januam habet A., itaut hortum illum petentibus necessarius non sit transitus per Monasterium, aut interiores officinas, vel cavedium G., quod clausuræ subiicitur.

Rationibus hujusmodi immemorabilis accedit observantia, quum referat Procurator Generalis, quod nec hodiernus Episcopus = *per* 40. *circiter sui Episcopatus retroactos annos, nec ullus unquam Prædecessorum suorum, neque superiorum mei Ordinis quisquam &c.* (*in horto frigido*) *clausuram esse, aut esse debere suspicatus est*; Siquidem de clausura quæritur, quæ a jure tantum ecclesiastico procedit, *cap. Periculoso de Statu Regular. in* 6., *Pellizar. de Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *sect.* 1. *num.* 5., & *Wiestner in instit. can. lib.* 5. *tit.* 31. *nu.* 70., quæque idcirco rationabili, & contraria consuetudine præscribi potest, ut firmant *Wiestner loco citat.* & *Reiffenstuel in lib.* 3. *decret. tit.* 35. *num.* 66. De clausura, inquam, cujus limites statuere, aut moderari præcepta in Cœnobiis Regularium, ad Prælatos, seu Ordinis superiores pertinet juxta *Suarez. de Relig. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. *tom.* 4., *Thesaur. de pœnis part.* 2. *verb. clausura cap.* 1. & *Leuren. for. benef. tom.* 3. *tit.* 34. *quæst.* 913., proindeque longæva consuetudo, quam constans excepit superiorum accquiescentia, talem sibi vim nancisci potuit, ut propitium Patribus quæstionis exitum expromittat. Etenim *damnanda non est consuetudo, vi cujus &c. in pluribus Monasteriis præcepta clausura non observatur*, ut his verbis disserit *Wiestner loco citat.*

Verum opinio Canonistarum qui hortos, aut domos rusticas à clausuræ lege exemptas statuerunt, ita intelligenda est, ut procedat in locis extra septa Monasterii existentibus, atque in hoc sensu *Pellizarius*, & *Lezana* superius citati canonicam dispositionem limitarunt. De locis enim, quæ septis, aut Monasterii parietibus cinguntur, nemo dubitat, quin clausuræ subiiciantur. Literalis in id est *Textus in cap.*

Exiit,

Exiit, qui seminat de verbor. signif., & communis *Doctorum* opinio, inter quos præsentem casum egisse videntur *Lezana de regular. tom. 2. verb. clausura pag. 116. num. 3.* = ibi = *Terminus vero hujus clausuræ Religiosorum comprehendit totum circuitum Monasterii, includendo etiam in illo hortum, nemus, & alia loca illi adnexa, quæ muris Monasterii, seu septis cinguntur* = *Sanchez. lib. 6. moral. cap. 17. num. 14., Reiffenstuel. lib. 3. decret. tit. 35. num. 27.* = ibi = *Infertur, non tantum ipsum Monasterium, ejusque officinas, & habitacula interiora, sed etiam hortos Monasterio contiguos, inter præfatos muros, seu septa existentes, quo distractionis gratia, se Regulares conferunt, & quidquid intra eadem septa existit sub clausura comprehendi*, quibus plaudit *Leuren. for. eccles. lib. 3. sub quæst. 912.*, & *Matthæucc. offic. cur. eccles. cap. 11. num. 20.*, ubi decisum fuisse refert ab hac Sacra Congregatione die 16. Octobris 1578. = *hortos, vel sylvas muratas, aut fovea circumdatas comprehendi sub clausura.*

Si vero clauditur *hortus frigidus* muris, septisque Monasterii; si ad illum aditum habent Religiosi per interiorem Conventus januam I. & atria *G. D.*, prout sæcularibus ab eodem horto ad Claustrum dari potest accessus; si denique hac præsertim de causa inducta est clausura, ne Religiosis detur occasio conversandi cum fœminis, quam in *horto frigido* à clausura exempto facile haberent, non incongruum videtur consilium Episcopi, protrahendi scilicet clausuram ad hortum illum, quem de cetero sub clausura comprehendit Juris dispositio. Ubicumque enim quælibet esse possit occasio scandali, Ordinariis locorum in Monasteriis etiam exemptis auctoritate delegata incumbit clausuram inducere, vel inductam restaurare, *Piasecc. in Prax. Episcoporum part. 1. verb. Monialis quæst. 4.*, *Barbosa de potest. Episcopi allegat. 102. num. 7.*, & *8.*, & *Leurenn. for. benef. tom. 3. tit. 34. quæst. 913.*, neglecto Superiorum Regularium dissensu, quibus non licet = *clausuram jam à jure infixam pro libitu aliter statuere* =, aut decernere = *quod locus aliquis, v. g. hortus intra septa Conventus existens, non sit de clausura*, ut totidem verbis disserit *Reiffenstuel. in lib. 3. decret. tit. 35. num. 27.*

Quam

Quam sane vigilantiam adhibere tenentur Episcopi, contraria qualibet non obstante consuetudine, sive ex Sacri Concilii tridentini monitis *in sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.*, ut advertit *Reiffenstuel. loco citat. num.* 66. *in fin.*, sive ex litera recentioris Constitutionis *Regularis Disciplinæ*, qua san. mem. Benedictus XIV. veteres instaurando Constitutiones *sub* §. 7. clausula sublata & Decreto irritanti consuetudines omnes sustulit permittentes fœminis ingressum intra septa Monasterii. Reque vera in *Urbanien. Clausuræ* de atrio Cœnobii Patrum Conventualium agebatur, ubi quatuor erant januæ; prima scilicet in via publica; altera ducens ad Ecclesiam, tertia ad Cœmeterium, & quarta ad Conventum; atque ab hac tantum janua, ex immemorabili consuetudine incipere solebat clausura, neque fœminæ idcirco ab atrio excludebantur. Quæsitum autem fuit = *An atrium, de quo agitur, sit extra clausuram Conventus Sancti Francisci Civitatis Urbanicæ, ita ut servanda sit prætensa consuetudo immemorabilis super illius libertate in casu &c.* & Sacra Congregatio die 18. Aprilis 1750. rescripsit: *Negative, & amplius.*

Ex his igitur deliberare dignentur.

An hortus frigidus comprehendatur sub clausura, seu potius servanda sit consuetudo super illius libertate in casu &c.

NUCERINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET TRANSACTIONIS. Pius Sacerdos Joannes Porfiri sibi anno 1785. usufructuarios cum reciproca substitutione scripsit heredes Sacerdotem Josephum, & Dominicum germanos suos fratres, ac Hieronymam Guisanti sobrinam, *purchè edempiano a quanto io sono per prescrivere nella proprietà*. Iis omnibus vita functis, legavit habitationis suæ domum in regione *S. Francisci* (quæ pro medietate ad Sacerdotem Josephum *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

phum pertinebat) Nosocomio S. Antonii Abbatis oppidi Saxiferrati cum annuo onere Missarum viginti ad Altare privilegiatum Ecclesiæ S. Mariæ de pace Minorum Observantium. Ecclesiasticam ex reliqua hereditate instituit Capellaniam in ejusdem Nosocomii Ecclesia cum onere Missarum quatuor in singulos menses, aliarumque septem in die Purificationis B. M. Virginis. Et jus nominandi Capellanum seniori reliquit Sacerdoti oppidi sub lege nominandi *il Chierico più povero, che potrà trovare in questo Territorio di Sassoferrato, purchè sia in stato di giungere al Sacerdozio*; cui Clerico facultatem dedit celebrandi per alium quousque ad Sacerdotium perveniret; assignavitque pro ejus habitatione domum alteram in regione *Burgi*, quam jure dotis possidebat, & possidet Anna Lucia germana ipsius Testatoris soror, eo quod *non avendo avuta prole, de jure deve ritornare alli promittenti*.

Eodem testati fuerunt contextu Sacerdos Joseph, & Dominicus, & accepta in qualibet ejus parte dispositione Sacerdotis Joannis sub amplissima promissione eam observandi, *ne contro essa per niun titolo fare, dire, o venire sotto qualunque pretesto, causa, ingegno, o quesito colore sotto strettissimo vincolo di obbligo camerale*, de suis & ipsi disposuerunt bonis favore Capellaniæ (nil tamen possidebat Dominicus, omniaque erant inter fratres Sacerdotes communia) *promettendo, ed obbligandoci di mai recedere da questa disposizione*; & declarando, *essere il nostro ultimo testamento, quale vogliamo che vaglia come tale, e se come tale non valesse, vogliamo che vaglia come codicillo, o donazione in causa di morte*. At hisce non obstantibus clausulis, suam dispositionem per actum inter vivos revocavit anno 1790. Sacerdos Joseph, & nedum ex sua, sed ex altera etiam bonorum portione defuncti Sacerdotis Joannis, canonicalem, eamque presbyteralem instituit præbendam sub titulo Purificationis B. Virginis in Collegiata Ecclesia S. Petri Apostoli ejusdem oppidi Saxiferrati, reservato sibi, suoque fratri Dominico quoad viverent usufructu. Eadem autem futuro Canonico præ ceteris imposuit onera, ac Sacerdos Joannes Capellano; Missarum scilicet quatuor in singulos menses, aliarumque septem in die Purifica-

ficationis; quæ in designata celebrari deberent Ecclesia, & nunquam reduci, aut transferri possent: nominavitque in primum Canonicum Sacerdotem Antonium Octaviani, vel eo erectionis tempore non existente, Sacerdotem Aloysium ipsius nepotem, reservata in posterum activa nominatione Nucerino Episcopo, vel Archipresbytero Collegiatæ, Episcopali Sede vacante, passiva vero familiæ Octaviani.

Æque hinc de habitatione solicitus Canonici, ac fuerat Sacerdos Joannes simplicis Capellani, parumque in reversione fidens dotalis domus Annæ Luciæ ejus sororis, quæ de illa forsan sive inter vivos, sive per actum ultimæ voluntatis disponere poterit, ad alteram se convertit domum Nosocomio legatam. Ratus enim, quod ob suum revocatum testamentum, de dimidia disponere posset hujusce domus parte, integre eam Nosocomio per transactionem concessit cum onere viginti Missarum ad formam testamenti Joannis, & sub duplici pacto, quod sufficientem in illa præbere teneretur habitationem Canonico pro tempore, tres nempe mansiones, coquinam, & cryptas, *qualvolta il Canonico pro tempore non abbia alcuna casa ad esso, e suoi appartenente nel castello di Sassoferrato*; quodque altera ex parte solvere deberet primus Canonicus ex hereditate scuta quinquaginta, favore Nosocomii investienda. Pro beneplacito nunc Apostolico, in hac transactione reservato, supplicant Nosocomii Administratores; & ex re gesta quæritur etiam, num sit commutanda voluntas Sacerdotis Joannis, ut servetur altera Sacerdotis Josephi.

Nucerinus Episcopus refert bona omnia Porfiri, ab uno & altero Sacerdote quæsita fuisse, & juxta transmissas peritias in scutis consistere 436., excepta habitationis domo; ac imparem propterea esse erectioni Capellaniæ dimidiam hujusce summæ partem, ad hereditatem Sacerdotis Joannis spectantem: *adest enim in institutione onus Missarum* 55. *quolibet anno*, *in Ecclesia Hospitalis S. Antonii celebrandarum*; *adsunt onera ecclesiasticorum vectigalium*; *aderit illud manutentionis*. Eoque magis imparem, quia ex voluntate ejusdem Sacerdotis in Capellanum eligi debet pauperior Clericus, qui neque idcirco ad sacrum ascendere posset Presbyteratus ordinem adeo tenuis Capellaniæ titulo, neque

ad Sacerdotium usque valeret *se ipsum alere, eleemosynam tradere Sacerdoti, qui Missas a Testatore injunctas celebret, vectigalia persolvere cum fructibus scutor.* 218. Illudque etiam notat, quod in assignanda dotali Annæ Luciæ domo pro habitatione Capellani, concessit Sacerdos Joannes *quod suum amplius non erat, quin immo id, quod erat & est in dominio alterius: de propria enim dote dicta mulier disponere potest; & posito casu quod non disponat, & fratres præmoriantur, heredes intestatæ dictæ mulieris erunt proximiores consanguinei, non vero Capellanus.*

Atque hinc concludit *Capellaniam hujusmodi ita a Joanne institutam, cum solis reditibus patrimonii sui subsistere nullatenus posse, bene vero adjunctam Canonicatui erecto a Josepho, plenam habere posse subsistentiam. Posito enim, quod patrimonium Joannis non segregetur pro Capellania ab eo instituta, totumque patrimonium tam Joannis, quam Josephi insimul unita relinquantur, provisus de Canonicatu tenebitur omnibus oneribus a Joanne præscriptis satisfacere: quin immo Joseph ipse prævidit, quod non fuerat a Joanne prævisum = che non possa mai, per qualunque evento, e causa, in tutti e perpetui futuri tempi domandare riduzione di Messe stabilite e volute da D. Giovanni = Et ad substinenda dicta onera junguntur omnia bona donata a Lucretia Bentivoli soli Josepho, quæ reddunt annuos fructus scutorum* 36.

Hæc vero habet de transactione: *Quo ad domum Hospitali donatam a Joanne, videtur mihi, transactionem a Josepho propositam, & superius relatam, meliorem facere conditionem Hospitalis, quam Canonicatus. Innegabile etenim est, spectare ad Josephum medietatem domus vigore instrumenti emptionis: si acquiescit, ut ab Hospitali tradantur Præbendario tria tantum cubicula, coquina, & commodum cellæ vinariæ, & quidem conditionate = purche non abbia la Casa in Castello = non medietatem domus requirit, sed exiguam partem; & hujus exiguæ partis perpetuam annuam pensionem persolvit Hospitali. Jubendo etenim primo Præbendario, ut tradat Hospitali quinquaginta scutata ad effectum investiendi favore dicti Hospitalis, quid hoc imperium importat, nisi annuam perpetuam pensionem? Et quidem Officiales dicti Hospitalis non hæsita-*

tarunt modò consensum volitum ab EE. Vestris præstare, bene in hoc agnoscentes Hospitalis utilitatem.

Suam Joannes Porfiri destinavit bonorum portionem erigendæ Capellaniæ, ut sibi per Missarum suffragia, & pauperiori oppidano Clerico per ipsam consuleret Capellaniam. Fraudanda ergo non videretur pia ejus voluntas per institutionem diversi operis, seu Canonicatus, ex quo idem utique haberetur suffragii finis ob eumdem propositum Missarum numerum, sed consultum non esset pauperiori Clerico, quem Sacerdos Joseph prætermittit. Quandoquidem *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, converti*; ut in hæc verba monet *Clementina Quia contigit, de religios. dom.* Maxime quia per erectionem Canonicatus cum reservatione juris nominandi favore Episcopi Nucerini læderetur jus quæsitum seniori Sacerdoti oppidi, cui Joannes tribuit electionem Capellani. Neque enim Summus Pontifex lædere solet absque publica causa jus Tertii, *Amost. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 8., Pignatell. consult. can. 149. num. 5. tom. 4.*

Difficile quidem cum præscriptis oneribus erigi posset Capellania ex bonis Institutoris, ut ponderat in præmissa informatione Episcopus. Cessaret vero difficultas, si addenda esset portio Sacerdotis Josephi. Hic namque dispositionem confirmavit fratris, suoque contextuali testamento admiscens contractum, perpetuam sub obligatione camerali promisit illius observantiam, ac sua etiam Capellaniæ addidit bona. In his sane terminis revocare forsan non potuit, quod semel favore causæ piæ, licet per ultimam voluntatem, tanta celebritate constituit, *Spin. gloss. 18. principal. de meliorat. sub num. 55.* Eoque magis, quia ab anno 1786., quo decessit Sacerdos Joannes, potitus est usufructu ejus hereditatis, relicto sibi, & Dominico sub conditione, *purchè adempiano a quanto io sono per prescrivere nella proprietà*. Bona enim fides non patitur, ut post perceptum hujusmodi emolumentum recedat a correspectiva obligatione erigendi Capellaniam, *Castill. part. 2. controv. cap. 18. num. 56. & 63.*

Si verior contra admittatur sententia, quod ex natura actus ad mortem revocabilis correspectivum etiam re-

tractari valeat testamentum, quibusque irrevocabilitatis clausulis munitum, *Mynsinger. observat.*8. *num.*2. *cent.*1. *limit.*2., *Vasq. de success. lib.*1. §.1. *num.*10., *Calcagnin. de variat. ultim. volunt. art.*2. *num.*74., *& seqq.*, jam libere Sacerdos Joseph revocare potuit quod per actum ultimæ voluntatis disposuerat; ejusque idcirco dempta bonorum portione, difficultas redit erigendi Capellaniam ex sola portione Joannis, quæ vix scuta attingit 218. Ex fructu namque hujusce tenuis summæ annuæ celebrari deberent Missæ 55., præter onus manutentionis, & vectigalium. Justa autem commutandæ voluntatis causa est difficultas exequendi præscriptum opus, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *& in Melphien. Commutationis Voluntatis* 22. *Junii* 1743. Aliaque per erectionem talis Capellaniæ essent incommoda, deficientis nempe sustentationis pauperioris Clerici, cui consulere voluit Joannes, & incertæ eius habitationis in dotali domo Annæ Luciæ, ut animadvertit Episcopus.

Opportunior itaque videri posset erectio Canonicatus; dum ex utraque communium bonorum portione, aliisque bonis per Josephum quæsitis ex donatione Lucretiæ Bentivoli congrua constitueretur præbenda; nec quidquam detraheretur de suffragio volito a Joanne, pro quo celebraturus erit Canonicus eumdem Missarum numerum. Divinus insuper augeretur cultus, servitiumque Collegiatæ Saxiferrati, cum spirituali etiam Populi utilitate, ex quibus assentitur Capitulum erectioni Canonicatus. In similibus porro circumstantiis erigi permisit Sacra Congregatio ob tenues reditus Mansionarias loco Canonicatuum *in Prænestina* 15. *Martii* 1777., *& in Eugubina Commutationis Voluntatis* 1. *Aprilis* 1786. Quin læderetur jus nominandi Capellanum, seniori Sacerdoti reservatum in testamento Joannis. Quum incerta enim sit persona nominantis, nulli propterea fieret injuria; ex deductis per *Rot. cor. san. mem. Clem.XIII. decis.*227. *num.*2. *& 7.*

Quantum vero ad transactionem; damnosa dubio procul esset Nosocomio, si observare teneretur Joseph quod in correspectivo disposuit testamento. Integra enim ad Nosocomium ipsum spectaret legata domus, nec sine improvida profusione habitationem concedere posset Ca-

Canonico ad tradita per *Redoan. de reb. Eccles. non alien. quæst.* 1. *num.* 1., *Card. de Luc. de alien. disc.* 1. *num.* 44. At si legitima conseatur testamenti revocatio, utilior dici potest Nosocomio trium mansionum concessio in habitationem Canonici, & quidem sub conditione illa, *qualvolta il Canonico pro tempore non abbia alcuna casa ad esso, e suoi appartenente nel Castello di Sassoferrato*, quam medietatis domus ad Josephum spectantis traditio: attenta potissimum compensatione promissi capitalis scutorum quinquaginta, & consensu Officialium Nosocomii, qui hisce de causis agnoscunt, & fatentur illius utilitatem.

Deliberare igitur dignentur Eñi Patres.

I. *An sit consulendum SSño pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit approbanda transactio in casu &c.*

FERETRANA IRREGULARITATIS. Per insidias occisus fuit anno 1782. in Civitate S. Marini Clericus Virgilius Lolli, quin criminis auctor innotuisset. Homicidium tamen ex pluribus indiciis Patricio illius Reipublicæ nonnulli imputabant, alii Clericum Josephum Belzoppi familiarem ejus amicum aut complicem, aut saltem conscium suspicabantur. Hunc igitur in carceres detrusum, ob defectum probationum post annum circiter Fiscus dimisit *præstita fidejussione de se repræsentando*; atque hoc tandem deleto præcepto, mense augusti elapsi anni eumdem a fidejussione liberavit, *tamquam non repertum culpabilem*. *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

Reportato autem Partis etiam consensu, ad Emas Vestras confugit Belzoppius pro dispensatione ab irregularitate, quatenus in eam incidisset, ut in adulta nunc 43. annorum ætate Sacris Ordinibus initietur. His autem

de

de precibus Episcopus decernendum reliquit ex relatione Archipresbyteri S. Marini, qui testatur Oratorem *honestis, probisque moribus esse præditum, sacramenta frequentasse; meæ Ecclesiæ servitio adscriptum, idoneum, habilem, ac promptum sæpe sæpius se demonstrasse, & nunc utilem, & necessarium* [ob inopiam Sacerdotum] *ad ecclesiasticas functiones in hac mea Ecclesia exercendas summopere reperiisse, dummodo ad sacros majores ordines sit promotus; nec non christianæ pietatis complura exempla dedisse, ceterisque præclaris dotibus præluxisse.*

Quamvis non constet, utrum Orator criminis auctor, vel complex fuerit, non ideo de irregularitate dubitandum videtur. Hanc enim si non ex infamia *juris*, condemnatoria scilicet sententia, saltem ex infamia *facti*, seu ob vulgatam delicti opinionem contraxit, *can. Qui aliquo crimine 4. distinct. 51., can. Infamem. 17. caus. 6. quæst. 1., Reinfenstuel. in lib. 5. decret. tit. 37. num. 59.* Neque vera absolutus non fuit Belzoppius ex capite innocentiæ, quæ una sententia reum ab omni purgat criminis imputatione, ad *Text. in leg. licet. §. In factum ff. Naut. caup., & stabulo, & Ursaya institut. criminal. lib. 4. tit. 8. num. 10.*, sed prius dimissus *præstita fidejussione de se repræsentando*, elapso tandem anno, ab hoc præcepto absolutoriam reportavit tanquam *non repertus culpabilis*. Neutra vero ex his formulis delictum omnino excludit, aut infamiam ab eo procedentem tollit, ut tradit *Raynald. observ. crim. tom. 3. cap. 32. supplement. 2. num. 19., & Ursaya loco citat. num. 13., & 20.*

Cum autem de promovendo agatur, & de studioso homicidio, nunquam permittendum esset, ut auctor sacris Ordinibus initietur, *etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit*, ut his verbis jubet *S. Concilium Tridentinum in Sess. 14. cap. 7. de reform.*. At hujusmodi severitas, quæ adhiberi solet ubi concurrit infamia *juris*, scilicet condemnatoria sententia, aut etiam privata ipsius recurrentis confessio, ex communi *Doctorum* interpretatione cessat erga irregulares ex infamia *facti*, delictum negantes. Siquidem hæc irregularitas *tollitur absque dispensatione per eum vitæ emendationem, quæ maculas priores non solum coram Deo, sed etiam*

in

in opinione hominum deterserit, ita ut sinistræ famæ successerit bona existimatio, prous his verbis notat *Habert. Theolog. dogmat. moral. dispensat ad Ord. part. 3. cap. 5. §. 8. in fin.*

Nonnisi levissima profecto contra reum criminis indicia ex eo deducta fuerunt, quod familiare uteretur prætensi Rei amicitia. Hæc sinistra opinio nedum temporis lapsu, per undecim nempe annos a sequuto homicidio, sed morum honestate emendata videtur, juxta *Antonell. de regimin. Eccles. lib. 1. cap. 6. numer. 17.*, quum testimonio Archipresbyteri constet, Oratorem *præclaris dotibus* præditum, Sacramentorum frequentia, atque assiduo Ecclesiæ servitio, *christianæ pietatis complura exempla dedisse*; quumque in ejus promotione Ecclesiæ necessitas, atque utilitas concurrat. In his vero circumstantiis plura sunt indulgentiæ exempla, ut *in Lucen. Dispensationis ab Irregularitate 19. Decembris 1789., & in Urbevetana Irregularitatis 20. Martii 1790.*

Quæritur itaque,

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

AMPURIEN., SEU EMPORIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Quæ Cathedrali Emporiarum in Sardinia incumbunt Missarum onera, sua olim auctoritate ob imminutos fundos reduxerant Emporienses Episcopi. Iis igitur circumscriptis reductionibus, per rescriptum diei 14. Martii 1744., *a Benedicto XIV.* approbatum, commisit Sacra hæc Congregatio arbitrio, & conscientiæ Episcopi illius temporis absolutionem Canonicorum quo ad præteritum sub lege celebrandi quotannis Anniversarium pro illorum animabus, pro quibus celebrari debuissent Missæ reductę; & moderationem quo ad futurum earumdem Missarum ad manualem eleemosynam Regionis, quæ tunc erat obolorum

Senss. 25. cap. 4. de Reform.

rum 10, monetę romanæ . Atque ita per decretum Episcopi factum est anno 1746. . Aliam vero de anno 1768. passi fuerunt imminutionem reditus celebrationi Missarum destinati ; pluribus enim de causis decreverunt prædiorum fructus ; annuæque censuum usuræ a scutis octo reductæ fuerunt ad sex in singula centum . Hoc tamen non obstante plerasque ex reductis Missis 7000. celebrarunt hactenus Canonici , licet juxta decennem calculum consistant reditus in annuis scutis 550. 09. , & celebrationis omissio sit Missarum 3000. , & amplius . Quum integer autem Missarum numerus celebrari deberet cum eleemosyna obolorum octo pro qualibet , supplicant idcirco Canonici , ut alteram EE. Vestræ committere dignentur Episcopo æquiorem reductionem ; & aliquod pro præteritis omissionibus offerunt Anniversarium .

Confirmat Episcopus tenuitatem præsentis eleemosynæ obolorum octo , additque , quod præter hujusmodi tenuitatem , gratis insuper celebrare deberent Canonici annuas Missas 889. , nam *prædictas reditus annualis scutorum* 550. 09. *ad septem millia Missas celebrandas etiam pro dicta tenui eleemosyna non sufficit* ; *deficiunt enim septuaginta & unum scuta , & decemnovem bajocchi* (in hoc forsan calculo rationem etiam habet utensilium ; dum Missæ 7000. ad rationem obolorum octo pro qualibet, summam constituunt scutor. 560. , paullo supra reditum) De bona hinc testatur Oratorum fide , probitate , & religione , ita ut *per tot annos magno numero Missas celebraverint absque eleemosyna , quæ alioquin necessaria ipsis foret ad sustentationis congruam* . Testatur iterum de eleemosyna quoad legata perpetua per decessorem Episcopum taxata , & a se ipso confirmata in obolis duodecim pro qualibet Missa; quodque *legata pia ad Missarum celebrationem ob maximam populi paupertatem desiderantur* . Facultatem Oratoribus non esse ait celebrandi Missas 3000. omissas : *indigent enim congrua sustentatione* . Atque in hæc concludit verba : *Inspectis itaque , atque perpensis omnibus loci , & temporum* (circumstantiis) *& veris Oratorum precibus , animi mei sensum , ut satis Eminentiæ Vestræ præcepto faciam , adaperire non renuo : scilicet cum ipsis Oratoribus benigne agendum , imponendo eis*

pro

pro prædictis Missis omissis tot Anniversaria, quot pro singulis quinquaginta Missis correspondeant. Pro celebrandis autem in posterum tot Missas esse celebrandas, quot ex reditu exacto, & percepto, deductis deducendis celebrari possent ad rationem eleemosynæ duodecim baiocchorum pro unaquaque Missa.

Quæ anno 1744. concessa fuit reductio, secundam impedire posset Missarum reductionem ex decretis Sacræ hujus Congregationis *in Neapolitana Reductionis Missarum 19. Novembris 1729.*, & *in Interamnen. Reductionis Missarum 30. Augusti 1788.*. Eo magis, quia præter imminutos censuum fructus, conqueruntur in precibus Canonici de difficultatibus, sumptibusque pro exigendis prædiorum pensionibus; idque fortasse æstimatum est in calculandis reditibus ad scuta duntaxat 550. 09., quin de qualitate sumptuum doceatur. De majore ergo dubitari valet redituum summa, quæ par sit Missarum oneri ad manualem eleemosynam obolorum 10.. Si deferendum contra Episcopo, qui rem habet præsentem, neque ex reditibus eleemosyna est obolorum octo pro qualibet Missa, ideoque ad æquandum onus cum emolumento iterata etiam concedenda videtur reductio, ut *in Nullius Trium Fontium Reductionis Missarum 12. Maii 1792.*, & ad taxam fortasse obolorum 12. ab Episcopo propositam; nam ratio in id haberi debet aucti nunc rerum pretii, & difficilis idcirco celebrationis Missarum cum eleemosyna obolorum 10., ut *in Novarien. Reductionis Missarum 23. Novembris elapsi anni 1793.*

Ad præteritum quod attinet; in hac saltem Canonici fuerunt culpa, quod insignem neglexerint numerum Missarum 3000., & ultra, quin ab anno 1768., quo secunda evenit redituum imminutio, illarum reductionem imploraverint; facileque propterea veniam consequi non deberent. Bonam altera ex parte Episcopus commendat ipsorum fidem, & probitatem, quod *per tot annos magno numero Missas celebraverint absque eleemosyna*, eosque impares dicit, ut omissas suppleant Missas, utpote qui *indigent congrua sustentatione*. Non raro autem Sacra hæc Congregatio remittendam censuit præteritam Missarum omissionem indigentibus, ac præsertim *in Romana Oneris Missarum 11. Maii 1709. ad IV. Dub. Lib. Decret. 59. fol. 146.*. Aliquod ta-

men Canonici despondent Anniversarium ; & Episcopus censet , imponenda eis esse *tot Anniversaria , quot pro singulis quinquaginta Missis* (non celebratis) *correspondeant .*

Deliberandum itaque proponitur .

I. *An , & quomodo sit locus reductioni Missarum quo ad futurum in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 5. Aprilis 1794. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

URBINATEN., SEU ARIMINEN. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 17. Januarii 1789. in casu &c.*

Et quatenus in deciſis.

II. *An, & in qua ſumma ſit locus augmento aſſignamenti in casu &c.*

Ad I. In deciſis, & amplius.

Ad II. Affirmative in annuis ſcutis novem pro qualibet ex filiabus Lucæ, ſumendis ex ſubſidiis dotalibus; & ad D. Secretarium cum SSmo.

FERENTINA VISITATIONIS SAC. LIMINUM. *Sess. 25. cap 5. de Regular., & Monial.*

An hortus frigidus comprehendatur ſub clauſura, ſeu potius ſervanda ſit conſuetudo ſuper illius libertate in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

Sess.22. cap.6. de Reform.

NUCERINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET TRANSACTIONIS.

I. *An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit approbanda transactio in casu &c.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Affirmative juxta Votum Episcopi.

Sess.14. cap.7. de Reform.

FERETRANA IRREGULARITATIS.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

Sess.25. cap.4. de Reform.

AMPURIEN. SEU EMPORIEN. REDUCTIONIS MISSARUM.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. & II. Affirmative juxta votum Episcopi.

FO-

FOROSEMPRONIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Lanificium in capitali scutor. urbinatensium 16702 19., seu scutorum 11134. 83. monetæ romanæ, quod olim exercebat, divisit anno 1633. Joannes Philippus Valcherani in partes tres, quarum unam reservavit sibi, reliquas duas tradidit Valcherano, & Eusebio ejus filiis, sub lege, quod contenti esse deberent de traditis portionibus, & *nil aliud* prætendere possent. Eodemque fere contextu testamentum condidit, in quo filios ipsos nuncupavit heredes, *& deficiente dicto Valcherano quandocumque &c. eidem substituit in ejus portione Dominam Felicem ipsius Valcherani filiam, & neptem dicti Testatoris: & pariter deficiente dicto Eusebio quandocumque &c. eidem substituit in ejus portione ejusdem Eusebii filios masculos legitimos, & naturales, natos, & nascituros; sin minus filias fœminas. Et si contigerit, dictam Felicem, vel filios, ac filias dicti Eusebii obire quandocumque sine filiis legitimis, ac naturalibus, nepotibus, pronepotibus, ac eorum descendentibus in infinitum masculis, & fœminis, sic decedentibus substituit per fideicommissum supraviventes ad invicem in infinitum.*

Obito Testatore sequenti anno 1634., partiti fuerunt filii trientem lanificii ei reservatum, aliaque asserta bona valoris scutorum 6086. 89. Eusebius reliquit filium Josephum, a quo per fœminam descendunt Fridericus, & Franciscus Cappellani: unica Valcherano fuit filia Felix. Hæc in cœlibi decedens statu, heredem instituit anno 1648. præfatum Josephum ipsius sobrinum, eique constructionem præscripsit Capellæ in Cathedrali Fori Sempronii Ecclesia; quotidianum ad eam Sacrum, *cioè la Festa di precetto la Messa della Festa, il venerdì della Passione, il sabato della Madonna, e gli altri giorni de Morti*, cum eleemosyna *di un giulio corrente* (Urbini) *o di moneta Papale, come correrà*, & sub pœna caducitatis ab hereditate favore Capituli Cathedralis, vel Patrum Conventualium in casu inadimplementi; ac randem *far cantare nel giorno dell' Annunziata una Messa solenne colla musica apparata con gli organi, purchè non sia la settimana della Passione, ed essendo, si trasferischi sino al primo giorno non impedito colla medesima solennità, ed il giorno di S. Antonio da Padova cinque Messe basse con una cantata, e*

l'ot-

l' ottava di S. Giuseppe una Messa cantata con solennità, come il giorno dell' Annunziata: e tutte le sudette Messe alla detta sua Cappella.

A die obitus Testatricis ad nostram ætatem præscripta adimpleverunt onera quotquot in illius hereditatem successerunt, ipsique Fratres Cappellani, qui post annos tandem centum quadragintaquinque supplicarunt *Sanctissimo* pro reductione Missæ quotidianæ ad hebdomadalem, ac trium Officiorum SSmæ Annuntiatæ, S. Antonii Patavini, & S. Josephi ad simplices Missas quinque pro quolibet. Petitionis causæ fuerunt antiquissimum illud fideicommissum Joannis Philippi Valcherani, quasi parum relinquere potuisset liberi Fundatrix pii Operis: tenuitas eleemosynæ a Fundatrice præscriptæ: & præmio quodammodo dignum adimplementum onerum per sæculum cum dimidio. Precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmat Forosemproniensis Episcopus. Oneribus porro, quæ in annuis scut. 73., comprehenso fructu scutorum 482. 56., quæ Sacerdos Philippus Cappellani in constructionem erogavit Capellæ, imparem dicit hereditatem Fundatricis, *si vera sunt, quæ in antecessum attigimus, supputatis bonis, quæ ex fideicommisso avi proficiscuntur.*

Atque ita concludit: *Hæc me causa præsertim commovet. Item ratio, quam arctarum rerum habui domus Supplicantium, qui nobili genere orti sunt. Numerus denique Sacrificiorum, quæ fiunt indesinenter centum quinquaginta abhinc annis, persuadet mihi, ut indulgentius agi cum ipsis possit. Quod obtinebitur, si ex æquitate saltem numerus Sacrificiorum eorumdem ab Ordine Vestro ita contrahatur, ut semel in hebdomada fiant. Quod etiam sine cujusquam offensione conficeretur, si Officia, quæ statis diebus præscripta sunt, salva præstentur, & si integrum maneat Collegio Canonicorum, Fratribusque Franciscanis jus succedendi hereditati, quotiescumque heredum culpa Sacrificia hæc omittantur. Utrorumque consensum, quorum interest unice, mihi scripto proditum, duabus in foliis ad Vos refero.*

Urgent quidem Oratores in eorum manuscriptis animadversionibus diuturnum legati adimplementum, tenuemque eleemosynam obolorum sex -$\frac{3}{5}$- (quanti forsan valet julius Urbini) pro Missis perpetuis, &

ad certum designatæ Ecclesiæ Cathedralis Altare celebrandis, quæ majus requirunt stipendium, *Tamburrin. de Sacrific. Miss. lib.*3. *cap.* 1. §.2. *num.* 35. & *seq.*, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.* 913. *num.*2., & *Sacra hæc Congregatio in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., sed potissime insistunt fideicommisso Joannis Philippi Valcherani, ut hereditatem Fundatricis quam maxime minuant. De fideicommisso super reservato lanificii triente, aliisque bonis, si quæ fuerunt, Fideicommittentis, ad universam Valcherani, & Eusebii descendentiam progressivo, dubitari non sinit litera testamenti; nam positi sunt in conditione nedum filii, sed nepotes etiam, pronepotes, ac eorum descendentes in infinitum, masculi & fœminæ; ideoque conditionalis hæc tot personarum, & graduum appellatio *in infinitum* limitationem inducit *Glossæ in Leg. Lucius la* 2. *verb. liberos ff. de hered. instituen.*, omnesque in conditione positi dispositive vocati censentur, *Rot. in recent. decis.* 690. *num.*7 *part.*18. *tom.* 2., & *in Montis Falisci Bonorum* 27. *Aprilis* 4759. §. 12. *coram Ratta*. Neque dubitandum pariter videtur de reciproca inter lineam Valcherani, alteramque Eusebii. Expresse enim Testator decedentibus filiis sine filiis, nepotibus, pronepotibus, & descendentibus *substituit per fideicommissum supraviventes ad invicem in infinitum*.

Inde autem desumunt Oratores, quod ob extinctam lineam Valcherani per obitum Felicis ejus filiæ in statu cælibi, purificata fuerit substitutio favore descendentium Eusebii, quales ipsi sunt; & detrahi idcirco debeat ex ipsius Felicis hereditate, quod consequutus fuit ejus pater ex fideicommisso. Et hoc posito ita rationes ex fideicommissario lanificii triente aliisque assertis bonis Fideicommittentis subducunt, ut hereditati Felicis, quam ipsi in scutis fatentur 6058.33., liberam dumtaxat tribuant summam scutorum 2840. 20., cujus fructus impares dicunt oneribus.

Adversus primam illam rationem adimplementi legati per annos 145. notari posset, quod si hac de causa minui deberent Missarum onera, de piis omnibus actum esset antiquis legatis. Advertendum etiam quo ad tenuitatem eleemosynæ, quod absolute primum Testatrix imposuit heredi onus celebrationis Missæ quo-

quotidianæ, & Officiorum, deindeque in ima fere testamenti cera quantitatem indicavit elemosynæ in uno vel urbinatensi, vel romano julio pro qualibet Missa sequentibus verbis = *Aggiungendo, che volendo l'Erede fare uffiziare la detta Cappella da due Sacerdoti come sopra, sia obligato darli l'elemosina di un giulio corrente, o di moneta Papale, come correrà* = In his sane terminis demonstrativa potius esse videtur indicatio, nec heredem propterea liberaret a justa supplenda eleemosyna intra vires hereditatis; juxta decretum Sacræ hujus Congregationis *in Januen. Capellaniæ* 16. *Julii* 1791. Plura tandem quæri possent circa fideicommissum: num scilicet præter fideicommissariam lanificii portionem, habenda esset ratio aliorum bonorum Fideicommittentis, de quibus non constat: num ex ipsa lanificii portione detrahi deberet favore hereditatis Felicis non prohibita legitima: & num post acceptam hereditatem Felicis ab Oratorum auctore, & executum legatum per annos 145., excipere amplius liceret de fideicommisso. Sed hisce missis juris articulis, hoc unum notandum, quod admissa etiam Felicis hereditate in solis scutis 2840 20. juxta calculationes Oratorum, longe illius reditus superat onera. Juxta relationem enim Episcopi gravantur Oratores annuis scutis 73. pro Missa quotidiana, Officiis, & fructibus summæ erogatæ in constructionem Capellę. At fructus scutorum 2840. 20. summam ad taxam legalem attingunt scutorum 113. 60. & impedire propterea valent petitam reductionem, quę ubi pares etiam sunt reditus oneribus, denegatur; *Sac. hæc Congregatio in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734.

Deliberare ergo dignentur EE. Vestræ.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

EE.

EUGUBINA MANSIONARIA. Una in Cathedrali Eugubina erat Mansionaria. Per Apostolicas igitur Literas 2. Decembris 1786. alias saltem quinque erigi mandavit providissimus PIUS VI. ex quodam legato Mancinforti, simplicibusque ejusdem Cathedralis Beneficiis cum annua præbenda, quæ minor non esset scutis 40., non excederet 50. pro qualibet, & reservatione activi jurispatronatus favore Capituli, aliorumque, ad quos Beneficia pertinerent. Pluribus autem Beneficiis, reditibusque liberaliter per Capitulum collatis, ampliatus fuit Mansionariarum numerus ad octavam, eique propterea reservatum est in erectione jus nominandi ad illarum quatuor; hoc per Eugubinum Episcopum uti Delegatum Apostolicum condito Statuto, quod nempe *hujusmodi Beneficia a nemine ex Patronis conferri poterunt, nisi Sacerdotibus, vel Clericis intra annum ad Sacros majores Ordines promovendis, ad hoc ut quisque etiam per se muneri suo satisfacere possit. Præterea nullus ad has Mansionarias assumendus erit, qui originem & ortum non traxerit in hac Eugubii Civitate; qui alio officio sit provisus, quod cum servitio Chori sit incompatibile, vel servitio alicujus Personæ sive sæcularis, sive ecclesiasticæ sit addictus, nisi ministerium, quod obtinet incompatibile, diniserit; qui tandem juxta Concilii Aquensis decretum, in ecclesiastico cantu, ut ajunt, Gregoriano non sit versatus.* *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

Vacata sub annum 1792. per liberam resignationem Sacerdotis Ubaldi Rogari altera ex Mansionariis de jurepatronatus Capituli, tres ad eam fuerunt concurrentes in capitularibus Comitiis 21. Octobris ejusdem anni, Clericus nimirum Ubaldus Morelli, qui in hac non est Causa, Clericus Joannes Baptista Macconi idoneus ad assumendum Presbyteratum intra annum, & Sacerdos Cajetanus Paffi ipsius Cathedralis Parochus. In deliberationem primum venit Paffius; sed in numerandis suffragiis inventum fuit unum supra numerum Electorum duodecim, inclusiva nempe octo, exclusiva quinque. Post gravem hac de re contentionem pluries iteratum extitit scrutinium, paribusque semper certarunt suffragiis Paffius, & Maeconius, constanter Morellio excluso. Electionem propterea distulerunt Capitulares ad diem 23. ejusdem mensis, novisque actis Comitiis, a quibus unus abfuit infirmus Canonicus, acrior inter reliquos Capitulares fuit con-

tentio. Quatuor enim ex his timidiores in novam convenire detrectarunt electionem, pridie per Paffium inhibitam, & a Comitiis discesserunt. Hoc tamen non obstante rem expleverunt reliqui septem, ac per suffragia quinque elegerunt Macconium. Vix unum enim suffragium habuit Paffius, quatuor Morellius.

Ad impediendam institutionem electi Sacram hanc Paffius adiit Congregationem; sed ob passum rescriptum = *Utatur jure suo coram Episcopo in prima instantia, prout & quatenus de jure* = Causam agere debuit coram Eugubino Antistite. Eam tamen per sententiam institutionis obtinuit Macconius; & delata ad EE. Vestras in gradu recursus controversia, rationes Antistes ipse exposuit decidendi, quas colunt Macconii scripta; inseruitque etiam suæ informationi Folium, quo se Præpositus Ondedei a Paffianis purgat imputationibus, quodque in ejusdem Macconii est *Summaria*.

In hac Partes conveniunt Juris dispositione, quod censeatur ad Beneficium electus, qui plura obtinuit suffragia, *Text. in cap. cumana, cap. in Genesi, cap. Ecclesia vestra de elect.*, & *cap. quoniam, ibique gloss. verb. qui majoribus de jurepatr.*, eique propterea danda sit institutio per *Text. in cap. publicato cit. tit. de elect.* At numeranda Paffius contendit suffragia ejus favore lata in primis Comitiis 21. Octobris, Macconius lata in secundis diei 23. Ad sum ille sustinendum assumptum, nullum affirmat secundum scrutinium ob suam in primo expletam electionem per suffragia octo, quæ facultatem adimit variandi ex Constitutione Gregorii IX. *in cit. cap. publicato de elect.*, quem exornant *Fermosin. in eumd. cap. tom. 2. ad rubric. tit. de elect. num. 1.*, *Pirhing. lib. 1. tit. 6. sect. 4. §. 11. num. 173.*, *Passerin. de elect. cap. 31. num. 11.* Maxime, quia sua præcesserat protestatio, quæ ipso jure protestatum inhibebat actum; nec duæ secundis Comitiis interfuerunt Capitularium partes, ut ad illorum validitatem requiri docet *Fagnan. in cap. quia propter de elect. num. 40.* Ut a primo autem scrutinio vitium excludat redundantis suffragii, illudque obtrudat in secundum, plura contra capitularia opponit acta, ex quibus aliter constat. Ac sua denique, memorat Sacerdotis, & Parochi merita, ne sibi digniori minus dignus præferatur Clericus Macconi contra *Constitutionem Xisti IV.* relata per *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 40. sub num. 166.*

Ne-

Negligendum altera ex parte sustinet Macconius primum scrutinium ob non lata de ipso, & Morellio suffragia, & sic ob non consumatum actum. Neque unius Paffii suffragationem veram fuisse ait electionem, sed simplicem nominationem; quum res de majoribus non esset Beneficiis, de quibus loquitur *cap. quia propter de elect.*, sed de minimo Mansionarię, in quo electio censetur impropria, *gloss. in Leg. nominationem Cod. de Decurion.*, *Innocent. in cap. quod sicut num.* 7. & *seq. de elect.*, & nullum ante præsentationem, licet per scrutinium facta, tribuit jus nominato, *Fagnan. in cap. publicato de elect. num.* 45. & *seq.*, *Piton. discept. ecclesiast.* 4. *num.* 124. Inde autem infert, libere retractari potuisse nominationem Paffii, etiamsi fuisset legitime expleta, *cap. fin. de jurepatr.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 100. *num.*9. Uti validum deinde, legitimumque tuetur secundum scrutinium. Validum non obstante protestatione Paffii, quæ veluti admissa cum simplici clausula *si*, & *in quantum*, ulteriorem non retardabat processum juxta theoricam *Bart. in Leg. si quando num.*4. *ff. de legat.* 1., *Rot. coram Peutinger. decis* 498. *num.*21. Legitimum verò, quia ob voluntarium quorumdam Capitularium discessum consolidatum in reliquis fuit jus deliberandi, legitimeque propterea nominationem ipsi expleverunt, etsi duas non constituerent Collegii partem, *gloss. in cit. cap. quia propter verb. qui volunt de elect.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 4. *tit.* 2. *num.*10. Ultra gravem vero, qua laborat paupertate, justamque ad Sacerdotium ætatem, peritum se probat cantus Gregoriani, quem præcipue exigunt Mansionariorum Constitutiones; ad differentiam Paffii, qui eadem caret qualitate: sibique idcirco ex hoc etiam titulo institutionem deberi.

In quæstionem igitur venit.

An, & cui sit danda institutio in casu &c.

Institutionem dandam esse Cajetano Paffi.

Sess.24.cap.12. de reformat.

SENOGALLIEN. Insignis est in oppido Belviderii Collegiata S. Mariæ de Misericordia, quæ ordinatiæ Capituli Lateranensis jurisdictioni subiicitur. Constitutiones illius Ecclesiæ id præcipue statuunt, ut *si quis in illa hebdomada, qua tenetur inservire, aliquam habebit causam, ob quam suum munus præstare minime possit, alium ex Canonicis sibi sufficiat, qui pro se Choro intersit; aliter punctetur, seclusa semper infirmitate, aliisque causis in jure permissis*. Quare juxta fidem Æditui, consuetudo viget inter Capitulares, ut unus pro alio in chorali substituatur officio. Quum itaque ad Archipresbyteri dignitatem evectus fuisset Sacerdos Andreas Mei, publicus oppidi Præceptor, ne se hoc munere abdicaret, suæ Ecclesiæ inservire cepit per alium Canonicum, germanum nempe Fratrem, exceptis tamen diebus festis, aliisque ferialibus, quibus vacante schola, per se ipsum intererat Choro;

Hanc inserviendi methodum post septimum circiter mensem reprobantes sodales Canonici, ad Eminentias Vestras recursum habuerunt, ut tria definirent *Dubia*, num scilicet Archipresbytero licuerit alium subrogare in chorali servitio; utrum suos fecerit fructus; vel potius iisdem Oratoribus restituere debeat. Super his precibus auditus Archipresbyter Mei, plura in scriptis deduxit ad sua tuenda jura. Præter narratam enim Ecclesiæ Constitutionem, vigentem allegat consuetudinem, & præsertim decessoris Archipresbyteri Saccoccia, qui ad plures annos, juxta Secretarium Communitatis, post adeptum Archipresbyteratum munus Ludimagistri retinuit, & *alium Canonicum sine ceterorum querela chorali servitio suffecit*. Justam vero se habere dicit causam abessendi, quia pueros Religione, bonisque artibus instituit, quin ullum Ecclesiæ servitio inferatur præjudicium, sive quia subrogat Canonicum, qui alias beneficio alternativæ iisdem diebus inservire non deberet, sive quia vacationum tempore, & præcipue diebus festis, omnibus vesperis Quadragesimæ, qualibet die Sabbathi, demumque in pervigiliis Nativitatis, Pentecostes, aliarumque solemnitatum per se ipsum inservit. Declarat denique, Præceptoris officio ad aliud tantum quinquennium vel sexennium fungi velle, non cupiditate lucri, sed ut decem nepotibus, inter quos sex nubiles

les fæminę, comparet sustentationem. Eminentissimus hinc Archipresbiter Lateranensis Basilicæ EE. Vestris deliberandum relinquit, an hæc rationum momenta, quæ in trasmisso Mei Folio exponuntur, *sub aliquo sint moderamine interpretanda, vel eum valeant a Choro habitualiter eximere; ex quo tota pendet solutio triplicis Dubii à Canonicis in adnexis precibus propositi.*

Solemnis est Tridentini censura contra Clericos beneficiatos, ut *omnes nempe Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia*, *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* Quæ sane dispositio si generaliter, prout scripta est, intelligatur, illud secumferet, ne liceat alium in chorali officio subrogare, licet substitutus ea die, qua alterius supplet vices, ab Ecclesiæ servitio sit immunis. Hæc generalis interpretatio diu invaluit, adeoque penes *Doctores* recepta fuit, ut Statutum hanc subrogandi facultatem Canonicis tribuens, reprobandum firmarint tanquam contrarium Tridentino *Garzia de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 498., & *Vannespenius in jus eccles. part.* 1. *tit.* 6. §. 5. Eamdemque opinionem tenuit Sacra hæc Congregatio *in Placentina* 25. *Julii* 1570., in qua hæc edita fuit resolutio: *Si factum est aliquod Statutum, quod Canonici possint inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia est contra Concilium, prout refert Garzia loco citat. sub num.* 498.

Nam peculiares Capitulorum constitutiones eximere nequeunt Canonicos ab obligatione obeundi per se Divina Officia, ut erudite probat *Vannespenius in dissert. de Canonicis part.* 3. *cap.* 2. §. 4. *per tot.* Quemadmodum ad præmissam retinendam subrogandi facultatem, nil juvat consuetudo licet immemorabilis, quam abusus nomine appellant *Vannespenius citat. dissert. de Canon. part.* 1. *tit.* 6. §. 5., *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap.* 9. §. 11., & Sacra hæc Congregatio *in Abulen.* 27. *Julii* 1585., apud *Garziam de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 503. Quatenus ergo hæc tenenda sit Doctrina, concludi oportet, perperam ab Archipresbytero Mei alium Canonicum in ipsius absentia fuisse in chorali servitio suffectum, licet Statuto & consuetudine ipsius Ecclesiæ subrogationes hujusmodi permitterentur.

At

At hanc opinionem veluti ad nimiam tendentem severitatem moderari placuit Sacræ huic Congregationi, quæ *in Eugubina* 15. *Decembris* 1605. *lib.* 10. *decret. pag.* 142. *declaravit, decreto cap.* 12. *vers. Omnes, non esse sublatam Capitularibus facultatem sese invicem substituendi.* Nonnullæ tamen ex oraculo ipsius Sacræ Congregationis substitutionibus hujusmodi adjectæ sunt leges, quas *Benedict. XIV. instit. eccles.* 107. §. 3. *sub num.* 17. his verbis expendit; *Prima* [ait] *ne substitutus ipse ad Chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; secundo ne id frequenter contingat; tertio ut subrogentur Canonici solum vel Mansionarii præsentes in Civitate, non vero qui extra illam, vel extra suburbia versantur; ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant nisi Canonici, vel Mansionarii, non autem ipsorum Coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt.* Atque has conditiones pluribus comprobat exemplis Sacræ hujus Congregationis in posteriori *num.* 18.

Ex narratis profecto constat, Archipresbyterum Mei subrogare consuevisse alium in ipso Belviderii oppido residentem Canonicum, qui eadem die, qua ejus gerebat vices ad Chori servitium non tenebatur. Quærendum tamen erit, an omnibus Scholæ diebus hanc sibi facultatem arrogare potuerit. Altera enim ex conditionibus, sub quibus conceditur substituendi venia juxta doctrinam *Benedicti XIV.*, & resolutiones Sacræ hujus Congregationis est, *ne id frequenter contingat*, & vicissim servitium per alium præstitum omnibus quasi diebus ferialibus ad vacandum Præceptoris Officio, nimiæ redargui posset frequentiæ. Notandum tamen rogat Archipresbyter, quod omnibus festis diebus, qualibet die sabbathi, vesperis Quadragesimæ, pervigilio Nativitatis Domini, Pentecostes, aliarumque Solemnitatum; & rursus Baccanalium tempore, autumnalibus feriis integri mensis Octobris, atque aliis intra annum vacationibus ad dies saltem triginta per se ipsum inserviit, quodque demum Ludimagistri munere, cujus gratia substituit, non ad proprium lucrum fungitur, sed ut numerosæ decem nepotum familiæ succurrat.

Quod si his parvipensis rationibus, subrogationem nihilominus uti nimis frequentem illicitam fuisse reputent

EE. VV., quærendum tunc erit juxta *secundum Dubium*, an Archipresbyter, quo tempore per alium inserviit, suos fecerit fructus. Negativam equidem suadet sententiam *Honorius III. in cap. Ad Audientiam de Cleric. non resident.*, ubi a percipiendis fructibus arcentur, qui in suis Ecclesiis non resident, & Divinis Officiis non intersunt, & Sac. Concilium Tridentinum *in sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.*, qua cautum, absentem *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia alia etiam declaratione non sequuta illos sibi detinere posse*. Hæc tamen pro Archipresbytero concurrunt bonæ fidei argumenta: Ecclesiæ scilicet Constitutiones, quæ facultatem substituendi in chorali rervitio tribuunt; vigens inter Capitulares ipsius Constitutionis observantia; exemplum decessoris Archipresbyteri, qui diu, & absque ulla Sodalium querela eadem usus est facultate, ut pueris erudiendis vacaret; & silentium demum Capituli, quod ad septimum usque mensem hanc inserviendi methodum in hodierno passus est Archipresbytero. Ex his enim omnibus justa in eo induci potuit credulitas, quod sibi etiam permissa esset similis substituendi facultas, quodque tuta conscientia suos facere posset fructus. Posita vero bona fide condonari solent fructus quamvis male percepti, ut post *Text. in leg. bonæ* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* tradunt *Garzia de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 53., *& seqq.*, *Barbosa de Canonic. cap.* 17. *sub num.* 23., *& Sacra hæc Congregatio in Romana Fructuum* 15. *Aprilis* 1780.

Hac porro exclusa æquitate, restitutionem fructuum sub *tertio Dubio* urgent Canonici, & decernendum proponunt, num ipsis restitui debeant. Si applicanda hic esset regula, quæ ex Jure de amissis militat distributionibus, quæ interessentibus accrescunt, *Bened. XIV. de Synod. dieces. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 1., fere decisa ipsorum favore videri posset restitutio, ut *in Bracharen.* 21. *Junii* 1788. *ad III. Dub.*. At quum alia quoad fructus scripta sit Juris dispositio, ut nempe *fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci* restituantur, *Sac. Concilium Tridentinum citat. sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.*, dijudicabunt Emæ Vestræ, num conciliaris potius hæc sanctio servanda sit, quemadmodum decretum est *in Mindonien. Fructuum* 24. *Martii* 1753., *& in citat. Bracharen.* 21. *Junii* 1788. *ad III. Dub.*

Quæ-

Quæritur itaque :

I. *An Archipresbyter Mei ad retinendum munus Ludimagistri , omnibus scholæ diebus alium substituere possit in chorali servitio in casu &c.*

Et quatenus negative .

II. *An , & quo tempore per hujusmodi servitium eadem de causa per alium præstitum , fecerit fructus suos in casu &c.*

Et quatenus negative .

III. *An , & cui restituendi sint fructus in casu &c.*

Non proposita cum sequenti .

Sess.22. cap.6. & ses.25.cap.4. de Reform.

MONTIS POLITIANI CAPELLANIÆ . Familiare olim instituit fideicommissum Octavius sen: Bracci . Testamento deinde anni 1683. legavit Jacob sen: illius filius scuta mille libellarum septem quo quolibet in reparationem , sacrasque supellectiles Capellæ S. Annæ , sibi in Cathedrali Montis Politiani Ecclesia concessæ . Si quid vero perfecto opere superfuturum esset (quod ignoratur) voluit , quod *si stabilisca per parte di dote , e fondo di detta Cappella con quell' obbligo di Messe perpetue , che sarà conveniente , e giusto a dichiarazione di Monsignor Vescovo* ; quodque *cessato l' usufrutto dei predetti scudi duemila* [quem reliquerat Franciscæ Tarugi ejus uxori] *si accresca il fondo , e la dote di detta Cappella , in modo che la sua rendita sia capace del peso perpetuo di Messa quotidiana* ; reservavitque hujusce Capellaniæ juspatronatus Braccio Bracci germano fratri , & heredi , ejusque successoribus . Usufructuaria anno 1710. defuncta , Capellaniam sub titulo S. Annæ erec-

erexit Octavius Bracci jun: , Fundatoris nepos , & quousque non assignaret fundum , annua Capellano despondit scuta sexaginta ; salvis juribus , *che a lui competessero contro li suoi Signori Fratelli , da sperimentarsi contro di loro come coeredi dell'antedetto Signor Testatore* [Fundatoris nempe] *quando ricusassero di corrispondere colla quota a loro toccante per la prefata somma di scudi sessanta.* Atque in primum Capellanum nominavit germanum ejus fratrem Innocentium , cui successit anno 1736. Canonicus Cæsar , ejusdem Octavii jun: adhuc vivens filius .

Capellaniam autem hanc , licet facto , & diuturna Bracciorum observantia constitutam , evertere tentavit anno 1742. Braccius jun: hodierni Capellani frater . Subjecta enim asserens bona per Fundatorem relicta fideicommisso Octavii sen: , abolitionem ab hac Sacra Congregatione postulavit Capellaniæ . Supersedit vero postquam ex rescripto *ostendatur* , contrariam vidit informationem Episcopi illius temporis , quæ in hæc concepta erat verba : *Ex fideicommisso ordinato ab Octavio Bracci Jacobi patre quamplures eidem filio heredi gravato competebant detractiones, legales scilicet & accidentales , conspicuam quidem summam importantes ; attenta præsertim Rotæ Florentinæ inconcussa sententia , non posse scilicet filiis primi gradus neque tacite , neque expresse trebellianicam prohiberi . Quum itaque per ipsum Jacobum ordinata remanserit constructio unius Capellæ &c. , & dispositum fuerit , assignandum fore & esse post mortem propriæ Uxoris capacem fundum pro supportando onere Missæ quotidianæ &c. ; intelligere idcirco non possum , quo jure , qualive ratione mens Testatoris adimpleri non debeat : maxime non probata prius omnium detractionum integra consumptione .*

Post longissimum quinquaginta annorum spatium indecisam illam revocat Causam grandævus Capellanus , & Canonicus Cæsar , non ut Capellaniam penitus evertat , sed ut minorem ei constituat fundum . Dubitans enim , quin fideicommissi clypeo omissuri erint post ejus obitum nepotes quotidianæ Missæ celebrationem , quam suo hactenus ære per annos fere sexaginta curavit , facultatem postulat assignandi in fundum Capellaniæ quidquid ex diversis cogere poterit bonis suis liberis , Missarumque reductionem accom-

modatam capitali. Precibus ad hodiernum Episcopum pro informatione remissis, nonnullas Bracciis exhibuit animadversiones; quod obligatio nempe Octavii jun. de annuis solvendis scutis sexaginta ad assignationem fundi, non obscure demonstraret, *che il fondo di detti* 2000. *scudi è nell'asse patrimoniale di Casa Bracci*: quod subsistere rursus deberet fundatio Capellaniæ ob detractiones competentes Fundatori, nisi demonstrarentur consumptæ; itaut hac deficiente probatione, neque impugnari posset existentia fundi scutorum 2000. in patrimonio Bracci, neque locus idcirco esset assignationi minoris fundi, & reductioni Missarum: quodque lædi postremo non deberet absque formali judicio jus Cathedrali quæsitum in servitio Capellani.

Ad hæc Braccios respondisse refert, adeo ex fideicommisso Octavii sen., aliisque antiquioribus, & alieno ære involutum esse ipsorum patrimonium, ut impossibilis fere redderetur demonstratio bonorum fideicommissariorum Octavii ad decernendam quantitatem detractionum Fundatoris Capellaniæ. *Risposta*, ut ipse ait, *che non appaga, se non superficialmente, e che non è sufficiente ad appagare chi deve sopra ciò giudicare*. Observat tamen, quod ob realem fideicommissorum, ærisque alieni existentiam, *per porre in chiaro, se nel patrimonio di Giacomo fondatore del Beneficio vi fosse tanta di libero per costituire a pro di esso Beneficio la dote di* 2000. *scudi, ci vorrà un' indagine lunga, ed un dispendioso litigio. E chi sosterrà le ragioni del Beneficio per la validità della di lui fondazione, quando la Famiglia Bracci, che ne ha il padronato, ed alla quale spetterebbe prenderne la difesa per la sussistenza, è quella che impugna la validità della fondazione per la pretesa mancanza dei beni liberi nel Fondatore, che gli ha assegnato la dote?*

Vestram hinc deliberationem obsequenter se acceptarum profitetur; rogatque, ne ejus arbitrio & conscientiæ, sed res sibi pro simplici executione committatur, *confessando in tanta confusione di cose, che non saprei come dovermi contenere per rettamente operare avanti a Dio, e con quiete di mia coscienza*. Monet deinde, Canonicum Cæsarem oratorem mediatum esse heredem Octavii sen., & Jacobi fundatoris Capellaniæ, immediatum vero Octavii jun., qui

Cap-

Capellaniam erexit ; ipsumque , ejusque auctores simplices fuisse heredes , præsertim Fundatoris ; ita ut non constet ob defectum inventarii de viribus patrimonii , licet sufficiat ejus reditus *per gli alimenti , e decorosa sussistenza del nobili Individui* . Ultimoque loco de adimplemento testatur quotidianæ Missæ ad totum annum 1791. , & de aliqua omissione sequenti anno 1792. , quo scribebat ; licet *il Rettore mi promette far sodisfare quanto prima* .

Quamvis filio heredi gravato una de jure civili permittatur detractio legitimæ ; tamen *in praxi , & Gentium plerumque usu comprobata est dispositio Juris canonici , qua duplicis quartæ , legitimæ , atque trebellianicæ detractio filiis permissa est* , ut ex intima jurisprudentia docet *Voet. in Pandect. lib.* 36. *tit.* 1. *ad Senatusconsult. Trebell. num.* 52. . Hujusmodi ergo detractiones competebant Fundatori Capellaniæ ex fideicommissaria hereditate Patris , & hoc propterea titulo sustinenda videtur fundatio Capellaniæ , nisi de consumptione detractionum concludenter doceatur , *Ciriac. controv.* 5. *num.* 5. , & *seqq.* , *Card. de Luc. de legitim. disc.* 25. *num.* 55. . Existentiam sane liberi fundi scutorum saltem 2000. solemnia probant facta , viduæ nempe Tarugi , quæ pacifice illius summæ usumfructum ad obitum percepit , & Octavii jun. Bracci , qui Capellaniam anno 1710. nullo cogente erexit . Neque Orator , aliique de Bracciis , qui simplices sunt mediati heredes Fundatoris, immediati veroOctavii jun. ejus nepotis, impugnare valent legatum usufructus , & erectionem Capellaniæ , ac præsumptam inficiari bonorum liberorum existentiam, contra *leg. fin.Cod. de jur. deliberan.* Maxime quia diuturna accedit observantia annorum octoginta , & ultra ; nam si derelictam excipias instantiam anni 1742. , celebratæ fuerunt Missæ ab anno 1710. per Capellanos Familiæ Bracci , reliquis videntibus, & patientibus ejusdem Familiæ individuis . Litem ipsi hac de re minantur ; sed in tanta bonorum fideicommissariorum confusione nil aliud afferre possent , quam simplices , totiesque rejectas assertiones , nilque ex tali lite timendum Capellaniæ , quæ interim post diuturnam observantiam adimpleri deberet .

Animadversionem contra mereri potest necessitas sumptuosæ litis , qua opus esset ad vindicanda jura Capellaniæ , & difficultas eam agendi cum Bracciis , qui

id tanquam vocati ad fideicommissa, impugnant quod tanquam patroni tueri deberent, ut notat Episcopus. Utile siquidem videri posset Capellaniæ, si per transactionem acciperet partem fundi ab Oratore, ut sumptuosam evadat litem, *Valeron. de transact. tit. 2. quæst. 3. num. 1.* Quanquam ignoratur quantitas bonorum liberorum, quæ Orator pollicetur, & fieri valet, ut non magnam, vel tenuem attingat summam.

A resolutione primi Dubii veluti consectaria descendit altera secundi. Si reiiciatur enim Oratoris instantia pro facultate assignandi bona sua libera in fundum Capellaniæ, jam prima consistit fundatio, & nulla apparet ratio, cur præscriptæ reducantur Missæ. Si vero admittatur, locus forsan esse posset reductioni accommodatæ capitali assignando; nam reducendum est legati pii onus ad æquitatem, secundum *Monacell. formul. legal. 19. tit. 20. part. 1. num. 25.*, & *Sac. Congregatio in Viterbien. Reductionis Onerum 8. Maii* 1784.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit assignandus fundus Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus juxta preces Oratoris.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 10. *Maii* 1794. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

SENOGALLIEN. *Ses.24. cap.12. de Reform.*

I. *An Archipresbyter Mei, ad retinendum munus Ludimagistri, omnibus scholæ diebus alium substituere possit in chorali servitio in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quo tempore per hujusmodi servitium, eadem de causa per alium præstitum, fecerit fructus suos in casu &c.*

Et quatenus negative.

III. *An, & cui restituendi sint fructus in casu &c.*

Dilata.

MONTIS POLITIANI CAPELLANIÆ. *Sess.22. cap.6. & sess.25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit assignandus fundus Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus juxta preces Oratoris.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ac formam testamenti Jacobi senioris Bracci.
Ad II. Negative.

FIR-

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

FIRMANA EMFYTEVSIS. Sodalitium SS. Salvatoris Montis Ulmi annua ex suis prædiis in ultimo decennio per locationem perceperat scuta circiter 368., sed premebatur anno 1790. necessitate reparandi prædia ipsa per aggeres ab impetu præterfluentium fluminum Usentis, & Flastræ cum gravi sumptu scutorum circiter 700. In comitiis igitur 13. Junii illius anni facultatem dedit ejus Priori impetrandi Beneplacitum Apostolicum pro innenda ad tertiam generationem masculinam eorumdem prædiorum emphyteusi; & supplex Prioris nomine ad EE. Vestras datus fuit libellus pro licentia celebrandi emphyteuticum contractum *compresi li magazzini* cum Luca Luchetti novissimi conductoris filio, qui sub paterno vadimoniò canonem obtulerat scutorum 350., aggeresque inter ceteras meliorationes desponderat. Affixis vero de mandato Vestro edictis, canonem sub iisdem conditionibus auxit Luchettus ad scuta 461., minorem obtulit summam scutorum 405. Joannes Philippus Bartolazzi comprehenso cum latifundiis (præter edicta) horto & horreis in oppido existentibus. Post apertas in termino illorum schedas, obtulerunt Felicianus Canevari, & Felix Morichetta scuta 510. loco *vigesimæ*: sed monuit in prima informatione Firmanus Archiepiscopus quod *hujusmodi oblationes nonnisi obtento et executioni demandato Apostolico Beneplacito locum habere posse alias declaravit Sac. Episcoporum & Regularium Congregatio*; & Bartolatium negligens, magis idoneum dixit Luchettum, qui *valet opibus pro bismille nummis*, quam vicesimarios, qui *opes suas in septingentis scutis recensent*.

Dum hæc pendebat informatio, exhibuit Bartolatius Sacræ Congregationi secundam oblationem scutorum 470. hoc insuper pacto, quod pro aggeribus, novaque etiam desponsa domo incidere posset in prædiis *senza dipendenza alcuna qualunque sorta di legname, che possa mai occorrere per simili lavori*, & utrumque explere opus intra quindennium. Ea interim accepta informatione, suspensa fuit deliberatio donec referret etiam Archiepiscopus super precibus Bartolatii, ut in hæc deinde retulit verba: *De idoneitate oblatoris dubitari non valet, quum inter opulentiores oppidi familias recenseatur; sed ceteri oblatores, inter quos idem Luchettus contendit, ut quatenus locus sit huic novæ oblationi, nova etiam edicta super ipsa oblatione sint affi-*

gen-

genda. Bonæ fidei namque detractum asserit, si post terminum in edictis præfinitum, & post panditas oblationum schedulas quis ad iterum offerendum admittatur, alii vero repellantur oblatores. Demandata hinc nova edictorum affixione, *firma interim remanente oblatione Bartolazzi scutorum* 470., *absque tamen conditionibus in eadem appositis, & in edictis non comprehensis*, obtulit Bartolatius scuta 480., Luchettus 490.: sed prius quam Archiepiscopus de hisce oblationibus referret, æquavit ille apud EE. Vestras die 1. Maii 1792. oblationem Luchetti sub promissione perficiendi domum & aggeres intra decennium, ac præ majori ejus idoneitate, censuit tandem Sacra Congregatio die 15. Septembris ejusdem anni, *si SSmo Domino Nostro placuerit, per suas Literas Apostolicas eidem Archiepiscopo committi posse, ut veris existentibus narratis, constitoque prius sibi de evidenti præfatæ Societatis utilitate, petitam facultatem concedendi supradicta bona in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam tantum favore Joannis Philippi Bartolazzi ad formam suæ oblationis sub die prima Maii* 1792. *pro annuo canone scutorum* 490. *salvo jure vigesimæ, & sextæ.*

Quum differret Bartolatius Literarum Apostolicarum expeditionem, eum ad id compulit Sodalitium per citationem coram A. C., & comprehensa in illis fuerunt hortum, & horrea. Ante illarum vero executionem, meliorem Luchettus coram Vicario Foraneo Montis Ulmi dedit oblationem scutorum 502. mense Majo 1793., excluso horto, horreisque; & sub obligatione adimplendi universas priorum edictorum conditiones, atque ædificandi novam domum antequam expiraret novennium locationis bonorum. Idemque fecit Nicolaus Campetella, licet paullo minorem obtulerit canonem scutorum 501. In hoc igitur Oblatorum conflictu Comes Joseph Foglietti Sinibaldi præsens Sodalitii Prior institit coram Emo Pro-Datario pro reportatione Literarum Apostolicarum. Causa vero ad Sacram hanc Congregationem remissa, quum neque Luchettus, neque Campetella judicio sisterent, restricta idcirco fuit inter Priorem, & Bartolatium controversia circa executionem, modumque exequendi rescriptum 15. Septembris 1792., ac præsertim super comprehensione, vel exclusione horreorum, & horti; Partibusque

que consentientibus, infrascriptum concordatum est Dubium.

Omnem Prior denegandam contendit executionem rescripto, utpote edito ad ejus preces post novissimam Bartolatii oblationem; quas tamen haud dedisse testatur. Ex hac namque sua assertione desumit, ementitum fuisse ipsius nomen à Bartolatio, cujus intererat, ut sera illa admitteretur oblatio, juxta præsumptionem juris, de qua *Rot. in recent. decis.* 623. *num.* 14. *part.* 4. *tom.* 3.; eumque propterea extorta gratia juvari non posse, per *Text. in cap. super literis* 20. *de rescript.*. Subreptitias insuper dicit hujusmodi preces, eo quod meliorem reticuerunt oblationem Luchetti, qui majorem in termino secundi edicti obtulit canonem scutorum 490., hortum & horrea exclusit; & breviori tempore colonicam extruere despondit domum. His porro cognitis, difficile Sacra Congregatio pro Bartolatio rescripsisset, *Fagnan. in cit. cap. super literis num.* 63., *Ursaya discept.* 15. *num.* 63. *tom.* 3. *part.* 2.. Maxime, quia comprehensio horreorum, & horti adversabatur edictis: nam licet comprehendi consuevissent in locationibus, eaque Bartolatius in prima oblatione, ad quam sese in id retulerunt reliquæ, expresse comprehendisset, prætermissa tamen fuerunt in edictis, a quibus desumendum erat, quid Sodalitium in emphyteusim concedebat. Quemadmodum edictis adversabatur ejusdem Bartolatii declaratio de non præstanda fidejussione.

Vitium etiam notat in Literis Apostolicis præmaturæ expeditionis, die nempe 5. Martii 1792., seu mensibus sex ante rescriptum Sacræ Congregationis; & ob eas ceteroquin nondum exequutas, salvum fuisse ait favore Loci Pii beneficium addictionis in diem, & sic novissimas oblationes Luchetti, & Cempetella, *Petr. ad Constit. Apost. tom.* 1. *pag.* 85. *sub num.* 42., *Rot. in Romana Affictus* 12. *Februarii* 1751. §. 4. *coram Matthæjo*. Quæ quidem oblationes, licet sero nimis supervèntæ, quum ob majorem tamen canonem, melioresque conditiones in evidentem cedant Sodalitii utilitatem respui non debent, secundum *Petr. loc. cit. pag.* 84. *num.* 38., *Campell. ad Constit. Urbin. decret.* 33. *num.* 124., *Rot. in Forolivien. Vigesimæ* 22. *Martii* 1784. §. 6. *cor. Emo D. Card.*

D. Card. Flaminio. Attento potissimum, quod sera dd. oblationum exhibitio ob seram evènit notitiam Literarum Apostolicarum, à quarum exequutione pendebat deliberationis perfectio, & incipiebat tempus addictionis in diem, *Campell. loc. cit. num.* 190., & *Sac. hæc Congregatio in Neapolitana* 17. *Augusti* 1697., relta *in Reatina* 27. *Septembris* 1726.

Ponderandum altera ex parte rogat Bartolatius, impediri non posse executionem rescripti per simplices & absque vigesimæ titulo superventas oblationes post menses octo ab eo edito, ac post expeditas Apostolicas Literas, ne illusoria per eas reddatur addictio in diem, juxta *Perez. in Cd. de fid. instrum. & jur. hast. fiscal.*, *et de adject. tit.* 3. *num.* 12.. Idque etiamsi agatur de Fisco, & Ecclesia; nam si ultra terminum admittendæ essent eorum favore oblationes, nemo amplius cum ipsis contraheret, *Corradin. de jur. prælat. quæst.* 63. *num.* 2., *Rot. in Romana Appaltus Lignorum* 15. *Januarii* 1742. §. *Allegata in fin. cor. Calcagnino*. Eo magis, quia in rescripto 15. Septembris 1792. reservata tantum fuit vigesima, & sexta, quæ simplices excludunt oblationes per *Text. in leg. doli causa ff. de verbor. obligat.*

Advertit immo Bartolatius, quod etiamsi oblationes Luchetti, & Cempetella datæ fuissent nomine vigesimæ, adhuc tamen negligi deberent veluti datæ extra vigesimæ terminum, post menses nempe octo ab edito rescripto, quot intercesserunt a mense Septembris 1792. ad mensem Maii 1793., *Text. in leg. si tempora Cod. de jur. & fid. hast. fiscal.*, *ibiq. Amaya num.* 58. Antiquitus enim præfiniti erant auctionibus dies viginti, *Auth. hoc jus porrectum Cod. de Sacros. Eccl.*, modo menses duo ex motu proprio *Benedicti XIV.*, de quo *Rot. in Romana Affictus* 9. *Junii* 1749, §. *Infirmissima cor. Molino*. Cavendum vero rogat a fallaci objecto præventæ expeditionis Bullarum; nam datum 5. Martii 1792. juxta praxim Datariæ Apostolicæ est *ab incarnatione D. N. Jesu Christi*, & sic annum appellat Calendarii 1793. *a Nativitate*, quum nondum expeditionis tempore venisset in hoc anno dies SS. Annunciationis.

De modo deinde agens exequendi rescriptum, haud dubitandum autumat, quin exequi debeat comprehensis

horreis, & horto. Quandoquidem de his etiam in emphyteusim concedendis actum fuit in comitiis Sodalitii 13. Junii 1790.. Ea expresse Bartolatius in prima oblatione, impliciteque comprehendit Sacra Congregatio in rescripto 15. Septembris 1692., dum concedendam censuit emphyteusim Bartolatio *ad formam suæ oblationis sub die* 1. *Maii* 1792., quæ præter auctum canonem, moderatasque conditiones, primam in reliquis, & secundam appellabat oblationem. Ac de horreis tandem, & horto facta est mentio in precibus Prioris, ut concederetur eidem Bartolatio emphyteusis ad formam novissimæ ejus oblationis; quarum precum veritatem pluribus Bartolatius ipse vindicat argumentis. Verum deliberare dignentur Emi Patres, num ex his potius de comprehensione horreorum, & horti, quam de illorum exclusione judicari debeat ex edictis, quæ formam inducunt emphyteuticæ concessionis.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei 15. *Septembris* 1792. *in casu &c.*

Affirmative favore Bartolazzi, comprehensis horto, & promptuariis, & amplius.

Sass.21. cap.7. de Reform.

REATINA MEDIÆ ANNATÆ. Quæsitum fuit die 12. Maii 1770. I. *An sit locus solutioni mediæ annatæ favore Ecclesiæ Cathedralis*; II. *An ad solutionem ejusdem mediæ annatæ in futurum teneantur Canonici, Beneficiati, & Clerici Beneficiati ejusdem Ecclesiæ Cathedralis*; & Sacra hæc Congregatio rescripsit ad I. *Affirmative, & amplius*; ad II. *Affirmative ad formam Constitutionis Benedictinæ, & amplius*. Impetrata per Canonicos, aliosque Reatinæ Diæcesis Beneficiatos venia, reproposita fuit Causa in Congregatione 16. Maii 1789. sub dubio, *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 12. *Maii* 1770. *quoad primum, & secundum dubium*; prodiitque confirmatorium rescriptum, *In decisis, & amplius*. Plerique ex Beneficiatis acquie-

quievérunt. Unus Parochus Castri Veteris Athanasius Checconi contendere cepit, taxandam sibi esse mediam annatam, detractis prius a reditu Parochiæ oneribus, & sumptibus; postulavitque in id Eminentiarum Vestrarum oraculum.

Auditis per reatinum Episcopum Partibus. jura sua coram ipso scriptis deduxit Capitulum, idemque cum Checconio fecerunt alii Parochi nuper auctoritate ordinaria instituti, qui nedum opponebantur modo solutionis mediæ annatæ, sed contra editas Sacræ Congregationis resolutiones obligationem impugnabant solvendi, ex assertis nempe juribus nunquam deductis super existentia redituum fabricæ Cathedralis, & prætensa illorum immunitate, qui Beneficia obtinent ordinariæ collationis per literas Apostolicas. Super hac nova prætensione Vestrum etiam nonnulli Canonici flagitarunt oraculum; & in respectivis transmittendis animadversionibus, ad eas se refert Episcopus quoad modum solutionis: quo ad novam vero contentionem, licet de præsenti non timeat lite, a qua Parochos ob sumptum abstinere arbitratur, de futura tamen dubitans, modum proponit, quo perpetuum dissidiis silentium imponatur.

Optimum sane censet, *si super fructibus certis tantum tam Parochialium, quam simplicium Beneficiorum statuatur proportionata, & discreta taxa solvenda Ecclesiæ Cathedrali, quoties fiat eorum provisio ab Ordinario; nam commodum redundat tam Ecclesiæ Cathedrali, seu suo Capitulo, quia summam aliquam certam sibi tutam perpetuo vindicat, nec anceps manet excipiendi nihil, & restituendi fortasse exacta quibus de jure: Rectoribus, quia quum taxa sit moderata, nec ad rigorosum apicem mediæ annatæ, liberi sunt a periculo solvendi annatam integram. Hoc consilium de medio tolleret anxietates, jurgia, & plurima alia incommoda, quæ alias eventura forent.* Post infrascriptum igitur concordatum Dubium inter Checconium, & Capitulum, reliquis contumacibus Parochis, Checconius etiam a formali recessit judicio, ac in Vestra justitia ex manuscriptis animadversionibus confidit. Uno propterea informante Capitulo proponitur Causa.

Iis siquidem missis, quæ circa solutionem mediæ annatæ in generæ deducunt Parochi, quum res obstet per Sacram Congregationem judicata; contendunt in specie Parochi, Parochialium præsertim fructus, ex quibus solvenda est media annata, intelligendos esse, deductis expensis, & oneribus. Quandoquidem *fructus rediguendi sunt habita ratione impensarum*, ut in hæc verba statuit Julianus *in leg. fundus* 52. *ff. famil. ercisc.*, & probat *Gall. de fruct. disput.* 28. *artic.* 4. *num.* 4. Ex incertis etiam, quos Constitutio *Pius*, & *misericors* Benedicti XIII. comprehendit, ea detrahenda autumant, quæ parochiali non obveniunt titulo, ut sunt Missarum eleemosynæ, oblationes, & similia. Restringenda porro est lex ad ea, de quibus loquitur, non ad illa, quæ diversum habent titulum, extendenda, *Rot. in recent. decis.* 580. *num.* 2. *part.* 18. *tom.* 2.

Notandum altera ex parte rogatCapitulum, indefinite *Benedictinam Constitutionem* loqui de fructibus, & incertis Beneficiorum, nec inter integros, & ab expensis oneribusque expurgatos fructus, vel inter unam, & alteram incertorum speciem distinguere. Ubi enim lex generaliter loquitur, & non distinguit, generaliter quoque accipienda est, & distingui non debet, *cap. quia circa* 22. *de privileg.*. Atque exemplum affert mediæ annatæ, quæ solvitur, licet alio titulo, in collationibus Apostolicis. Prestatur enim absque detractione onerum, & pensionum. Casus vero est decisus *in Tyburtina Mediæ Annatæ* 4. *Maii* 1754., nam declaravit Sacra hæc Congregatio, detrahenda esse *onera fixa*, & *realia*, *non vero personalia in Beneficiis curatis*. Quo vero ad futurum, negligendum censet Capitulum, penitusque amandandum consilium illud Episcopi de certa statuenda mediæ annatæ taxa *super fructibus certis tantum tam Parochialium*, *quam simplicium Beneficiorum*, quum adversaretur hujusmodi taxa Benedictinæ, quæ comprehendit etiam incerta. Addi posset, quod Ecclesiæ Cathedralis fabrica acquirere posset, si non habet, necessarium fundum, & sic ob cessatum defectum peculiarium reditnum, ob quem *Benedictus* XIII. mediam annatam induxit, perpetua taxa evaderet injusta. Ad ea tamen EE. Patres advertant, quæ in id observat Episcopus;

nam

nam contentiones, & lites, quæ hactenus fuerunt, & esse poterunt inter Capitulum, & Beneficiatos, aliquam pro bono pacis mereri videntur providentiam, quæ utrique commoda sit parti, ut ex rationibus per Episcopum ipsum adductis esset proposita taxa.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

An, & quomodo rescripta dierum 12. *Maii* 1770., *&* 16. *Maii* 1789. *sint exequenda in casu &c.*

Affirmative ad formam Constitutionis Benedictinæ, & resolutionis S. Congregationis in Tyburtina 4. Maii 1754.

DERTHONEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Joanni Francisco Manildi, qui phisico-medicam professionem cum minimo exercet emolumento in Januensi Civitate, duo sunt onera. Uti possessor olim prædii nuncupati *Bregno* præstare quotannis tenetur parochiali Ecclesiæ Casaligii ex antiquo instrumento anni 1632. quartam partem cadi, librasque olei quinque in manutentionem lampadis ad Aram B. M. Virginis de Monte Carmelo. Tanquam heres Bartholomæi ejus patris gravatur ex testamento anni 1757. hebdomadalibus Missis quatuor ad Altare B. M. Virginis Rosarii in parochiali Ecclesia Lermæ cum eleemosyna solidorum tresdecim, & denariis quatuor Pedemontium pro qualibet, & altera Missa cum cantu in festo Divi Nicolai de Tolentino cum eleemosyna duarum libellarum, solidorum 18., & denariorum quatuor ejusdem monetæ: pro quibus Missis debuisset ad præscriptum Testatoris = *assegnare subito seguita la morte di detto Testatore, tanti beni, il reddito de quali sia sufficiente per far celebrare dette Messe colla limosina sudetta in suffragio, e secondo l' intenzione di detto Testatore*. Aliquoties præstationem explevit olei; Missas celebrari fecit ad annum 1779., licet bonorum assignationem neglexisset. Ære deinde pressus alieno, omnia sua vendidit bona, comprehenso prædio *Bregno*, ad instantiam creditorum in concursu; cessavitque a præstatione olei, & celebratione Missarum. *Sass.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Dum

Dum ex jure agebat Parochus Casaligii in Tribunalibus Taurini adversus emptorem prædii *Bregno* pro credito olei, & emptor adversus Manildium, quæsivit hic per transactionem ex patruorum hereditate bona valoris libellarum januensium circiter 3000., annuique redi. tus libellarum fere 200., & nihilominus obtinuit die 26. Novembris 1783. per organum Secretarii Sacræ hujus Congregationis sequens Pontificium rescriptum super onere Missarum, nempe *celebratis Missis sexaginta quo ad præteritum, pro gratia absolutionis; quo vero ad futurum, assignatis interim ex bonis pro medietate dotis ad formam testamenti, & signanter unius Missæ cum cantu in die festo Sancti Nicolai Tolentini, accedente consensu Parochi, & Prioris Suffragii, in reliquis tam quo ad aliam medietatem dotis, quam quo ad medietatem Missarum, pro gratia suspensionis arbitrio Episcopi, imposito Oratori aliquo pio opere per modum suffragii ad triennium, & dummodo ad meliorem fortunam interim non deveniat.* At neque exequutus fuit hujusce rescripti legem quo ad assignationem medietatis dotis; nam ad suam alendam familiam vendidit etiam bona ex hereditate patruorum quæsita. Omni igitur vacuus substantia, Sacræ huic supplicavit Congregationi pro commutatione tum oneris Missarum, cum præstationis olei in pias preces, donec ad meliorem veniret fortunam.

Testatus fuit in sua informatione Derthonensis Episcopus, *Oratorem bonis omnibus per creditores fuisse spoliatum, & tantum abest, ut per professionem phisico-medicam in Civitate januensi, ubi degit, aliquid inde sibi ad vitæ sustentationem comparaverit, quin potius reliqua bona ex transversali patruorum hereditate per invitam transactionem provenientia penitus distraxerit, ad hoc ut & sibi, & conjugi necessaria provideret. Et utinam res ultro non fuisset progressa, & ære alieno plus æquo hac de causa se non gravasset! Medicæ artis professio in ea Civitate non parum quidem lucri afferre potest; verum & Medicorum numerus, & Oratoris ætas potius juvenilis in causa sunt, cur modicum emolumentum reportet, quodque vix sufficere potest ad victum, habitationem, & vestitum sibi comparandum, præcipue si hisce omnibus addantur interusuria creditoribus solven-*

venda, & dotis propriæ uxoris inexactio. Atque ex tali Oratoris inopia consequi ait necessitatem alienationis bonorum, quæ assignanda erant pro Capellania; & hæc addit: *ex ipsa necessitate bona fides peractæ alienationis in Oratore minime eruitur. Hoc certe & jurejurando affirmare sese offert Orator, & deposuerunt tam emptor dictorum bonorum, quam Notarius: verum non ignoratur, Oratorem quando favore Dominici Pastore primam bonorum medietatem alienavit per Procuratorem, alteram medietatem, quamvis capellaniæ affectam, & expresse assignatam hypothecasse, & deinde hanc ipsam partem eidem Procuratori vendidisse: quod certe bonam fidem in Oratore excluderet. Indicaret enim, utrumque, emptorem nempe, & venditorem plene dignovisse hypothecam super ipsis bonis favore capellaniæ.*

Ex ore insuper ipsius Oratoris assignavit causam, quare non supplicaverit tempore habili pro opportuna facultate alienandi, *scilicet eo quod ad meliorem fortunam brevi se devenire sperabat post talem venditionem; quod tamen minime accidit. Utrum autem hanc suam voluntatem exequi, nec ne tractu temporis valeret Orator, optime dignoscere poterat tum ex insufficientia pretii bonorum ad æs alienum extinguendum, tum ex parvitate emolumenti medicinæ, & ex ceteris demum sui ipsius circumstantiis, quæ uti olim, ita in præsens adhuc perseverantes, ad incitam eumdem redigerent, quemadmodum factum est.* Ac suum postremo aperiens votum, ita circa Missarum onus conclusit: *Quare attenta Oratoris ære alieno gravati nullatenentia, nil aliud ad consulendum ipsius conscientiæ meo judicio agendum esset, quam interim Missarum onus in aliud pium opus proprio statui respondens commutare, donec ad meliorem fortunam devenerit Orator ipse; quod difficile tamen eveniet.* Aliter vero sentiit quo ad præstationem olei tum ob malam Oratoris fidem, qua obligatum præsertim alienavit prædium *Bregno*, tum ob formalem interesse habentium contradictionem, litemque pendentem, ob quam censuit, *neutiquam admitti posse reductionem propter præjudicium, quod Ecclesiæ parochiali* (Casaligii) *obveniret.*

Re-

Reque vera Casaligii Parochus, aliique interesse habentes sese in hac etiam Congregatione formiter opposuerunt instantiæ Oratoris. Indefinitum vero, quod apposuerunt *nihil transeat*, servatum fuit per decretum, ab EE. Vestris confirmatum, quo ad prestationem olei tantum; libereque propterea ex officio proponitur Dubium super commutatione oneris Missarum. Qui semel profecto gratiam obtinuit reductionis, penitus modo evertere contendit Missarum legatum, piamque voluntatem patris contra canonicas sanctiones *in Can. ultima voluntas* 4. *caus.* 13. *quæst.*2., & *Clement. quia contingit* 1. *de religios. domib.* Pias quidem Orator Missarum loco proponit preces; sed facile commutandæ non sunt Missæ in aliud pium opus, *Vital. in cit. Clement. quia contingit num.*3., *Monet. de commut. ult. volunt. cap.*6. *num.*36., nisi justa, & rationabilis concurrat causa, juxta *Concil. Trident. sess.*22. *cap.*6. *de reform.* Paupertatis autem causa, quæ in nostro allegatur themate, multum fortasse non prodest Oratori, qui post acceptam Pontificiam legem de assignandis bonis pro medietate dotis Capellaniæ, bona vendidit ex patruorum hereditate quæsita. Nemo enim reportare debet commodum ex propria culpa, ex *Leg.*226. *ff. de verb. signif.*. Ceterum advertere dignentur Emi Patres, integram hereditatem Bartholomæi Manildi obligatam fuisse pro adimplemento Missarum donec certum Orator assignaret fundum; ideoque vindicari posse, & debere bona alienata, quæ primævam retinent hypothecam, *Cenc. de censib. quæst.*98. *num.*14., *Rot. coram Molin. decis.*487. *sub num.*26.

Quamvis contra reprehensibilis sit in causa Oratoris paupertas, vera tamen, Episcopo teste, & realis est, ac pro petita voluntatis commutatione vincere posset rigorem Legum, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap.* 2. *part.*12. *de Constit. num.*22., *Amost. de caus. piis lib.*1. *cap.*14. *num.* 36.. Nemo enim obligari valet ad impossibile, *Leg. Impossibilium* 145. *ff. de regul. Jur.* Præsumpta accedit voluntas Testatoris, qui si miserum proprii filii statum videre posset, probabiliter a commutatione Missarum in levius aliud pium opus non ab-

abhorreret, nec pateretur, ut ad servandum Missarum legatum, filius interim fame periret, ut ex *Toletana Synodo* 4. *can.*38. ponderat *Can. quicumque* 30. *caus.* 16. *quæst.* 7., *cap. pervenit de jurepatr.* Eoque magis, quia gratiam petit Orator commutationis Missarum in pias preces quousque ad meliorem venerit fortunam. Non raro enim Sacra hæc Congregatio temporariam concessit Missarum suspensionem, ut *in Taurinen.* 30. *Martii* 1776., *in Messanen. Reductionis Missarum* 24. *Januarii* 1778., & *in Casalen.* 20. *Decembris* 1788.

Consulendum quoque conscientiæ Oratoris quo ad. præteritum. Excusabilis porro non videtur ejus culpa, tum quia exequutus non fuit Pontificium rescriptum, tum quia elapso concessionis triennio, nec suam adimplevit obligationem, nec prorogationem gratiæ postulavit. Facile propterea concedenda non videtur absolutio; nisi eam EE. Vestræ indulgere velint Oratori præ paupertate, *ut in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dubium lib. Decret.* 59. *fol.* 146., & *in Camerinen. Abolitionis Legati Missarum*, & *Absolutionis* 25. *elapsi Januarii ad II. Dubium*, in qua tamen præscripta fuit celebratio Missarum decem pro unica vice.

Deliberandum itaque:

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Quoad commutationem voluntatis *negative*, & esse locum suspensioni Missarum tantum ad decennium, imposito aliquo pio onere arbitrio Episcopi per modum suffragii, & ad D. Secretarium cum SSmo; nec non Episcopus incumbat vindicationi bonorum alienatorum.

Ad II. Affirmative, imposito aliquo pio onere pro unica vice per modum suffragii arbitrio Episcopi.

*Sess.*22. *Decr. de observan. & evitan. in celebr. Miss.*

FERRARIEN. MISSARUM. Sacerdos Bernardinus Zecchini legavit anno 1628. Collegio Capellanorum

Ferrariensis Cathedralis scuta 300. monetæ veteris, seu 218. 18. currentis, cum onere *che detti Rev. Cappellani siano obbligati in perpetuo ogni dì, che non sia festivo, o impedito per Uffizj particolari della Chiesa, far celebrare all'Altare privilegiato posto in detta Cattedrale una Messa da morto per l'anima di esso Testatore, e de' suoi Parenti*. Quum ejus vero heres Wilelmus Buzzignani impar esset promptæ solutioni legati, se idcirco de anno 1633. ad illud tradendum obligavit intra sexennium, desponditque interim fructus scutorum quinque pro quolibet centenario. Fidem non servavit quo ad capitale; solutisque fructibus in veteribus scutis 15., seu currentibus 10. 90. 10., celebravit ex his Collegium ad totum annum 1650. annuas Missas 70., quot illi detractis utensilibus capiebant: num per legitimam reductionem, ignoratur. Ab eo autem anno nedum mediati heredes desponsum non tradiderunt capitale, sed a solutione etiam cessarunt fructuum, ac cessavit etiam Collegium a celebratione. Post plures contumaciæ annos, ex jure egerunt Capellani pro vindicatione legati; & quibusdam obtentis sententiis, per transactionem tandem immissi fuerunt anno 1705. pro sorte, & fructibus decursis in possessionem domus valoris scutorum 727. 27. 3., annuique reditus scutorum 36. 36.

Aucto igitur ex cumulo fructuum capitali, supplendæ erant Missæ in præteritum non celebratæ, & futuræ providendum erat celebrationi. Rem Capellanorum Collegium detulit anno 1707. ad Cardinalem de Verme Ferrariensem Archiepiscopum, exposuitque, non teneri quo ad præteritum ad integrum celebrandum numerum Missarum 157., quæ ad formam testamenti celebrari debuissent, sed Missarum 70. respondentium primævo reditui scutorum 10. 90. 10., eo quod hoc pacto accepit legatum; rescripsitque Archiepiscopus in hæc verba: *Atteso l'esposto, detratte le spese della lite, ascendenti a scudi* 79. 08. 3. *giusta la nota esibita; altri scudi* 10. *al presente Priore del Collegio per l'assistenza da lui prestata alla prosecuzione, e termine della stessa lite durata per anni cinque in circa, e scudi* 2. 50. *ogni anno al Priore pro tempore del medesimo Collegio per la cura di esigere il legato, ordi-*

diniamo, che in avvenire si soddisfaccia intieramente l'obbligo delle Messe, cioè una Messa da morto perpetuamente ogni giorno, che non sia festivo, o impedito da officio particolare della Chiesa, e a tenore dello stesso legato, e con il residuo de frutti si vadano adempiendo le non celebrate sino a tutto l'anno prossimo con la elemosina di bajocchi 15. per ciascheduna Messa, atteso l'incomodo, e difficoltà che suole incontrarsi nel celebrare all'Altare privilegiato, come si comanda.

In executionem hujusce rescripti celebrari fecit Collegium ad totum annum 1791. annuas Missas 226., Missas nempe 157. pro currenti earum numero, aliasque 69. ad præteritam supplendam omissionem. Subsequenti autem anno 1792. animadvertit, plus æquo pro præterita omissione celebrasse, destititque post celebratas eo anno Missas 112. ab ulteriori celebratione. Tria hinc ab hac Sacra postulat Congregatione; I. *num excessus Missarum celebratarum compensari valeat cum Missis currentibus*; II. *num applicari possit ejus Sacrario, reditibus destituto, quod currentibus celebratis Missis, quotannis superest*, & III. *an ob nova sub ritu dupliçi superventa & superveniendа officia, reducendæ sint Missæ ad numerum dierum habilium pro tempore*, qui modo sunt circiter 120. Ac præ omnibus refert Emus Archiepiscopus Ferrariensis, quod dispunctis coram ipso rationibus *apparet, exacta fuisse per dict. annorum cursum ab ædificiis scuta 2844. immunia a dicta annua recognitione Prioris, & celebratas fuisse Missas in numero 13188., præfatumque Collegium ad totum annum 1792. creditorem esse Missarum in numero 1861.* Additque, *hac super re neminem alium auditum fuisse, quam Collegium ipsum, quod solum in hoc negotio habet interesse, quodque est voto, quod nedum summæ respondentes excessui prædictarum Missarum celebratarum ad totum annum 1792. in numero 1861., sed aliæ summæ etiam, quæ superextare possent ab annuo adimplemento legati, quatenus concedatur petita compensatio, & reductio, applicentur, & erogentur ad favorem Sacrarii ejusdem Collegii, quod non habet reditus peculiares pro manutentione Sacrarum supellectilium.*

His præmissis, censet quo ad primum Dubium, quod *quum præfatus Missarum numerus* (1861.) *ex mero errore, & inconsulto celebratus fuerit, locus sit petitæ compensationi*. Idque consonum dicit *resolutionibus istius Sacri Senatus, & præsertim in una Romana 6. Maii* 1786. Super secundo arbitratur, *rescribi posse pro dicta applicatione; tum quia Sacrarium Collegii reditus peculiares non habet pro manutentione Sacrarum supellectilium; tum quia Collegium ipsum exposuit propriam pecuniam periculo nunquam consequendi redditionem ejusdem pecuniæ expositæ in lite prædicta, cujus victoria reportata fuit industria ejusdem Collegii. Accedit, quod Beneficiati dicti Collegii, hac super re auditi, consensum præstiterunt pro applicatione etiam reliqui reditus eorumdem ædificiorum favore Sacrarii, licet videatur, ipsis tanquam legotariis competere præfatos reditus superextantes in augmentum distributionum*. Et hæc habet de tertio; scilicet *non esse minuendum Missarum numerum* 157. *præscriptum ab eodem Emo a Verme, nedum ob concessionem novorum officiorum sub dicto ritu duplici, sed neque ob elevationem festorum a ritu semiduplici ad duplicem ab anno* 1707. *factam, aut in posterum faciendam. Nam Missæ celebratæ de festo currente in Altaribus Apostolico privilegio decoratis, ac diebus, quibus juxta rubricas non licet Missas de requie celebrare, habent eamdem vim, & indulgentias, perinde ac si essent Missæ celebratæ de requie, & de Defunctis, sicuti definitum fuit a pluribus Summis Pontificibus, & postremo ab Innocentio Papa XI., quod privilegium videtur maxime, & præcipue intentum a Testatore*.

Urgere profecto videntur quæ Emus observat Archiepiscopus pro compensatione Missarum. Æquum namque est, ut qui celebrationem ultra debitum per errorem expleverunt, a pari leventur onere, donec onus cum indebito componatur, ut præter resolutionem ab Emo Archiepiscopo citatam, censuit etiam Sacra Congregatio *in Romana Missarum* 31. *Junii* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 303. Notandum contra, quod ignorare forsan non poterant Capellani ex libris Collegii, quot, & pro quo tempore præteritas supplere tenerentur Missas. Si hoc igitur non obstante, prosequuti ultra de-

debitum fuerunt celebrationem, voluntaria videri posset ipsorum negligentia, vel liberalis erga Animam Testatoris largitio, pro qua non competit compensatio, ut *in Placentina* 16. *Januarii* 1779., & *in Romana* 24. *Martii* 1787. Animadvertendum de cetero, quod a recuperato capitali, ejusque fructibus superavit reditus Missarum onus a Testatore impositum, ita ut postulet Collegium applicationem superextantis summæ. Ubi enim circa Missas celebratas non concurrit defectus redituum, earum compensatio denegatur, ut *in Romana Reductionis Missarum* 2., & 30. *Augusti* 1710., & 14. *Martii* 1711., *lib. Decret.* 60. *pag.* 299. & 332., & *lib.* 61. *pag.* 113.

Graves quoque sunt ejusdem Archiepiscopi rationes pro applicatione summę, quæ Missis respondent celebratis, aliæque per annos superextantis favore Sacrarii: sed gravior est illa, quod suo forsan Capellani per hujusmodi applicationem cedunt juri; quum legatum habeat causam lucrativam, sibique propterea retinere valeat legatarius, quod adimpletis superest oneribus, per *Text. in Leg.* 1. *sub* §. *ceteri vers. lucrativas Cod. de imponen. lucrat. descript. lib.* 10., *Amost. de caus. piis lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 34. At præteriri non debet, quod solicitus non fuit Testator de Sacrario, vel Ecclesia, sed de Missis tantum in proprium suffragium. Quod igitur ex cumulo fructuum accessit capitali, & redundantes dat reditus, eadem ratione erogandum videtur in suffragium Testatoris, qua ob defectum redituum ab anno 1628. ad 1650. longe minor Missarum numerus, quem Testator præscripserat, fuit celebratus.

Non immerito demum reductioni Missarum æquale opponit suffagium per Missas de requie, aliasque de rubrica ad Altare privilegiatum. Maxime, quia redundant reditus, qui reductionem impediunt, ut *in Brigantien.* 25. *Junii* 1791. Animadversionem tamen meretur, quod non obstante suffragii æqualitate, Missas Testator noluit diebus festis, aliisque *impediti per uffizj particolari della Chiesa*; easque propterea in iis etiam noluisse censetur officiis, quæ sub eodem supervenerunt, & superventura erunt ritu. Ubi enim loquitur Testator, diversum ab ejus mente ferri non de-

debet judicium, *Rot. in nuperr. decis.*399.*n.*13. *tom.*7. ; *cor. Riminald. decis.*153. *num.*8.

Dubia sunt.

I. *An & quomodo sit locus compensationi in casu &c.*

II. *An, & quomodo summa quotannis superextans sit eroganda in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus celebrationi Missarum quo ad futurum in casu &c.*

Ad I., II., & III. Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi.

*Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

FANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Ex postremis tabulis Hieronymi Seta anni 1666. onus habet Familia Nanni de Montavio hebdomadalium Missarum quinque (præter annuas alias quadraginta, de quibus hic non agitur) in Ecclesia Beatæ Virginis de Subsidio Montis Majoris, ac solvere pro iis debet ad præscriptum Testatoris annua scuta romana 26. 66. 3. ex hereditariis bonis Territorii ejusdem castri Montis Majoris, & Saltarię; nisi aliquis in Familia ipsa sit Sacerdos, qui celebrare valeat. En verba testamenti: *detto Testatore grava li suoi eredi in perpetuo nei beni di Monte Maggiore, e Saltara far celebrare nella Chiesa della Madonna del Soccorso, posta fuori di detta Porta di detto castello in Monte Maggiore cinque Messe la settimana in perpetuo, assegnando al Sacerdote, che celebrerà dd. Messe, scudi quaranta ducali l'anno.. dichiarando però, che finchè vi sarà alcun Sacerdote in casa Nanni, debba lui celebrare le dd. Messe, e conseguire la sudetta mercede.* Quum autem, Fanensi Episcopo teste, *stipendium, quod Testatoris temporibus satis conspicuum videri poterat, nunc temporis ita vi-*

viluerit, ut nullus Presbyter ibi reperiatur, qui hujus legati vinculum suscipere malit, quam adventitia negligere, quæ spem majoris afferunt stipendii, EE. Vestris idcirco supplicat Cap. Carolus Nanni Seta pro Missarum reductione. Licet namque existat in ejus Familia Sacerdos Ignatius, assumere tamen nequit celebrationem in castro Montis Majoris, tum quia castrum hoc quinto a Montavio illius patria distat lapide, tum quia Sacerdos ipse detinetur Montavii ex Canonicatu Collegiatæ.

Quibus rationibus petitio nitatur Oratoris, & quam ipse proponat reductionem, in hæc Episcopus refert verba: *Censet enim, hereditaria bona non debere gravari præter expressam quantitatem ab ipso Testatore statutam: gravarentur autem, si tanto eleemosynæ Missarum augeri debeant, quanto difficultas Presbyterorum in dies augeatur. Nam quum Testator pro singulis Missis eleemosynam unius julii monetæ romanæ statuerit, pro singulis modo vix quindecim oboli sufficiant, manifestum est, quod bona hereditatis multo pluris multarentur, quæ a Testatore multata fuere scut. rom. 26. 66. 3. $\frac{2}{3}$. Quæ summa si cum taxa synodali pro oneribus perpetuis æquari tandem debeat, multo gravior evaderet: nam heredibus solvenda essent quotannis scuta rom. 44. 86. Quapropter putat Orator, locum sibi esse reductionis Missarum petendæ, ut numerus, qui juxta placitum Testatoris est quotannis Missarum 260., si statuatur stipendium ad obolos quindecim pro qualibet Missa, fiat in posterum Missarum 175., si vero ad taxam synodalem obolorum 17., Missarum 155. in singulos annos, qui in menses, vel in hebdomadas distribuatur.*

Nisi arrideat reductio, alius juxta Episcopum esse posset modus servandi integrum Missarum numerum absque gravamine hereditatis; si transferantur nempe Missæ *ab Ecclesia B. M. Virginis de Subsidio Montis Majoris ad Ecclesiam sive Collegiatam, sive Divi Francisci Montavii, in qua sepulcri locum habet a majoribus Gens Seta, licet testamenti auctor in castro Montis Majoris vita functus, tumulatus jaceat non in Ecclesia Beatæ Mariæ de Subsidio, ubi Missas jussit celebrari, sed in Ecclesia Parochiali. Ita quidem voluntas Testatoris, sin minus quo ad locum, impleretur quoad numerum, & quo ad personam celebrantis: nam in Familia Nanni*

Se-

Seta est Presbyter Ignatius Nanni Canonicus Collegiatæ, qui per se celebrare posset juxta placitum Testatoris, contentus stipendio a Testatore præscripto. At ægre Episcopus ipse ferret, *Ecclesiam illam Montis Majoris Missis hujusmodi privari; quod non esset sine popularium illorum incommodo, & devotionis jactura*.

Ex informatione Episcopi rationes habent Emi Patres, ex quibus obtinere confidit Orator reductionem Missarum. Certum sane Testator assignavit stipendium scut 26. 66. 5. $\frac{2}{3}$ pro illarum celebratione, adeoque illud nostra ætate tenue est, *ut nullus Presbyter ibi* [in castro Montis Majoris] *reperiatur, qui hujus legati vinculum suscipere malit, quam adventitia negligere, quæ spem majoris afferunt stipendii*. Licet autem summa scutorum 26. 66. paullulum distet ab æquo pro annua celebratione Missarum 260. ad manualem obolorum 10., atque utensilibus; difficultas tamen Sacerdotis celebrantis justam præbere posset reductionis causam, ut *in Viglevanen. 4. Aprilis* 1789., *& in Novarien. Reductionis Missarum 7. Septembris elapsi anni* 1793. Ad quam vero taxam fieri deberet hujusmodi reductio, EE. Vestræ decernent.

Notandum vero, quod incipit dispositio Seta a Missarum onere, ac pro eo gravat Testator bona omnia Montis Majoris, & Saltariæ verbis illis = *grava li suoi eredi nei beni di Monte Maggiore, e Saltara far celebrare . . cinque Messe la settimana*; deindeque stipendium statuit scutorum 40. Urbini, seu scutorum 26. 66. 3. $\frac{2}{3}$ monetæ romanæ. Demonstrativa ergo videri potest hujusce stipendii assignatio, secundum *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. sub n. 32.*, ideoque supplere forsan debet Orator ex bonis indefinite obligatis, quod ad continuandam Missarum celebrationem in Ecclesia B. Virginis de Subsidio Montis Majoris juxta præsentes circumstantias requiritur, ut censuit Sac. Congregatio *in Narnien. 15. Januar. 1721., & in Januen. Capellaniæ 16. Julii* 1791.

Si ex hoc deneganda est Missarum reductio, neque locus erit illarum translationi; quum nulla urgeat ratio, cur alio transferri debeant Missæ, quæ per supplementum eleemosynæ in designata celebrari valent Ecclesia. At si proclives essent EE. VV. Vestræ ad reductionem, opportunior fortasse videri poterit, magisque Animæ Testatoris proficua translatio; dum sepultus non est

Te-

Testator in Ecclesia Beatæ Mariæ de Subsidio Montis Majoris, & idem in altera ex Ecclesiis Montavii cum assignato stipendio celebraretur Missarum numerus per Canonicum Nanni. Quamquam *non esset sine popularium illorum* (Montis Majoris) *in commodo, & devotionis jactura*; quod translationem impedit Missarum, *Pax Jordan. tom. 1. var. resol. leg. 4. tract. 1. de Sacr. Miss. num. 540.*, *Navar. in manu al. §. 25. num. 134.*, & *Sac. Congregatio in Firmana 3. Augusti* 1782. Res de cætero ad eamdem rediret difficultatem, si post obitum Canonici Nanni alius in ejus familia non erit Sacerdos, qui celebrationem continuare valeat Montavii.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus illarum translationi in casu &c.*

Ad I., & II. Negative.

PARMEN. Capitulum insignis Collegiatæ S. Joannis Baptistæ, quinto abhinc sæculo erectæ in Ecclesia Baptisterii Parmæ, constat ex Præposito, & Canonicis sex, quorum unus de jurepatronatus Administratorum Collegii Lallavensis hoc institutus fuit ineunte sæculo. Ex fundatione, & constitutionibus Collegiatæ onus Præposito, & Canonicis quinque primæ erectionis initio erat residentiæ; canendi quotidie vesperas, & completorium, ceterasque recitandi canonicas horas in Choro; & assistendi Missæ conventuali, alterique privatæ pro Fundatore, aliisque Benefactoribus Collegiatæ. Quum annui vero capitularis massæ, & præbendarum reditus injuria temporis decrevissent, ita ut non sufficerent pro congruis distributionibus quotidianis, ecclesiastica idcirco auctoritate reducta fuit residentia, Parmensi Episcopo

Sess. 24. cap. 12 de Reform.

teste = *ad omnes & singulos dies festivos*; *ad alias etiam festivitates Sanctorum in dicta Ecclesia Baptisterii ex devotione celebrari solitas*; *ad totam hebdomadam majorem*; *ad diem cinerum*; *ad omnes vigilias quo ad vesperas tantum*; *& tandem ad celebrationem duarum Missarum submissa voce in aliis diebus per hebdomadam*.

Ad pristinum restituendum servitium Chori, donavit anno 1676. Alexander Piazza, ejusdem Collegiatæ Canonicus, scuta romana 219. 05. sub lege conficiendi multiplicum donec sufficientes pro distributionibus haberentur reditus. Adimpleta fuit donantis voluntas ad annum 1718. At post diuturnam intermissionem multiplici, inductamque (ejus forsan loco) consuetudinem celebrandi pro eodem donante menstruam Missam cum officio Defunctorum, anno tandem 1759. obtinuerunt Capitulares a *Clemente XIII.* per organum Sacræ hujus Congregationis absolutionem quo ad præteritum, & liberationem ab onere multiplici quo ad futurum, *ita tamen, ut ultra onus celebrandi Missam, & recitandi officium Defunctorum quolibet mense pro anima Alexandri Piazza donantis, quod firmum remanere debeat, Oratores ipsi omnibus anni diebus festis primæ classis integras horas canonicas recitare teneantur*.

Ita ad hæc tempora servatum est. Ob frigidam modo Ecclesiæ structuram ex marmore, multumque hiberno tempore servitium Chori a prima fere ad meridiem luce, supplicant Capitulares ipsi pro facultate recitandi post primas vesperas matutinum officii ritus duplicis primæ classis sequentis diei, a primis vesperis omnium Sanctorum ad tres festivitates Paschæ Resurrectionis inclusive, eisque favet Episcopus. Refert enim, quod *quamvis ab initio pingues admodum essent annui fructus, qui percipiebantur ex fundis stabilibus in dotem assignatis tum massæ communi capitulari, tum singulis præbendis canonicalibus; hodie tamen quum partim injuria temporum fuerint deperdita, partim vero in emphyteusim concessa, vix supersunt pro massa capitulari annua scuta romana 252. 10. Pro prima præbenda præpositurali scuta 20. 15. Pro secunda præbenda sacerdotali scuta 21. 87. $\frac{1}{2}$: Pro tertia sacerdotali præbenda scuta 9. 38. $\frac{3}{4}$. Pro sacerdotali quarta præbenda scuta 5. 50. Pro præben-*

benda diaconali scuta 23. 75. Pro præbenda subdiaconali scuta 9. 45. $\frac{1}{4}$: Et tandem pro alia præbenda sacerdotali, erecta & fundata ineunte currenti sæculo, jurispatronatus Administratorum Collegii Lallavensis scuta 86. 69. $\frac{1}{3}$.

Atque hinc ita concludit: *Qua de re quum tenues adhodum videantur annui reditus tum massæ communis, tum singularum præbendarum, & sex tantum Canonici una cum Præposito teneantur ad veram personalem residentiam; quumque dicta Ecclesia Baptisterii sit formæ octangulæ, non magnæ latitudinis, intus foriſve tota ex marmore constructa, habensque tres magnas januas, quarum una in prospectu Chori, aliæ duæ ad ejusdem Chori latera; quumque tandem etiam Chorus ipse situs reperiatur ante Altare majus, ac pertingat fere ad medietatem dictæ Ecclesiæ, neque ullo modo possibilis sit constructio Chori hiemalis, nec aliter provideri possit ad frigus arcendum, asserere certe non diffiteor, permulti incommodi, præsertim tempore hiemali, semper futuram fore ipsis Oratoribus integram horarum canonicarum recitationem. Hinc quum dictus Præpositus, & Canonici capitulariter congregati, ac per secreta suffragia explorati, quam maxime exoptent, ut eis saltem a primis vesperis solemnitatis omnium Sanctorum usque ad tres festivitates Paschæ Resurrectionis inclusive pro Officiis ritus duplicis primæ classis indulgeatur facultas recitandi post primas vesperas matutinum cum laudibus diei immediate sequentis, utique existimarem; rationibus superius adductis petitam gratiam concedi posse.*

Rigida prioribus Ecclesiæ sæculis erat disciplina recitandi matutinum sub mediam noctem, ut *ex Concilio Agathensi* statuit Gregorius IX. *in capitulo Præsbyter de celebrat. Miss.* Humana vero declinante natura, permissa primum fuit illius recitatio sub auroram, deindeque post vesperas, & completorium præcedentis diei, teste *Benedicto XIV. instit.* 107. §. 4. *num.* 10. & 21. Dies enim quoad Divinum Officium, aliasque ecclesiasticas celebritates a præcedentibus incipit vesperis, *Azor. instit. moral. lib.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 5. *tom.* 1. *Francol. de hor. canon. cap.* 19. *tom.* 1., *Ceccoper. lucrubrat. canon. lib.* 2. *sub num.* 18. Hac tamen novissima Ecclesiæ permissione frui nequeunt Oratores, utpote Canonici insignis Collegiatæ Par-

mensis Baptisterii: nam vetus in Cathedralibus, & Collegiatis servanda est disciplina ex *Clement. 1. de celebrat. Miss.*, quam exornant *Vega in summ. verb. horæ num.* 1., *Ceccoper. loc. cit. num.* 19. Eis insuper obstat rescriptum Clementis XIII., qui Capitulum liberavit a multiplico Piazza sub hac præsertim lege, ut *omnibus anni diebus festis primæ classis integras horas canonicas recitare teneantur*. His namque verbis præscripsisse videtur Summus ille Pontifex horarum omnium recitationem in diebus ipsis festis primæ classis. Idque subsequens comprobavit observantia: quandoquidem ab anno 1759., quo prodiit rescriptum, semper hactenus præscriptis cujusque dici horis integrum recitatum est Officium.

At ex structura Ecclesiæ Baptisterii, & præbendarum tenuitate mereri possent Oratores gratiam præmaturæ recitationis matutini. Tota intus forisque constructa est Ecclesia illa ex marmore, qui lapis est *insigniter durus*, juxta *Boet. in histor. lapid. & gemm. lib. 2. cap.* 266., ideoque ob exclusum ignem dissipatum, frigidus *Boet. ibid. lib.* 1. *cap.* 6. Nimis ergo hiberno tempore incommoda esse debet Canonicis continua horarum omnium recitatio de mane; ac æqua propterea videtur gratia, quam conservandæ valetudinis causa Oratores postulant, ut in *Abulen. Servitii Chori* 23. *Januarii* 1790. Maxime, quia tenues admodum sunt eorum præbendæ, si unam excipias de jurepatronatus; minui que idcirco debere videtur, quantum fieri potest, incommodum choralis servitii, quod per anticipationem matutini [extra Cathedrales, & Collegiatas ceteroquin permissam] manet integrum. Si concedenda autem est gratia pro hiemali tempore, concedenda videretur juxta votum Episcopi; nam accipitur hiemale tempus a prima die Novembris ad primam Maii, *Ceccoper. lucubr. can. lib. 2. sub num.* 19.

Deliberare ergo dignentur Eminentissimi Patres.

An sit concedendum indultum recitandi matutinum post vesperas, & completorium præcedentis diei in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

RI-

RIPANA EMPHYTEUSIS. Actum fuit die 23. Novembris elapsi anni 1793. inter Comitem Vincentium Recchi, Fratres Boccabianca, & Septimium Marezi de prælatione ad emphyteusim bonorum Ripani Nosocomii sub Dubio, *An, cujus favore, & pro qua summa sit stipulandum instrumentum emphyteusis in casu &c.*; & ob maximam oblationum discrepantiam rescripserunt EE. Vestræ, *Dilata, & eidem Archipresbytero pro nova affixione edictorum super ultima oblatione Boccabianca*, quæ erat scutorum 301. Novis igitur affixis edictis, iterarunt æmuli oblationes. Canonem Fratres Boccabianca obtulerunt scutorum 302. sub declaratione *di esser preferiti sempre a qualunque offerta si facesse dagli altri*; & in genere de plantationibus, ædiumque reparationibus loquentes, facultatem sibi reservarunt *di poter tagliare senza altra licenza tutti quegli alberi, che o impediranno le piantate, o saranno dannosi al terreno*, iterumque *di profittare di tutti i legnami secchi, che si troveranno nell' atto della consegna*. Scuta obtulit Marezius 305., seque præ ceteris obligavit ad conserendas intra sexennium fructiferas arbores, salicesque 1220., arbusti ordines decem *di passa* 30., arundinetos tres. Et Comes tandem Recchi obtulit scuta 310., plantationem fructiferarum arborum 1800., populorum & viminum 1000., duplicisque arundineti; restaurationem ædium; ordines decem arbusti *di* 50. *passa l' uno*; & quædam statis diebus dona infirmis Nosocomii. Hisce autem perpensis oblationibus, meliorem censet Eminentissimus Archipresbyter illam Recchii, qui sua hactenus jura unus deduxit. *Sess. 25. cap. 11 de reform.*

Per comparationem sane dict. oblationum, suam Recchius dicit majorem, & meliorem, sibique propterea prælationem ad emphyteusim deberi, per *Text. in leg. eum qui emit. 7. §. melior autem conditio ff. de in diem addict.*, *Rot. in Imolen. Prælationis 5. Februarii* 1751. §. 3. *coram Matthæjo*. Ostendit eam majorem ex majori canone, ampliori instituendarum arborum numero, aliisque utilioribus conditionibus. Meliorem vero, ex quo ceteros vincit in bonis fortunæ. Bona enim possidet Pater oblatorum Boccabianca valoris scutorum 1306. 98. 2., Marezius scutorum 199. 50. Majores vero Recchii investituram obtinuerunt a *Benedicto XIII.* primo vacaturi Feudi in Duca-

tu

tu Ferrariensi (non constat , obtinuisse) possidetque Comes Vincentius in Ripana Civitate Domos tres , earumque unam nobiliter instructam , & Latifundia duo in Territorio . In emphyteusi autem concedi etiam solet prælatio opulentiori , licet inferiori oblatori , ex sententia Ulpiani *in leg.* 5. §. *melior autem ff. de in diem addict.* Spernique debere contendit Recchius declarationem illam Fratrum Boccabianca *di esser preferiti sempre a qualunque offerta si facesse dagli altri* . Hæc namque , similesque declarationes ob incertitudinem canonis reiiciuntur , *Caball. cons.* 130. *numer.* 3. , *Mangil. de subhast. quæst.* 23. *num.* 4. & *seqq.* , *Post. eod. tract. inspect.* 35. *num.* 148. & *seq.*

Iterum ergo quæritur .

An , cujus favore , & pro qua summa sit stipulandum instrumentum emphyteusis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 31. Maii 1794. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PARMEN. *Sess.24.cap12. de Reform.*

An sit concedendum indultum recitandi matutinum post vesperas, & completorium præcedentis diei in casu &c.

Negative.

RIPANA EMPHYTEUSIS. Quum Antonius Boccabianca majorem omnibus noverit postremam oblationem Comitis Recchi, de qua in præcedenti Folio, canonem idcirco pro ejus filiis per procuratorem auget ad scuta 330. cum iisdem conditionibus, quas ille despondit. Num hæc vero admittenda sit oblatio post consumatum ex novissimis edictis oblationum actum, contra *Perez. in Cod. de fid. instrum. & jur. hast. fiscal. & de adject. tit.3. num.12.*, EE. Vestræ decernent. *Sess.25.cap.11 de Reform.*

In quæstionem igitur venit.

An, cujus favore, & pro qua summa sit stipulandum instrumentum emphyteusis in casu &c.

Affirmative favore Recchi, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

VALENTIEN. ORDINIS SUBDIACONATUS. Quum Joseph Bartholomæus Claudius Monicault quartum decimum ageret annum facile primam Tonsuram, minoresque Ordines, suadente Canonico Bartholomæo Francisco ejus patruo, & generali Valentiæ in Galliis Vicario assumpsit. Solicitus deinde patruus de eo promovendo ad Subdiaconatum, Apostolicam obtinere tentavit dispensationem super deficientibus ad justam ætatem mensibus tresdecim, propriumque nepoti resignare Canonicatum: sed hoc frustratus consilio, legitimaque superventa ordinationis ætate, alteram nepoti in Valentiensi Cathedrali impetravit canonicalem præbendam. Reliqua erat illius promotio ad Subdiaconatum. Qui facilis vero ad minores fuerat Ordines, sacrum aversabatur. Se igitur ad patruum adjunxerunt parentes, & suasionibus, illecebris, minis propositum tenuerunt. Priusquam vero ordinationis causa Lugdunum peteret, protestatus fuit Joseph coram Locumtenente de la Voutte die 17. Martii 1789., *come la promessa, che ha fatto a suoi padre, e madre, ed al suo Zio* (assumendi Subdiaconatum) *non è altro, che l'effetto della violenza, e della persecuzione*; ac reprobans idcirco consensum, reservavit sibi *di farsi rilevare per le vie canoniche a tempo, e luogo contro la sua ammissione al Suddiaconato, che non lo prenderà, che per mettersi al coperto dalle persecuzioni de suoi parenti, e per prevenirne le seguele*.

Hac emissa protestatione solus ad locum ivit ordinationis, & die 28. ejusdem mensis Martii Subdiaconatum accepit. Ad patriam deinde reversus, canonicale adimplevit munus; exercitio abstinuit Subdiaconatus, uno excepto solemnioris festivitatis die, in quo quum esset patruus *Maestro del Coro, vedendo che il Suddiacono di turno non compariva, comandò così imperiosamente al rispondente di rimpiazzarlo, che non ebbe mai la forza di risistergli*. Post annum ab ordinatione, die nempe 23. Martii 1790., iterum adversus eam protestatus fuit. Et ineunte tandem Januario sequentis anni 1791, querelam exposuit in Curia Valentiensi de nullitate Ordinis Subdiaconatus; conditoque processu, per sententiam declaravit Ordinarius, *Giuseppe Bartolomeo Claudio Monicault Suddiacono di questa Diocesi esser ben fondato a ricorrere al Nostro*

S. P.

S. P. il Papa per fare annichilare, e dichiarare nulli li legami da lui contratti per il Suddiaconato, ed esser reso alla sua libertà naturale, atteso che ha fatto tutto ciò che era in lui per non esser promosso al Suddiaconato, la sua timidità a noi cognita non avendogli lasciata altra via per resistere alla volontà de suoi parenti risentiti, ed assoluti in ciò che volevano, di quella della sua protesta. Pontificium hinc Solium adiit Subdiaconus, & delegata ad Sacram hanc Congregationem Causa, confirmavit Ordinarius exposita in sententia.

Licet quæratur per infrascripta Dubia de obligatione ad votum continentiæ, vel ejus dispensatione, quæ validitatem supponunt Subdiaconatus, præ omnibus tamen tuetur Orator ejusdem Ordinis nullitatem ex defectu suæ intentionis, pro forma requisitæ a *Concilio Florentino in Decret. Eugen. IV. ad Armen.* Haud sane constat de actuali intentionis defectu, de tempore scilicet ordinationis; sed habitualem probant judiciales Testes, qui de præcedenti deponunt, constantique Oratoris aversatione a statu ecclesiastico, & solemnis protestatio 17. Martii 1789., in qua accepturum se declaravit meticulosus juvenis Subdiaconatum timore parentum, & patrui. Satis autem ad nullitatem ordinis videri posset habitualis intentionis defectus, ut habitualis sufficit intentio ad validitatem, per *Text. in cap. majores de baptism.*, *Leuren. quæst.* 496. *num.* 1. *lib.* 1. *tit.* 11., *Gobat. tom.* 1. *tract.* 1. *numer.* 245. Potissimum quia concepta fuit Subdiaconi protestatio per verba de futuro, sustulitque propterea consensum a sequenti ordinationis actu, *Mascard. de probat. conclus.* 1248. *num.* 28. *& seqq.*

At posita etiam Subdiaconatus validitate, haud tamen juxta primum Dubium teneri contendit Orator ad votum continentiæ, aliaque onera Ordini adnexa. Rem sane in ejus casu non esse fatetur de coactione absoluta, seu vi exteriore, quæ characterem impedit, ejusque effectus, *cit. cap. majores* §. *Item quæritur de baptism.*, sed de causativa ex interiori metu, qui aliquam relinquit voluntatem ex *can. merito* 15. *quæst.* 1., *gloss. in cit. cap. majores* §. *item quæritur*, *verb. conditionaliter*; Ordinemque idcirco non irritat, *can. de Judeis dist.* 45. Haud tamen ob causativam hanc coactionem teneri ait ad continentiam, aliaque Ordinis onera. Magna siquidem in id contentio erat inter

Theologos, & Canonistas, tutiusque primum censuit *Sacra Rota* Summum adire Pontificem pro dispensatione *in Valentina Ordinis Subdiaconatus coram Cæsar. de Grass. decis.* 1. *tit. de his, quæ vi, metusve causa fiunt, relata inter decis. divers. part.* 1. *decis.* 560., sed mutata deinde sententia, statuit *in seq. decis.* 561. *divers.*, iterumque *in decis.* 870. *cor. Emerix jun.*, ordinatum ex coactione causativa ad continentiam non teneri. Idque arrisit etiam *Fagnano in cap. majores num.* 105. *& seqq. de baptism.*, *Anaclet. in jus canon. lib.* 1. *tit.* 40. §. 6. *num.* 58., *Benedict. XIV. in instruct. pro Cophtis in ejus Bullar. tom.* 1. *Constit.* 129. §. 21., *& Sac. Congregat. in Namurcen. Dispensationis* 10. *Martii* 1731., *& in Gratianopolitana* 3. *Julii* 1762.

Probat autem Orator causativam coactionem ex actibus antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus. Nedum sane ordinationem præcesserunt assiduæ patris, matris, & patrui instigationes, sed iteratæ etiam minæ, quæ gravem in filium, & nepotem inducunt metum, *Text. in cap. cum dilectus de his, quæ vi, metusve caus.*, *Pignatell. consult.* 77. *num.* 4. *tom.* 7. Eoque magis, quia erat patruus *risolutissimo, vivo, e violento*, ac minabatur nepoti, quod nisi ei obtemperasset, *sarebbe saltato per la fenestra*; alteraque ex parte nepos *dolce, ed estremamente timido*, ut inter judiciales Testes deponunt *primus, secundus, sextus, & septimus*. In his enim circumstantiis assumptus censetur Subdiaconatus terrore, & metu, ex animadversis per *Mascard. de probat. conclu.* 1056. *num.* 7.. Conquestiones accedunt meticulosi juvenis, de quibus *primus, secundus, tertius, & quintus* Testis; metumque confirmant, *Rot. in recent. decis.* 211. *num.* 1. *& seqq. part.* 13., *& cor. Emerix. jun. decis.* 870. *num.* 9. Tempore item ordinationi proximo protestatus fuit, *come la promessa, che ha fatto*, erat *l'effetto della violenza e della persecuzione*; sibique reservavit *di farsi rilevare per le vie canoniche a tempo, e luogo contro la sua ammissione al Suddiaconato*, & continue lamentabatur, ac lugebat; quod coactam ostendit assumptionem Ordinis, ex deductis *in citata decis.* 870. *numer.* 12. *coram Emerix. juniore*. Et post acceptum denique Subdiaconatum, non habuit se pro Subdiacono; ministrare noluit in Ordine, una excepta vice ex imperio patrui; iterumque de

coacta professatus ordinatione, nullitatis querelam detulit ad Judicem. Ex his autem omnibus simul sumptis dubitandum non esse concludit Subdiaconus, quin Ordinem acceperit ex metu, qui ex probatis obligationem continentiæ, aliorumque onerum non inducit.

Nisi vero solvendus sit a voto ceterisque Subdiaconatus oneribus ex capite nullitatis, quæ rendum secundo, num solvi debeat per dispensationem. Justam sane hujusce dispensationis causam præbet causativa ordinati coactio, ut dixit *Rot. in cit. decis.* 1. *coram de Grass. tit. de his, quæ vi metusve caus. num. ultim.*, & decrevit Sacra hæc Congregatio *in Ipren. Dispensationis* 16. *Decembris* 1719., *in Parisien. Dispensationis* 12. *Julii* 1721., *in Posnanien.* 11. *Maii* 1782. *ad II. Dub.*, *& in Biterren. Ordinis Subdiaconatus* 21. *Augusti* 1790. *ad II. Dub.*. Potissimum ubi agitur juxta propositum casum de juvene, in quo timeri potest incontinentia, *Corradin. in prax. dispensat. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 27., *& seqq.*, *Card. de Luc. de matrim. disc.* 9. *num.* 5., *Ursaya discept. eccles.* 12. *num.*19., *& seqq. tom.*1. *part.*1.

Exploratum contra ait Defensor Ordinis valorem Subdiaconatus ex exteriore serioque exercita accipientis actione. Idque in terminis probat Baptismi ex *Concilio Tolentano IV.*, *epistola* 8. *Adriani I.*, *cap. majoris de baptism.*, *S. Augustino lib.*1. *contra Donatistas cap.* 12., & 53., *& S. Thoma in* 4. *sentent. distinct.*6. *quæst.* 1. *artic.*2. *quæstiunc.*3., & in terminis velamenti Sanctimonialium ex *can. quod interrogasti* 6. *dist.* 27.; *can. viduas* 2. *caus.* 27. *quæst.*1., *cap.*4. *de Regular.*, *& transeunt. ad Relig.*, *Fagnan. in cap. si quis de Regul. num.*47. Ad relaxandum vero continentiæ votum, aliaque adnexa onera sive per declarationem nullitatis ex coactione causativa, sive per dispensationem, concludentes requirit probationes metus cadentis in costantem virum, per *Text. in cap. ed audientiam*, *& cap. cum dilectus*, *de his, quæ vi metusve caus.*, *& in Rot. in Romana Nullitatis Voti* 14. *Januarii* 1754. §. 5. *cor. Vicecomite*; & quidem ad finem cogendi invitum ad Ordines, & de præciso ordinationis tempore, secundum *Barbos. vot. decis.* 127. *num.* 12. *lib.* 3., *Piton. discept. ecclesiast.* 32. *num.* 6. & 8, *Rot. in d. Romana Nullitatis Voti* §. 6..

Procul autem fuisse censet hujusmodi metum a Subdiacono Josepho ; quum ejus pater consuluisse tantum affirmet statum ecclesiasticum filio , cujus repugnantiam ignorabat ; seque patruus ob suum prætermissum examen purgare non potuerit ab assertis minis , quas ei imputabant Testes , qui nec ipsi per interrogatoria purgati fuerunt . Illudque potissimum urget , quod longe a parentibus , & patruo Subdiaconatum accepit Orator , ideoque timuisse non censetur absentes , ut ad rem ponderant *Pignatell. consult.* 181. *num.* 4. 8. , & 21. *tom.* 9. , *Piton. cit. discept.* 32. *num.* 2. *Sperell. dec.*80. *num.* 12. , & *Rot. in dict. Romana Nullitatis Voti* §. 7. & 16. Antecedentem vero negligit Oratoris protestationem ob intervallum dierum undecim ad ordinationem ; nam mutasse censetur intentionem per contrarium accepti Ordinis actum , *Sperell. decis.* 79. *n.* 56. , *Rot. cor. Molin. decis.* 798. *num.* 37. , *& seq.* Multoque minus attendendam affirmat subsequentem , utpote emissam post annum ab ordinatione , & postquam semel Orator ministraverat in Ordine, licet imperio patrui , cui præ sua meticulosa natura resistere non potuit . Atque in his , & gravioribus etiam circumstantiis denegatam fuisse monet ab hac Sacr. Congregatione dispensationem super voto continentiæ in *Aretina Dispensationis* 17. *Februarii* 1731 , *in Constantien. Dispensationis* 22. *Maii* 1734. , *in Bisuntina Dispensationis* 17. *Junii* 1752. & 3. *Aprilis* 1756. , *& in Osnabrugen. Dispensationis* 14. *Decembris* 1765.

Doliberare igitur dignentur Emi Patres .

I. *An Orator teneatur ad votum continentiæ , & ad alia onera Subdiaconatui adnexa in casu &c.*

Et quatenus affirmative .

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Ad I. Affirmative .
Ad II. Negative .

ASTEN. TRANSLATIONIS MISSÆ. Jacobus de Gentis, Archidiaconus olim Cathedralis Ecclesiæ Astensis, reparavit sæculo XV. Sacram Baptisterii Ædiculam, quæ sub titulo S. Jo. Baptistæ continenter fere a parte boreali adjacet Cathedrali; obtinuitque anno 1479. a *Xisto* IV. unionem duplici Beneficii, quod possidebat, massæ communi distributionum Capituli, imposito Canonicis onere antelucani Sacri in reparata Ecclesia, in qua sepultus est, *pro suæ, & progenitorum suorum Animarum salute*. Sacrum hoc, quod agebatur primum a Canonicis, & Capellanis beneficiatis per turnum, assumptum deinde fuit a Capellanis duodecim junioribus. Horum tempore plura in ea Ecclesia erant incommoda; nimius scilicet ex novis undique excitatis ædificiis mador; molesta ex proximo cæmeterio graveolentia, de quibus tres testabantur Medici; & hæc alia testimonio Parochi Cathedralis graviora: *In primo enim aditu, utpote obliquo & oblongo, tales fœditates circumfluunt, quæ oculos, nares, stomachum movent; in reliquis existunt semitæ tenebricosæ circumvolutæ, variis fornicibus & tabulatis coopertæ, atque ad omnis generis iniquitates perpetrandas ita idoneæ, ut illic sæpe viderim eas circumvolitare personas, quæ lucem oderunt, & fugiunt; ac præsertim otiosas, & impudicas mulieres, a quibus multas obscœnas, & horrendas turpitudines perpetratas certissime scio, & quidem prope dictam Ecclesiam. Insuper prætextu eundi ad eamdem ad audiendam Missam summo mane, juventutem libidinosam diversi sexus paternam custodiam fugere, & interim ardenti & inhonesto amore sese provocare; unde melius esset, ut in iis angulis tam segregatis Ecclesia non existeret.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Hisce de causis impetrarunt Capellani die 2. Decembris 1780. ab hac Sac. Congregatione translationem antelucanæ Missæ ad Altare S. Joannis Baptistæ Ecclesiæ Cathedralis ad *quator menses hiemales tantum* (asseritur ad menses sex) Actum hinc ad instantiam Capituli de uniendo hujusce Missæ onere alteri ex Capellaniis sub titulo SS. Petri, & Pauli, ac de uniendo etiam Capellaniæ S. Ambrosii legato Missæ meridianæ, relicto a Joanne Maria Guttuario Ecclesiæ Cathedrali; & ad Dubium = *An, & quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum* = Sacra Congregatio rescripsit die 1. Aprilis 1786. = *Affirmative juxta votum Eminentissimi Rela-*

Relatoris (Gerdil] *facto verbo cum Sanctissimo* = approbavitque *Sanctissimus* resolutionem . Disserebat Eminentissimus Relator de æquitate , & modo unionis . Iisdem modo rationibus , ex quibus obtinuerunt Capellani translationem Missæ antelucanę *ad quatuor menses hiemales tantum* , eam ad reliquum anni tempus extendi postulat Sacerdos Carolus Franciscus Bossola hodiernus possessor Capellaniæ SS. Petri , & Pauli ; paucisque anteactas complectens informationes , instantiæ favet Astensis Episcopus . Refert enim , quod *excitatis circumquaque ædificiis , & præcipue cœmeterii vicinia , cujus terrę moles , continuo excrescentis , muris superimponitur , adeo humida , & graveolens evasit , ut jam ab anno* 1760. *decessor meus Episcopus Sanmartino eam a Divino cultu subtrahere in prima sua Visitatione molitus fuerit : quod in causa fuit , cur Capitulum non exigua pecuniæ vi ejusdem curationi , & restaurationi incubuerit ; perperam tamen .*

Addit immo , quod *incommoda hactenus descripta imminuta non sunt , quæque gravia inter plures divisa videbantur , uni imposita , importabilia evaserunt . Argumento sit , quod supellectilia , tabe detrita , extra usum brevi redduntur ; & quod magis est , aqua in Fonte baptismali corrumpitur , ut illam mutare opus sit .* Insuperque testatur , *Fideles horæ dimidium in Cathedrali insumere potius alterius Missæ expectandæ gratia , quam ad prædictam Ecclesiam accedant ; & semitenebrosam horam , variasque latebras , quibus claustra , quæ eamdem circumdant , scatent , furtis , aliisque actibus , quia luce redarguuntur , opportunitatem pandere .* Atque ita concludit : *Quamobrem quum nulla suppetat causa , cur majori Ecclesiæ servitium adimatur , ut in dependenti non sine incommodorum periculo perseveret , Capituli a me auditi suffragiis concurrentibus , ut Oratorem , meque ipsum novo etiam hoc nomine devinciatis , majorem in modum , & vehementer rogo .* Hac autem cognita informatione , retractat Decanus Capituli appositum *nihil transeat* , satisque conscientiæ suæ fecisse profitetur .

Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 6. de Reform.* ait = *in commutationibus ultimarum voluntatum quæ nonnisi ex justa & necessaria causa fieri debent , Episcopi &c.* Ideoque ad concedendam Missarum translationem nedum justa & rationabilis requiritur causa ,

ut

ut *in Forosempronien.* 4. *Maii* 1771., sed talis etiam esse debet, ut necessitatem quodammodo inducat, *Piton. de controv. patron. alleg.* 50. *num.* 1. & *seqq.* Causam hanc impugnabant, qui Capellanorum instantiæ suppresso nomine adversabantur anno 1780., eorumque animadversiones obesse possent Capellano oratori, ut intra limites saltem tunc concessæ translationis contineatur. Inficiabantur porro madorem Ecclesiæ S. Jo. Baptistæ, ejusque ambientis æris insalubritatem ex hoc potissimum, quod celebratum in ea fuisset Sacrum a sæculo XV., & nonnullæ ibi explerentur parochiales functiones; ideoque ob falsum Capellanorum suppositum denegandam contendebant translationem Missæ, ex decretis Sacræ Congregationis *in Romana Translationis oneris Missarum* 28. *Julii* 1731., *in Neapolitana Commutationis Voluntatis* 7. *Februarii* 1733., & *in Panormitana Translationis Oneris Missarum* 26. *Septembris* 1739. Urgebant insuper commoditatem Populi, ob quam reparator Ecclesiæ institui in ea curavit antelucanam Missam; majorem ejusdem Ecclesiæ volitum cultum, ibique existens reparatoris sepulcrum. Quemadmodum enim translationem impedit Missæ incommodum Populi, *Pax Jordan. var. resolut. tom.* 1. *leg.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Missæ num.* 540., & *Sacra Congregatio in Lucana* 28. *Julii* 1781., & *in Firmana* 3. *Augusti* 1782., ita cultus imminutio, ut *in Casalen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1787. & Fundatoris sepulcrum in designata Ecclesia, ut *in Novarien. Translationis*, & *Reductionis Missarum* 25. *elapsi Januarii.*

Despicienda tamen non sunt quæ notabat Parochus Cathedralis, & observat modo Episcopus de incommodis Ecclesiæ S. Jo. Baptistæ, gravibusque scandalis occasione Missæ antelucanæ. Ex incommodis enim concessit Sac. Congregatio Missarum translationem *in Urbinaten. Translationis Missarum* 15. *Decembris* 1787., ex scandalis, licet ex leviori litium causa provenientibus, *in Bugellen. Translationis Onerum* 19. *Septembris* 1789. Levis præterea esset immutatio loci celebrationis ob propinquitatem Ecclesiæ Cathedralis; idemque esset cultus S. Joannis Baptistæ ad ejus Altare, in illa etiam erectum; quodque magis urgere videtur, idem Fundatoris suffragium sive in una, sive

in

in altera Ecclesia, *Pasqualig. de Sacrif. Nov. leg. quæst.* 1149. *num.* 9. & *Sac. Congregatio in Uxentina* 13. *Januarii* 1748. Per tria quidem celebratum fuit sæcula in propria S. Joannis Baptistæ Ædicula; sed supervenit mador ex novis undique excitatis ædificiis. Quæ autem in eadem Ædicula fieri consuevissent parochiales functiones, & qui in ea convenire, testabatur Parochus de anno 1780. in hæc verba: *Attestor, functiones parochiales, exceptis baptismalibus, fere semper celebrari in Cathedrali, & erroneam esse assertionem, in Ecclesia S. Joannis continuo celebrari functiones parochiales, quæ omnes revocantur ad istas, nempe ad duas benedictiones Fontis baptismalis, & ad rarissimas exequias, quæ tunc solummodo in dicta Ecclesia peraguntur, quando* [*quod ad summum quinquies ad annum contingit*] *in eadem celebranda est Missa de requiem præsente cadavere, ad quam, exceptis cantoribus, ad id specialiter infra Urbem quæsitis, & mercede conductis, nonnisi una vel altera Mulierecula intervenit, ob varias multasque loci inopportunitates, & incommoda.*

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus translationi Missæ in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA DOTIUM. Reliquit olim Bartholomæus Lupardi Archiconfraternitati Sac. Stigmatum Urbis Loca 53. Montium, & domum cum onere distribuendi quotannis dotes tres scutorum 50. pro qualibet inter pauperes puellas romanas, *le quali vogliono monacarsi dentro le sessanta miglia attorno Roma, comprendendovi ancora Assisi, Foligno, e suo Territorio*; rogavitque Sodales, ut præferrent semper *le altre figliuole, e discendenti dalla Signora Olimpia Lupardi Mangeri mia Moglie, purchè nel resto si osservi le altre condizioni prescritte nelle Zitelle estranee, non escludendo da questa prelazione le figlie della Signora Violante Brondi ex sorore.* Aliæ autem ex illius con-

san-

sanguineis hujusmodi subsidiorum cumulos pro spiritualibus, aliæ pro carnalibus impetrarunt nuptiis. Angela siquidem, ejusque tres sorores Lupardi obtinuerunt anno 1726. a Benedicto XIII. scuta 500. pro qualibet, sive in Domino, sive in sæculo nuberent. Angela Bellandi scuta 600. anno 1760., & scuta 750. Maria Livia Mattei anno 1768. a Clemente XIII. pro statu monastico. Ab eodem Pontifice de anno 1770. scuta 500. pro qualibet Maria Laura, & Maria Magdalena Bozzolaschi pro utroque statu, congruamque dotem spiritualem Lucretia Mattei. Et anno tandem 1774. tria pro qualibet subsidia dotalia Barbara, aliæque Sorores Calsamiglia pro temporali etiam statu.

Hæc sectantes exempla, *Sanctissimo* nuper supplicarunt Maria Barbara, & Maria Metildes sorores Paparozzi, quæ descendunt a Cintia Lupardi Testatoris sorore, pro congrua cujusque dote ad nuptias quoque temporales, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, admittit Eminentissimus D. Cardinalis Corsini, Vicarius Urbis, & Archiconfraternitatis Protector, probatam ceteroquin paupertatem, & consanguinitatem Oratricum: difficultatem legati in solo casu nuptiarum spiritualium relicti evanescere ait, *semel ac subsidia hæc indulta fuerunt aliis consanguineis, etiam pro nuptiis temporalibus*: suumque votum in hæc aperit verba = *Hinc est, quod indulgeri meo sensu possent unicuique ex Oratricibus præfata subsidia dotalia usque ad summam scutorum tercentum ad effectum nubendi sive in Domino, sive in sæculo. Fortius, quia Præses, & Moderatores præfatæ Archiconfraternitatis pro hac summa conveniunt* = & hac potissimum ratione conveniunt, quod summa scutorum 300. *par troppo conveniente alle Figlie di un Sostituto di Notaro.*

Nedum Oratricibus obstat Testatoris voluntas de conferendis dotibus pro nuptiis tantum spiritualibus, sed designatio etiam certi generis puellarum, quibus ille prælationem concessit, filiarum nempe & descendentium Olimpiæ Lupardi Mangeri ejus uxoris, ac Violantis Brondi. Inclusio enim determinati generis, quodlibet aliud personarum genus excludit, *cap.* 10. *de decim.*, *Fagnan. in lib.* 1. *decretal. cap. ex parte num.* 13. *de arbitr.*, & sic exclusæ in nostro themate vi-

dentur Oratrices, quæ juxta exhibitum schema genealogicum, neque ab Olimpia, neque a Violante, sed a Cintia Lupardi Testatoris sorore descendunt. Eis quidem favere possent similium dotationum exempla: sed quæ subsidia obtinuerunt, ex alterutro forsan erant vocatarum genere, non simplices consanguineæ, ut Oratrices.

Res contra est de puellis consanguineis, quæ unum, eumque pauperem habent superstitem patrem; nec facile idcirco absque flagitatis subsidiis proprium in claustro, vel sæculo assumere valent statum, quem congrua exigit ipsarum ætas, quum altera sit annorum 19., altera annorum 16. In similibus porro terminis indulgens fuit Sacra hæc Congregatio *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718., *in Senogallien. Subsidiorum Dotalium* 11. *Junii* 1774., *& in Romana Subsidiorum Dotalium* 17. *Augusti elapsi anni* 1793. Nulla insuper cum Oratricibus concurrit puella de genere vocato; eisque favent Præses, Moderatores, & Eminentissimus ipse Protector Archiconfraternitatis, quorum interest recta subsidiorum distributio. Si hæc autem omnia Vestram merentur clementiam, deliberandum insuper de quantitate subsidii. Congruam Moderatores, & Eminentissimus Protector arbitrantur dotem scutorum 300. pro qualibet; longeque majora aliis Testatoris consanguineis concessa fuerunt subsidia, ut notatum est in facto.

Decernere igitur dignentur Eminentissimi Patres.

An, & in qua summa sint concedenda subsidia dotalia Mariæ Barbaræ, & Mariæ Metildi Paparozzi in casu &c.

Affirmative juxta votum Eminentissimi Protectoris.

Sess.24.cap.12 de Reform.

NULLIUS GUASTALLÆ CANONICATUS. Persius Caracci Larinensis olim Episcopus fundavit anno 1665. in Cathedrali Ecclesia Guastallæ Primicerianum cum præbenda Guastallensium scutorum 200., seu

seu 67. 20. monetæ romanæ, binosque Canonicatus cum præbenda scutorum 125. ejusdem localis monetæ, seu 41. romanæ pro quolibet. Eos vocavit ad Canonicatus, *qui ad minus clericali charactere insigniti, & in decimo quarto ætatis anno constituti sint, & quum ad ætatem legitimam pervenerint, ad omnes etiam Sacros Ordines, & Presbyteratum se promoveri facere teneantur*. Canonicis ipsis, & Primicerio præscripsit *horis diurnis, & nocturnis, & omnibus aliis officiis Divinis, processionibus, & aliis actibus capitularibus interesse*. Activum juspatronatus sibi suisque reservavit heredibus, passivum *Clericis de sua familia Caracciorum Guastallæ*, & in subsidium, *de linea Caracciorum de Luzaria*; ac pro prima vice ad Primiceriatum præsentavit Sacerdotem Fulvium Rugerium ejus sobrinum, *attento, quod Petrus Franciscus Caraccius, Sacerdos, & ejus frater, propter senectutem non potest Choro, & Ecclesiæ inservire*.

Altero ex Canonicatibus sub elapsum annum vacato, ad eum Comes Philippus Caracci præsentavit Philippum Vincentium Sansilvestri ipsius nepotem, qui vix septimum expleverat annum; admisitque Vicarius Generalis Abbatialis hujusmodi præsentationem cum clausula *si & in quantum*. Supplicavit hinc Comes pro suspensione nominationis, & gratia administrandi Canonicatum quousque ille ad pubertatem perveniret; retulitque ad EE. Vestras Abbas Guastallæ, nullos, quoad sciret, de passive vocatis existere, qualitatibus fundationis præditos; iisque omnibus puerulum etiam Sansilvestri carere, ita ut non auderet assentiri *indulto, utpote contrario & voluntati Fundatoris, & bono Ecclesiæ, & voto Capituli*.

Voluntas, inquit, *præcipua Fundatoris est, præsentatos horis canonicis quotidie interesse debere Capitulo, Ecclesiæ, & Choro; quæ adeo vera sunt, ut ipsemet Fundator in præsentatione ab eodem emissa in fundatione nominaverit Sacerdotem extraneum ad exclusionem proprii fratris Petri Francisci Sacerdotis, ea motus ratione = quod propter senectutem non potest Choro, & Ecclesiæ inservire = Immo propterea inficias ire non poterit, Fundatorem eumdem, si adhuc in humanis existeret, non permissurum, Canonicatum, de quo agitur, per tot annos remanere vacuum cum magno Ec-*

clesiæ , & Capituli prœjudicio ; hisce præsertim temporibus , in quibus plures ex Canonicis , quorum alii propter senectutem , alii denique solo clericali charactere insigniti sunt , nequeunt Altari inservire , functionesque ecclesiasticas peragere . Quæ omnia animadvertentes Canonici , & Capitulares congregati in comitiis generalibus votum ediderunt per secreta suffragia , nemine prorsus dissentiente , contrarium petitioni , de qua in precibus , cui , ut humillimam meam proferam sententiam , non possum non adhærere , quum illud ex præmissis & rationi , & veritati admodum consentaneum existimem .

Mutato hinc consilio , institit Orator pro dispensatione saltem ætatis ; sed auditi in id Datariæ Apostolicæ Ministri , Capituli & Ordinarii voto adhæserunt . Faciles enim , frequentesque in simplicibus Beneficiis dicunt dispensationes ætatis pro consanguineis , passive vocatis , & quandoque etiam infantibus ; haud ita vero in residentialibus , in quibus raro , & non resistente fundatione elargiri consueverunt ; ut *in Monasterien. & Osnabrugen. Canonicatuum 7. Aprilis* 1753. , *& in Alexandrina Dispensationis 1. Aprilis* 1786. In casu autem nostro agi inquiunt de Canonicatu residentiali , a quo Fundator exclusit impuberes , dum vocavit Clericos in decimo quarto saltem ætatis anno constitutos ; nec unquam Summum Pontificem solere *qualitatibus & conditionibus adjectis in fundatione , utendo sua suprema potestate contraire* , ut ait *Rota cor. Ansald. decis. 366. num. 21.*

Quædam Orator super abbatiali observat informatione ; quædam alia exponit , quæ Vestram favore pueruli nepotis (qui jam a mense Decembris elapsi anni initiatus est Tonsura) mereri possent indulgentiam , vel pro dispensatione ætatis , vel pro administratione Canonicatus . Ex ipsa porro fundatione suppositum illud excludit , quod initio *Fundator nominaverit Sacerdotem extraneum ad exclusionem proprii Fratris* , qui non poterat ob senectutem *Choro , & Ecclesiæ inservire* . Reipsa enim nominavit *Fulvium Rugerium ejus sobrinum* (sed eum fortasse Abbas dixit extraneum , utpote extra genus vocatum familiæ de Caraccis) . Asserit rursus Orator , nullum immo per dispensationem , de qua agitur , vel leve incommodum afferri Capitulo , quod

quod ex viginti constat Canonicis, licet duo inter eos ob senectutem interesse nequeant Choro; nam qui simplices existunt Clerici, vel habiles sunt ex fundationibus, vel fieri valent tales auctoritate Abbatis. Et hac de causa negligendum censet ejusdem Capituli dissensum, veluti irrationabile, per *Text. in cap. ad audientiam in fin. de Eccles. ædificand.*, *Barbos. de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 83. *num.* 6., *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 10., & Sacra hæc Congregatio *in Auximana Dispensationis* 21. *Junii* 1766. Ut procliviores vero sint Emi Patres ad flagitatam gratiam, notandum rogat, rem esse de puero nobili, & paupere, qui nullum habet contradictorem de familia Caracci vocata; & licet ipse de eadem non sit familia, consanguineus tamen est Fundatoris. Ideoque ex verisimili ipsius Fundatoris mente nihil vetare ait, ut derogetur fundationi, in qua aliter Fundator, si viveret, favore pueruli consanguinei in defectum agnatorum disponeret. Ex verisimili enim Fundatoris mente derogatur ejus voluntati in Beneficiis etiam actu Sacerdotalibus, *Rebuff. in prax. benefic. part.* 3. *verb. nec non jurispatronatus num.* 72., *Piton. de controv. patron. allegat.* 17. *num.* 15. Pluraque de pueris affert dispensationum exempla *in Imolen. Beneficii* 23. *Maii* 1722., *in Barchinonen. Dispensationis* 30. *Januarii* 1740., *in Asculana Capellaniarum super Dispensatione* 22. *Augusti* 1759., *& in Cornetana* 17. *Junii* 1775.

At ne petita concedatur dispensatio, expressa obstat Juris canonici dispositio, expressa Fondatoris voluntas. Dispositio quidem Juris; quia de Canonicatu agitur Ecclesiæ Cathedralis, in qua monstruosum esset, puerulum inter spectatos viros enumerare, ad *Text. in cap. super inordinata* 35. *de præben.*, *& decret. Sacræ Congregationis in Aretina Canonicatus* 18. *Martii* 1775., cui non obstant resolutiones, per Oratorem citatæ, utpote loquentes de Capellaniis, vel simplicibus Beneficiis. Voluntas vero Fundatoris, quia legem dixit de nominandis familiæ suæ Clericis, *qui ad minus in decimo quarto ætatis anno constituti sint*, multoque magis hanc saltem ætatem voluisse censetur in simplicibus, nec vocatis consanguineis. Expressæ autem derogari non solet voluntati, ut probant Ministri Datariæ, nisi concurrat (quod a nostro abest casu) *vel ne-*

necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, vel maxima personæ prærogativa, ut in hæc verba monet *Sperell. decis.* 109. *num.* 25. Adeo immo sollicitus fuit Episcopus Caraccius de Canonicorum habilitate ad interessendum *horis diurnis & nocturnis, & omnibus aliis offic[illegible] Divinis, processionibus, & aliis actibus capitularibus*, ut in primum Primicerium, qui eadem gravabatur interessentia, proprium nominare noluerit germanum Fratrem, eo quod non posset ob senectutem *Choro, & Ecclesiæ inservire*. Ex hoc sane inferri potest, multo magis negligere voluisse puerulum consanguineum, ad canonicale munus ineptum.

His fortasse cognitis difficultatibus proponit Orator administrationem Canonicatus: sed deliberare dignentur EE. Vestræ, num administrari valeat Canonicatus Cathedralis, & vacuus esse queat donec perveniat puer ad legitimam ætatem, contra sententiam *Card. de Luc. de jurepatr. discurs.* 20. *num* 12., *& Fargn. eod. tract. part.* 2. *can.* 27. *cas.* 6. *num.* 4. Non desunt tamen exempla concessæ suspensionis, & administrationis Beneficii favore pauperis pueri consanguinei, ac præsertim *in Forolivien. Capellaniæ* 25. *Junii* 1791. *ad II. Dubium*.

Decernere igitur dignentur Emi Patres.

An sit locus dispensationi ætatis, seu potius suspensioni nominationis, & administrationi Canonicatus in casu &c.

Negative in omnibus.

*Scss.*22. *cap.*6. *& 11. de Reformat.*

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Hujus Causæ species est in Folio 25. elapsi Januarii. Eadem modo proponitur Causa ob tunc concessam dilationem Sodalibus S. Apolloniæ Urbis; & hæc summatim sunt, quæ isti deducunt. Ad *primum* sane Dubium super erogatione fructuum Locorum MM., quæ per industriam addita sunt pio operi, æquum censent, ut erogentur hujusmodi fructus in dotalia

sub

subsidia, ex quibus auctum est capitale, quum hujus naturam ex propria indole sequantur, *Rot. cor. Olivat. decis.* 180. *num.* 13., & *in Romana Dotis super Fructibus* 20. *Januarii* 1751. §. *fin. coram Matthæjo*. Ac rationi pariter consentaneum dicunt, ut ex illis detrahantur expensæ Sodalitii, eo quod ad rectam pii operis administrationem necessarium est Sodalitium, cui propriæ adnexæ sunt expensæ; & detrahatur etiam sumptus anniversariorum pro Sodalibus defunctis, quia ipsorum industria nova comparata sunt Loca MM.

Absurdam quo ad *secundum* non arbitrantur collationem dotium absque respectivis legibus fundationum, a quibus procedunt fructus additi capitalis; tum quia S. Pius V. statuit, ut si quid ex dotationibus superesset, expenderetur *in paramentis Altaris comparandis, aut aliis puellis nuptui tradendis, prout ipsis Confratribus utilius videretur* (quod ipsi interpretantur pro arbitraria facultate conferendi dotes sine legibus fundationum) tum quia aliquod meretur præmium eorum industria in augendo capitali; tum quia incertum est, ex quibus fundationibus novum investimentum procedat, incertæque propterea dotationis leges.

Ad *tertium* denique absolutionem implorant quo ad præteritum a censuris, quatenus ea indigere videantur.

His igitur perpensis, resumptoque Folio 25. Januarii, decernere dignentur EE. Vestræ.

I. *An, & quomodo sint erogandi fructus Locorum MM., de quibus agitur in casu &c.*

II. *An, & quomodo ex iisdem fructibus sint conferenda subsidia dotalia in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Affirmative in alia subsidia dotalia, redintegrato tamen prius ex capitali fundo legati Egidj, & deductis ex fructibus expensis Sodalitii pro administratione bonorum, nec non celebrato quotannis Anniversario pro Fundatoribus, & Benefactoribus.

Ad II. Affirmative juxta respectivas fundationes pro rata fructuum capitalium ad unumquodque legatum respective pertinentium.

Ad III. Affirmative.

ME-

Sas. 24. cap. 12. de Reform.

MEDIOLANEN. CANONICATUS. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Victoris oppidi Cannobii mediolanensis Diœcesis (quod constat modo ex Præposito, & Canonicis novem) supplicavit pro suspensione collationis decimi Canonicatus, nuper in mense Sanctæ Sedis vacati per obitum Josephi Vecelli, & applicatione ejus reditus usque ad extinctionem alieni æris, quod primum erat scutorum 1708. monetæ romanæ, diversis temporibus contracti super massa residentiali ad vindicandum jus decimandi; & hæc ad præscriptum retulit in prima informatione Mediolanensis Archiepiscopus. Primo; *nullibi reperitur fundatio Canonicatus, de quo agitur, atque illius institutio referenda censetur ad primævam Capituli erectionem, cujus antiquitas octavum æræ Christianæ sæculum superat, absque eo quod neque in archiepiscopali, neque in capitulari Tabulario reperiatur Diploma, vel quodvis aliud monumentum erectionis.* II.; *annui reditus Canonicatus prædicti non excedunt summam scutorum quadraginta duorum, & bononeorum tredecim cum dimidio monetæ romanæ, deductis deducendis oneribus, uti patet ex inserto prospectu* (summa nempe reditus residentialis desumpta ex calculo annorum 24., & reditus decimalis ex novennio) III.; *collatio ipsiusmet Canonicatus spectat ad S. Sedem, & ad Ordinarium habita ratione ad mensem vacationis respective.* IV., *æs alienum, quo in præsens gravatur Capitulum attingit summam scutorum mille septingentorum, & octo monetæ romanæ.* V., *debitum hujusmodi apparet contractum diversis temporibus cum facultatibus vigore indulti Apostolici ab hac Archiepiscopali Curia expeditis decreto die 27. Septembris 1784., item 14. Decembris 1785., item 23. Septembris 1786., item 30. Januarii 1787., in totum pro summa librarum 5200. monetæ taurinensis, & pro reliquis usque ad summam prædictorum scutorum 1708. absque facultatibus in scriptis; idque necessitate urgente, & cum protestatione pro parte Capituli de edocenda quamprimum Archiepiscopali hac Curia de prædicta necessitate non minus, quam de legitima conversione.*

Sexto; *impotentia Capituli extinguendi æris alieni prædicti patet ex ipso prospectu, de quo supra, ex quo constat item, adeo tenues reditus existere, ut Præpositus,*

& Ca-

& Canonici pro tempore , omnibus Divinis officiis interessentes , sustentari vix possint . VII. , *audito Capitulo super expositis , aperuit sensum suum* (pro suspensione) *per capitularem ordinationem* . VIII. , *tres ex Canonicis aperte dissentiunt a suspensione* . IX. , *nonnulli ex primoribus Oppidanis rumore moti suspensionis per Capitulum petitæ , præces ad me miserunt , quibus petunt , ne hujusmodi supensio deducatur ad effectum* . X. , *Capitulum asserit , nullum aliud adesse medium minus onerosum ad dimittendum æs alienum , idque sibi causæ fuisse , cur peteret suspensionem vacantis Canonicatus , veluti unicum remedium* . His autem præmissis , Vestræ remisit deliberationi , *quid de ipsamet suspensione expediat , quum interusuria æris alieni summam quotannis excedant reditum Canonicatui hujusmodi obvenientium* ; & a suo abstinet voto ; *quum ex una parte moveat me quam maxime Canonicorum conditio , qui ægre & vix sustentari possunt ex reditibus mensæ capitularis , multo uti supra alieno ære gravatæ; ex altera vero quum non videatur prorsus prætereundus* cum *dissensus trium ex Canonicis* , tum *querelæ plurium ex primoribus Oppidanis* .

Quum fieri interim potuisset Apostolica Canonicatus collatio , auditi idcirco fuerunt Ministri etiam Datariæ Apostolicæ , depositoque ex eorum relatione dubio , iterum ad rem magis illustrandam requisitus fuit Archiepiscopus , ut *audito denuo Capitulo , solitis & debitis formis intimando* referret *de ære alieno in specie , ejusque causa , & forma contractuum ; de annua quota deponenda assignata pro extinctione ; de peracto deposito quoad præteritum , & de vera impotentia quo ad futurum* . His omnibus Antistes ille per transmissa Capituli acta satisfecit , suamque sententiam ita in secunda informatione aperuit : *Voti essem , annuì posse precibus Canonicorum mediante suspensione provisionis præbendæ canonicalis in eodem Capitulo vacantis . . . ad annos ad minus viginti proxime futuros , onerato tamen Capitulo ad deponendam singulis annis ex decimarum fructibus , statim ac jus decimandi vindicaverit , quotam librarum saltem centum monetæ Pedemontis pro partiali extinctione æris alieni, causa litis ad jus decimarum conservandum contracti* . Ex actis autem Capituli

constat, Capitulares omnes (uno tantum absente) in hæc FE. Vestris exponenda ad impetrandam suspensionis gratiam convenisse. Primo nempe, quod novum priori accessit debitum, Superioris decreto probatum, ita ut integrum modo alienum æs scutorum sit 1960. monetæ romanæ. II. causam hujusce contracti æris alieni fuisse litem super jure decimandi. III. de eo constare ex syngraphis juxta legem Capituli. Et IV. demum, neque assignatam hactenus, neque depositam fuisse summam ullam pro illius extinctione, *essendo riuscito anche troppo importabile il pagamento degl' interessi, attesa la tenuissima rendita delle prebende, e molto più per il pagamento dovuto da dieci anni, e più delle decime delle Comunità litiganti, dal qual tempo se non si è lasciata sprovista di servizio la Chiesa, se n' è però sostenuto il carico a spese particolari degl' individui.*

Graves Capituli circumstantiæ applicationem suadere possent vacantis præbendæ. Vix enim Canonici ex annuo cujusque reditu scutorum 42.13. $\frac{1}{2}$ vivere queunt; imparesque propterea sunt dimittendo æri alieno scutorum 1960. justa de causa contracto: neque alia secundum ipsum Capitulum sunt media, minus applicatione præbendæ onerosa. Succurrendum ergo per hujusmodi applicationem videretur indigentiæ Capituli, ut *in Firmana Præbendæ 26. Martii 1791.*, in qua concesserunt EE. Vestræ *ad II. Dubium* vicennem similis præbendæ applicationem Capitulo oppidi S. Victoriæ in extinctionem æris alieni, pro fabrica Ecclesiæ contracti. Maxime quia parum in nostro themate per suspensionem vacantis Canonicatus detraheretur servitio Collegiatæ Cannobii, in qua novem alii cum Præposito sunt Canonici.

Diutius contra, quam censet Archiepiscopus, vacare deberet Canonicatus, si cum libellis etiam pedemontanis centum quotannis deponendis applicandi essent ejus reditus ad extinctionem alieni æris Capituli; quod facile permittendum non esse monent *Card. de Luc. de jurepatr. disc. 193. num. 2.*, *Fargn. eod. tract. part. 2. can. 27. cas. 6. num. 4.*. Neque enim annua scuta romana 42.13. $\frac{1}{2}$., quæ reddit Canonicatus, pro fructibus sufficerent passivi capitalis scutorum 1960., pro quibus ad taxam legalem scuta requiruntur 78. 40.. Annuum

vero

vero depositum libellarum centum Pedemontium, seu scutorum 20. monetæ romanæ in extinctionem sortis, non primum juxta votum Archiepiscopi incipere deberet, quam post vindicatàs decimas, nec primum, quam post centum alios annos finem consequeretur. Applicationi insuper canonicalis præbendæ primores contradicunt Oppidani, qui decimas solvunt pro integro Canonicorum antiquæ fundationis numero, & rationi consentaneum censent, ut qui commodum sentient decimarum, sentiant etiam de proprio incommodum expensarum litis, ob quam alienum æs contraxerunt. Quatenus tamen præ indigentia Oratorum annuere placeat illorum instantiæ, facilius extingui posset debitum per depositum integræ summæ exigendæ pro decimis a decem annis non solutis, & libellarum centum ex annuis decimis in posterum solvendis. Quæritur ergo.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro applicatione redituum vacantis Canonicatus, suspensa nominatione in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

BERGOMEN. IRREGULARITATIS. Ad Dubium, *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate*, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 23. Februarii elapsi anni 1793., *Negative*. Iterum modo Sacerdos homicida Joannes Baptista Piccinelli supplicat pro dispensatione; & hæc habet Bergomensis Episcopus: *Refero ex informationibus habitis, eumdem per quatuor annos & ultra post patratum homicidium semper, ut verum Sacerdotem decet, vixisse, atque non dubia externa signa veræ emendationis, & pœnitentiæ dedisse; sicuti de præsenti integerrime vivit, & constantis emendationis clara præbet argumenta. Nullum prorsus scandalum afferre potest in loco patrati delicti ejus habilitatio ad Sacrum faciendum, quum* *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

revera ex animo Incolæ loci illius exoptent absolutionem ejusdem Sacerdotis, ut tandem possit a miserrimo ejus statu exire. Quare sentio, preces prædicti Sacerdotis exaudiri posse.

Ex his igitur, & notatis in folio 19. Januarii supradicti anni 1793., in quo species est hujus Causæ, respondere placeat.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 21. Junii 1794. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MEDIOLANEN. CANONICATUS. *Sess. 24. capitul. 12. de Reformat.*

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro applicatione redituum vacantis Canonicatus, suspensa nominatione in casu &c.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta mentem.

BERGOMEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

CHIEN. MATRIMONII. Duo super hac Causa in Congregatione 15. Decembris 1792. proposita fuerunt Dubia; I. *an constet de matrimonio rato, & non consumato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro facultate emittendi professionem solemnem in manibus* *Sess. 24. can. 6. de Sacram. matrim., & cap. 1. de Reform. matrim.*

Episcopi, & extra Claustra in casu &c.; & quatenus negative ad secundam partem, II. *an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*; atque Eminentissimi Patres rescripserunt *negative ad utrumque*. Quum præcipua autem difficultas de non consumato fuerit matrimonio, probationes idcirco coadjuvare curavit Angela Timoni per processum additionalem, cujus hæc est summa. Alii quatuor Testes formiter examinati, sub juramento deponunt, assiduos se cum Michaele Ipriano sponso fuisse nuptiali die 15. Februarii 1769., seu duabus, vel tribus horis, quibus ille ante susceptam navigationem permansit Chii; ac nullos inter ipsum, & Angelam sponsam vidisse conjugalis familiaritatis actus, ita ut certi sint de non consumato tunc matrimonio. Medicus insuper, & intima Socia Angelæ ex certa pariter scientia, & de visu testantur, nunquam omnino Michaelem, postquam reversus fuit anno 1789. ad Chiensem Civitatem, ibique moratus est per mensem, vel domum adiisse sponsæ, vel alibi cum ea convenisse, aut convenire potuisse, quum neque e domo infirma mulier Sacri audiendi causa egrederetur. Idque testimonio suo confirmat Chiensis Episcopus; suoque iterato juramento Angela, cui septima accedit propinquorum manus.

Ex his, aliisque in primo processu deductis, nec leviter Defensor Angelæ dubitandum censet de negativa consumationis matrimonii coarctata tum ante discessum, cum post reditum viri; ideoque vel pro facultate annuendum emittendi professionem solemnem extra Claustra, vel pro dispensatione a matrimonio rato, & non consumato, juxta originaria Dubia. Paucis contra Defensor Matrimonii novas carpit probationes Angelæ; eaque ex jure hinc inde deducuntur, quæ notata fuerunt in Folio 15. Decembris 1792. Hoc igitur resumpto, deliberare dignentur EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis, constare de matrimonio rato, & non consumato; nec non consulendum Sanctissimo pro dispensatione.

PLA-

PLACENTINA COMMUTATIONIS, ET TRANSLATIONIS ONERUM. Sacerdos Franciscus de Villaggis heredem instituit die 6. Junii 1694. Franciscum Guarnieri suum ex sorore nepotem, substituitque per fideicommissum ejus filios, & descendentes masculos cum onere quotidiani Sacri, & Anniversarii Missarum duodecim in Collegiata Ecclesia Castri Arquati, ac facultate redimendi onus Missę quotidianæ per solutionem libellarum imperialium 8000., Anniversarium per libellas 600. In defectum vero masculinę lineæ Guarnieri vocavit Capitulum Collegiatæ cum onere imposito in anterioribus tabulis 13. Aprilis ejusdem anni, quod teneretur nempe *celebrare in perpetuo ogni mese un' officio da morto con sei Messe.* Fideicommissaria hereditas in libellis consistit 34000., seu scutis romanis 1789. 48., & ab octogenario possidetur Sacerdote Joanne Dominico Guarnieri Villaggi Collegiatæ Archipresbytero. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quum esset hic novissimus familiæ suę masculus, instituere decrevit in avitis ædibus Conservatorium pauperum puellarum, supplicavitque *Sanctissimo*, ut pręter sua, applicari sineret pio operi fideicommissaria bona de Villaggis, firmo remanente menstruo onere Missarum sex, & officii Defunctorum, Collegiatæ substitutę injuncto; ac die 21. Augusti 1787. *Sanctissimus attentis expositis, preces benigne remisit R. P. D. Episcopo Placentino cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis ad effectum exequendi pia vota Oratoris, & ejus prædefuncti fratris; ita tamen ut erectio novi Monasterii in Castro Arquato, & translatio introscriptarum religiosarum Mulierum ad prædictum novum Monasterium fiant, prævia irrevocabili dispositione Oratoris per actum inter vivos, cum iis conditionibus, & oneribus ab eodem Ordinario approbandis; & concordatis prius quo ad bona Sacerdotis Francisci Villaggi Canonicis Collegiatæ ejusdem Castri ad ea substitutis.*

Ob graves difficultates spem Canonici amiserant ad fideicommissariam successionem Villaggi, ac unum ipsis erat jus ad celebrationem Missarum sex, & Anniversarii. De hoc igitur actum redimendo jure: sed omni frustrato tractatu, iterum Archipresbyter Guarnieri, Summum adiit Pontificem, ut eas transferre dignaretur Missas, & Anniversarium ad Oratorium Conservatorii, jam sub titulo S. Nicolai Barensis extructum;

pre-

precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, perutile dixit Placentinus Episcopus pium opus ab Oratore designatum, *si vere perficietur*, & optandum etiam, *ut Missis ducentis sexaginta in Oratorio celebrandis* [ex altero legato) *tot aliæ accederent, ut nulla elie Mulieres ibi commoraturæ Sacro carerent*; sed petitæ translationi obsistere Capitulum, itaut spoliandum non videretur possessione celebrandi Anniversarium, & Missas in Collegiata. Quapropter die 16. Aprilis 1791. rejecta fuit Oratoris instantia per rescriptum *Lectum*.

Renovavit Archipresbyter preces nedum pro translatione Missarum, sed pro commutatione etiam Anniversarii in simplicem alteram Missam; & ad faciliorem reddendam gratiam, gravari ait Collegiatam prægrandi aliarum Missarum onere, ita ut pro omissa illarum celebratione impetrare debuerit compositiones a Rev. Fabrica S. Petri; desponditque, integram suam obligaturum hereditatem legato Villaggi, ne peti unquam posset illius reductio. Ad præscriptum autem secundo retulit Episcopus; *Capitulum adamussim satisfecisse, ac satisfacere oneribus, tum Missarum, tum Anniversariorum ad ipsum spectantibus, nec fuisse petitas compositiones per ipsum, nisi ex causis in illius epistola explicatis* (de qua epistola inferius) *Canonicos, ac Beneficiarios etiam propria respective onera communiter implere*; & *Capitulum etiam novis oneribus Missarum, & Anniversariorum a Sacerdote Villaggi statutis posse percommode satisfacere*. Commutationem reprobavit Anniversarii in Missam lectam, eo quod *pro Nocturni & Missæ solemnis cantu, juxta præsentem morem, distribuendi essent Canonicis, & Beneficiariis quolibet mense julii romani fere duodecim*. Compertum habere non potuisse inquit reditum fideicommissariæ hereditatis Villaggi, sed quod *firmato bonorum valore in summa libellarum nostratum saltem* 34000., *nempe scutorum monetæ romanæ* 1789. 48., *prout firmatus fuit consentientibus, tum Capitulo, tum Archipresbytero, annuus reditus minor esse nequit scutis quinquaginta quatuor*. Tentatusque denique fuit de sepulto cadavere Sacerdotis Villaggi in Ecclesia Collegiata.

In epistola, cujus meminit Episcopus, affirmant Canonici, integrum singulorum, & Capituli onus in annuis consistere Missis 5905., omnesque Collegiatæ Sacerdo-

tes

tes 25. celebrare quotannis posse Missas 9000. , & ultra ; nec alia de causa semel , ut asserunt , impetratam fuisse compositionem , quam ob tenuitatem eleemosynæ . Impugnant de cetero translationem Missarum , de quibus agitur , tum ob contrariam Testatoris voluntatem, cum ob impensas libellas circiter mille fideicommissariæ hereditatis causa,eorumque Successorum prejudicium . Altera ex parte in responsivo Folio, quod Antistes ipse cum epistola transmisit , asserit Archipresbyter, majorem Beneficiatorum partem distractam esse in aliis celebrandis Missis extra Collegiatam , memoratque compositiones sexdecim . His autem perpensis , rescripserunt EE. VV. die 20. Julii 1793. , *supplicet reportato Capituli consensu* ;

At omnia fuerunt irrita ; & persistente Capitulo in contradictione , tertio Archipresbyter supplicavit pro translatione Missarum , & commutatione Anniversarii, non in unam amplius Missam , sed arbitrio EE. Patrum ; misitque Episcopus animadversiones Capituli , quarum dabitur summa in exponendis contradicendi rationibus ; & hæc in novissima habuit informatione : *Omnia per Canonicos exposita attente legi , solidisque fundamentis , ac veritati nixa cognovi , ac propterea illorum dissensum improbare non possum ; præsertim quum incertum videatur , utrum excogitatum ab Oratore Gymnæceum , seu contubernium felicem exitum sit habiturum* . Instantiæ vero Archipresbyteri Regius favet Hispaniarum Infans Ferdinandus , piumque opus ab eo designatum commendat .

Ne concedatur translatio , suam Capitulum urget facultatem adimplendi onera omnia Missarum præ numero Sacerdotum ; tribuitque compositionem , eamque unicam cum Rev. Fabrica , tenuitati eleemosynæ , & celebrationem extra Collegiatam clandestinæ Beneficiatorum licentiæ . Damnosam insuper affirmat translationem Testatori ob privationem Anniversarii ; & Collegiatæ ob privationem lucri , quod licet tenue , insigne aliquid in fine anni cum similibus emolumentis constituit , tenuesque auget Capitularium distributiones . Et ponderandam denique rogat prædilectionem Testatoris erga Capitulum , quod in hereditate substituit , & tamen ea privatur ; & num æquum sit

transferre etiam Missas, & Anniversarium ab Ecclesia prædilecta, in qua sepultum est Testatoris cadaver, contra decreta Sacræ hujus Congregationis *in Neapolitana Capellaniarum* 26. *Junii* 1731., *in Tyburtina Celebrationis Missarum* 24. *Septembris* 1735. *ad II. Dub.*, & *in Verulana Translationis Missæ* 16. *Maii* 1789. Ex his justitiam resultare contendit dissensus, quem reprobare non posse scribit Episcopus.

Aliter vero Archipresbyter de commutatione Anniversarii, & translatione disserit Missarum. Anniversario utiliores censet Testatori plures Missas ab EE. Vestris præfiniendas; meritoque propterea commutandum esse pium illud opus in aliud melius, *ut in Camerinen. seu Fabrianen. Commutationis Voluntatis* 10. *Septembris* 1735. Potissimum quia levissimum inferretur præjudicium Capitulo; nam ex juliis duodecim, quos deberi ait Episcopus Canonicis, & Beneficiatis pro quolibet Anniversario, nec cuique obtingerent oboli quinque. Quo ad translationem vero notat, imposuisse Testatorem Capitulo onus celebrandi *in perpetuo ogni mese un' officio da morto con sei Messe*, absque designatione Ecclesiæ; ad differentiam priorum heredum, quibus aliarum Missarum celebrationem præscripsit in Collegiata. Atque hinc argumento sumpto a discretiva, cujus magna est virtus, *Rota in Ravennaten. Eonorum* 24. *Martii* 1760. §. 4. *coram Canilliac.*, facilius onus illud transferendum contendit ab Ecclesia, quam nisi Testator noluit, saltem præteriit.

Sepultum quidem est Testatoris cadaver in Collegiata; sed hoc evenisse observat Archipresbyter ex parochiali ejusdem Collegiatæ qualitate, non ex illius destinatione, dum sepulturam non elegit. Hæc duo tandem addit, quod unum nempe, idemque est Testatoris suffragium, sive in Collegiata, sive in Oratorio Conservatorii celebrentur Missæ, *Pasqualig. de Sacrific. Nov. leg. quæst.* 1149. *num.* 9., & *Sacra Congregatio in Asten. Translationis Missæ* 31. *elapsi Maii*; quodque postulatur in nostro themate translatio in publicum Conservatorii puellarum bonum, eamque impugnat Capitulum ex privato, tenuique interesse, quod fortasse impedimento non est, ne Sacra hæc Congregatio injuste denegatum suppleat con-

consensum, per *Text. in cap. ab audientiam in fin. de Eccles. ædificand.*

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus commutationi, & translationi onerum in casu &c.

Affirmative; commutato Anniversario in celebrationem duarum Missarum lectarum, sequuta tamen erectione Conservatorii.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Maurelius Biagini, Canonicus olim Collegiatæ Ecclesiæ S. Blasii Civitatis Centi, legavit anno 1709. annua scuta octoginta *da distribuirsi alli Signori Arciprete, e Canonici di essa Collegiata, che saranno però presenti, ed interverranno personalmente alli primi, e secondi Vesperi, Compiete, Laudi, Ore, Litanie, e Messa cantata di prima, e seconda classe &c. compresavi nelle medesime Feste la notte, e giorno del Natale del Nostro Signore Gesù*. Dimidium erogari jussit mobilium pretium in sacras Canonicorum, & Capituli suppellectiles, dimidium in fructiferum capitale pro illarum manutentione; mandavitque ut ex annuo reliquæ hereditatis reditu *si faccino celebrare in perpetuo dalli suoi Commissarj* (seu Executoribus testamentariis) *e loro successori tante Messe, quanto sarà il sopravanzo di tutta la detta entrata in ragione di bajocchi venti per ciascheduna Messa, a detti Signori Canonici, e Capitolo, e questa rispetto alla metà nella Chiesa delli Confratelli della SS. Croce di Cento all' Altare del SS. Crocefisso, e rispetto all' altra metà nella detta Chiesa Collegiata di S. Biagio di Cento all' Altare privilegiato, con applicarle tutte per l' Anima di detto Testatore, e de suoi Morti; dichiarando che dette Messe si debbano, e dovranno distribuire solamente a quei Signori Arciprete, e Canonici, che assisteranno, e interveranno al Coro stando nei loro Stalli salmeggiando senza ciarlare, e disturbare gli altri, e non andar vagando dentro, e fuori del Co-*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ro, e che dovranno almeno li tre quarti de punti, che si possono fare in tutto l' anno, essendo tale l' intenzione di detto Signor Testatore per maggior aumento del culto di Dio, e buon servizio della Chiesa, ed esemplarità degli altri Ecclesiastici, ed edificazione del Popolo.

Adeo autem cordi fuit Testatori Missarum celebratio, ut pœnam negligentibus Canonicis indixerit caducitatis tum ab hoc, cum ab altero legato scutorum octoginta, in hæc verba: *privando assolutamente tutti quei Signori Arciprete, e Canonici del comodo della distribuzione di dette Messe, e delli detti scudi ottanta, che non avranno puntualmente adempito tutte e singole cose sudette, come così adesso per allora li priva de sudetti comodi respettivamente per sempre in perpetuo quei Signori Arciprete, e Canonici, che non avranno nel termine di un' anno celebrate tutte quelle Messe, che li saranno state distribuite.* Ac ut distincte constaret de adimplemento, mandavit *che si faccia fare una vacchetta da tenersi nella Sacristia del detto Capitolo, ed un' altra nella Sacristia delli Confratelli della SS. Croce, nelle quali si dovranno descrivere tutti li Signori Arciprete, e Canonici, che celebreranno le sudette Messe.*

Servata ad hæc tempora fuit Testatoris voluntas. At qui modo in Collegiata sunt Capitulares octodecim, *Sanctissimo* nuper supplicarunt, ut reductis Missis, aliquam distributionibus quotidianis adderet summam ex annuo hereditatis reditu scutorum 1086., ob tenuitatem scilicet præbendarum, quæ Eminentissimo Archiepiscodo Bononiensi teste, *tribus aut quatuor exceptis, reliquæ summam scutorum viginti non excedunt*, & ob quotidianum servitum Chori absque alternativa, aut vacatione; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, favere dubitat Eminentissimus Archiepiscopus petitioni. *Quum de ultima*, inquit *agatur voluntate satis dilucide in tabulis expressa, plurima sunt, quæ me super hoc ancipitem tenent. Et primo quidem quum pius Testator ejusdem Ecclesiæ Canonicus extiterit, ignorare minime poterat præbendarum canonicalium tenuitatem, & nihilominus satis huic tenuitati occurrit, beneficiis non paucis collatis, neç vero contemnendis, quibus Canonicorum animos*

con-

conciliaret sibi, Ecclesiam vero, Capitulum, atque ipsos Canonicos nonnihil saltem ditaret. Nam præterquam quod ad Ecclesiæ, & Canonicorum servitium ordinavit, ut pro Missis, & Vesperis solemnibus apparatus compararentur necessarii, & conservarentur, congruenti in id fundo ex hereditate assignato, legatum reliquit, quo scuta quotannis 80. distribui jussit inter eos Canonicos, qui festis diebus primæ & secundæ classis Divinis Officiis in dicta Ecclesia interessent ex integro, anxie vero de suffragiis pro se suisque sollicitus, illa eadem Sacra, quorum celebrationi totum hereditatis assem destinatum voluit, duorum julioruni stipendium unicuique Sacro assignavit, ut ab iisdem Canonicis, qui frequentes Choro adessent, celebrarentur, qua in re videtur profecto Testator beneficio voluisse singulari eosdem Canonicos tum sibi, tum Ecclesiæ servitio adstrictos reddere.

Et hisce de causis ei videtur *non multum æquitati congruum, quod qui sic bene a Testatore sunt affecti, de mutanda illius ultima voluntate, & de imminuendis suffragiis in bonum Animæ ipsius cogitent. Addendum etiam, quod etiamsi numerus Canonicorum non sufficeret in posterum ad illa omnia Sacra celebranda, quæ fructibus hereditatis respondeant, non vetuit, ne facta inter Canonicos hac distributione Missarum* (quas celebrari voluit per se ipsos) *si fructus hereditatis superessent, alii Sacerdotes ad eadem Sacra celebranda adsciscerentur.* Quamquam altera ex parte in aliquo habet pretio tenuitatem præbendarum, atque ex ea quoque occasionem sumit dubitandi per hæc verba: *Constat igitur ex expositis, unicam esse rationem, cui precesOratorum nitantur, videlicet præbendarum tenuitatem. Nescio autem, utrum hæc sufficiat, ut expressa Testatoris voluntas infirmetur: suspensum me tamen tenent illa consideratio, quod hisce temporibus & victus, & cultus multo cariori pretio habetur; reditus autem hereditatis Canonici Biagini Testatoris non mediocriter sunt adaucti tum industria Administratorum, tum quod legata ad vitam finem diverso sunt tempore sortita, tum denique quod agrorum fructus carius modo vendi solent; nec non & alia consideratio ex Canonicorum infirmitate deducta, quibus infirmis nihil prodest Testatoris dispositio.*

Qui

Qui instantiam tuentur Oratorum, consentaneam affirmant commutationem voluntatis Blasinii dispositioni Juris, & finali causæ legati Missarum. Dispositioni Juris, quia per augmentum distributionum Divinus augeretur cultus, quem facile Canonici ob tenues præbendas negligerent, *Pignatell. consult. can.* 80. *num.* 6. *tom.* 9.; *Piton. discept. eccles.* 99. *num.* 11. &. 13. Finali vero causæ legati Missarum; nam eas Blasinius partiendas jussit inter Canonicos, ut per largam tunc eleemosynam obolorum viginti pro qualibet, æquam pro rigidiori servitio Chori haberent retributionem, quæ nostra tamen ætate ob aucta rerum pretia, auctamque vivendi rationem talis amplius non est; in Civitate præsertim Centi, in qua pro manuali etiam Missa obvia asseritur eleemosyna obolorum viginti. Quum aliter porro haberi nequeat Testatoris finis, quam per reductionem Missarum, & augmentum distributionum, rem potius esse contendunt Defensores Oratorum de interpretatione, quam commutatione voluntatis, *Monet. de commut. volunt. cap.* 6. *quæst.* 2. *num.* 18., *Rot. cor. Molin. decis.* 1041. *num.* 5. & 18.

Notandum insuper rogant, commissam a Blasinio fuisse celebrationem Missarum Canonicis per se ipsos, eique Canonicos, licet in numero 18. non esse pares. Annuus namque hereditatis reditus scutor. 1086. Missas capit 5430., quæ cum aliis 1842., quibus gravatæ asseruntur respectivæ præbendæ, numerum constituunt Missarum 7273. Canonici autem 18., si nunquam sint legitime impediti, Missas dumtaxat celebrare valent 6540., ideoque exequi non posse censent literam testamenti quo ad excedentes Missas 733., & sic commutandas esse in aliud pium distributionum opus, per *Text. in cap. nos quidem de testam.*, *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 83., *Card. de Luc. annot. ad Sac. Concil. Trident. disc.* 21. *num.* 3. Attenta potissimum tenuitate præbendarum, quæ non respondent quotidiano, & nunquam intermisso servitio Chori; & faciliorem idcirco reddunt commutationem Missarum in distributiones, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Siracusana Missarum* 10. *Martii* 1759.

Rem arduam contra proponere videntur Canonici; nam enixum frustrari tentant Blasinii votum de tot celebrandis

dis Missis, quot reditus capiunt hereditatis, resistente *Sac. Concilio Tridentino sess. 22. cap. 6. de reform.*, & decreto Sacræ Congregationis *in Congregationis Olivetanæ 7. Maii 1791. ad 1. Dubium*. Qui hoc præterea tentant, ii sunt, quibus Testator annua legavit scuta 80. in causam distributionum; sacram omnem paravit supellectilem, ejusque perpetuam manutentionem, & beneficium contulit Missasum ad eleemosynam perpetuæ. Siquidem *non multum æquitati congruum, quod qui sic bene a Testatore sunt affecti, de mutanda illius ultima voluntate, & de imminuendis suffragiis in bonum Animæ ipsius cogitent*, ut Emus observat Archiepiscopus. Cordi quidem fuit Blasinio servitium Chori, & ad illud Canonicos per largam etiam Missarum eleemosynam allexit; sed solicitus principaliter fuit de suo suorumque suffragio, adeoque solicitus, ut pœnam indixerit caducitatis in casu non implementi. Ponderare insuper dignentur Emi Patres, num ad magis augendas distributiones commutanda sit voluntas Blasinii, qui tanquam Canonicus ejusdem Collegiatæ *ignorare minime poterat præbendarum Canonicalium tenuitatem*, ut notat Emus Archiepiscopus, & satis tamen consuluisse censuit Capitulo per legatum scutorum 80. in causam distributionum.

Ceterum dubitari posset, num petita voluntatis commutatio necessarium respiciat Oratorum subsidium, vel majus potius ipsorum compendium. Plerique enim, testimonio Emi Archiepiscopi, præbendam habent scutorum circiter viginti: sed aliqua forsan ex antiquis distributionibus, quæ ignorantur, aliqua ex legato Blasini scutorum 80. addenda est summa, multumque, scuta nempe saltem 72. ex perenni Missarum eleemosyna obolorum viginti, quæ nisi in Civitate Centi, alibi certe desideratur; idque impedimento esse potest, ne in augmentum distributionum præscriptæ etiam reducantur Missæ, ut præ ceteris *in Januen. 6. Augusti* 1791. Quod pares autem non sint Oratores celebrationi Missarum, non concludit fortasse, quod celebrari non debeant per alios; dum distribui mandavit Blasinius Missas inter Canonicos, sed *non vetuit, ne facta inter Canonicos hac distributione Missarum, si fructus hereditatis superessent, alii Sacerdotes ad eadem*

Sacra

Sacra celebranda adsciscerentur, quemadmodum Emus concludit Archiepiscopus.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in augmentum distributionum in casu &c.

Affirmative ad taxam obolorum triginta, lucrandam a Canonicis etiam in casu infirmitatis, dummodo celebrent per alium, nec non recitato bis quolibet mense nocturno Defunctorum pro Anima Benefactoris; & ad D. Secretarium cum SSmo.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

FAVENTINA CAPELLANIÆ. Postremis tabulis anni 1598. heredem scripsit Dianora a Monteveteri Montem Pietatis Brixichellæ, eique inter cetera præscripsit *manuenere unum Capellanum in Ecclesia S. Crucis de Brixichella ad satisfactionem Priorum & Hominum dictæ Societatis*, qui quotidianum ibi celebraret Sacrum; & in casu inadimplementi, ex ordine substituit Sodalitia SS. Conceptionis, & S. Mariæ Hospitalis ejusdem oppidi, ultimoque loco Conventum Fratrum Prædicatorum S. Dominici Faventiæ. Vix pene obita Testatrice, ortæ fuerunt inter heredem, & Societatem S. Crucis quæstiones super electione Capellani, ejusque stipendio. Res tamen sequenti anno 1599. composuerunt Arbitri, idque præsertim circa stipendium Capellani edixerunt, *che debba essere di quaranta scudi di moneta l'anno, cioè lire* 160. *di bolognini: con questo però, che la Compagnia del Monte sia tenuta a somministrare tutte le spese della cera, vino, ostie, e Chierico*. Laudum hoc exequutum asseritur ad annum 1791., at duo ex novissimis Capellanis annuum consequuti sunt stipendium scuturum 33. (ob variatam fortasse antiquam monetam). Quum eo autem anno vacaverit Capellania, & nullus post edicta comparuerit, qui eam acciperet, *Sanctissimo* propterea supplicavit Societas, ut Montem compelleret Pietatis ad augendum stipendium; precibusque ad Sacram hac Congregationem ablegatis, respectiva Faventinus Episcopus exposuit Partium jura, & a suo abstinuit voto.

Cogi

Cogi non posse contendit Mons Pietatis ad præstandum Capellano stipendium ultra summam præfinitam in Laudo anni 1599., seu scuta 33. currentis monetæ. Nil enim sanctius re judicata ad *Text. in leg. res judicata ff. de regul. jur.* Potissimum quia eum Dianira ad pium augendum ipsius opus instituit heredem, eique contra damnosa esset hereditas, si augere deberet stipendium Capellani; nam juxta informe ceteroquin folium ab ipso exhibitum, consistit activus status in annuis scutis 63., passivus in scutis 61. 90. comprehenso stipendio Capellani in scutis 33. Inverisimilem de cetero dicit defectum concurrentium ad Capellaniam ob multitudinem Sacerdotum, qui a suppressa Societate Jesu Missas celebrant tenuiori stipendio.

Ponderandum altera ex parte rogat Societas, indefinite Testatricem, & sine ulla assignatione fundi, aut stipendii præscripsisse Monti Pietatis *manutenere unum Capellanum*; ideoque incumbere eidem Monti onus præstandi stipendium illud, quod secundum varietatem temporum ad manutentionem requiritur Capellani, quodque nostra ætate majus certe est scutis 33. pro Missa quotidiana, & utensilibus. Neque obesse ait Laudum anni 1599., quum præfinitum in eo fuerit stipendium *demonstrative*, in ea scilicet summa, quæ juxta valorem tunc currentis monetæ satis erat ad manutentionem Capellani, non item *taxative* ad excludendum augmentum stipendii, quod futura monetæ varietas, temporisque circumstantiæ ad justam manutentionem exigerent. Haud enim in se assumpsit Societas onus manutenendi Capellanum cum taxatis scutis 40., seu libellis 160. antiquæ monetæ, sed hanc Mons Pietatis demonstravit summam, ut suum onus adimpleret; eique propterea incumbit vel Capellanum quærere, qui cum antiquo delebret stipendio, vel stipendium augere, ut ad præsciptum Testatricis valeat modo *manutenere unum Capellanum*. Tantum vero abesse inquit Societas, quod principaliter Testatrix ad commodum respexerit Montis, ut eum immo in casu non implementi onerum privaverit hereditate; & nihilominus per publicum Ratiocinatorem probat, annuos hereditatis reditus ad scuta saltem ascendere 77. 52. 11., onera ad scuta 54. 44. 6., ita ut supersint quotannis scuta 23. 08. 5., ex quibus supplere tenetur

heres stipendium Capellani, & Missarum legatum adimplere, per *Text. in leg. legatum est ff. de legat. secundo*. Quod reipsa autem tales sint, & fortasse majores hereditatis reditus, ex oblatione confirmatur Societatis assumendi hereditatem, & onera, quatenus Mons Pietatis suo cedere valit juri.

An, & ad quam summam sit augendum stipendium Capellani in casu &c.

Affirmative pro summa per Ordinarium præfinienda.

s. Sess 22. cap. 6. de Reform.

ARIMINEN. Legavit anno 1778. Antonius Freducci in fundum laicalis Capellaniæ prædium in vocabulo *il fondo dei molini*, aliudque *il campo della pieve* cum omni in eo existente pecore; imposuitque Capellano onus hebdomadalium Missarum quatuor ad privilegiatum Altare S. Michaelis Archangeli insignis Collegiatæ S. Angeli in Vado, atque interessendi diebus festis Choro, & supplicationibus. Post institutam de consensu Capituli hujusmodi Capellaniam, ejusque adimpleta onera, egit anno 1786. Comes Antonius Baldini pro immissione ad prædia legata ex antiquissimo fideicommisso Vincentii Massa anni 1655., & contrariam passus sententiam A. C., ad Sacram provocavit Rotam. Litis vero progressum intercepit transactio anni 1790., per quam fratres de Bernardis Capellaniæ patroni cesserunt Comiti prædia tanquam fideicommissaria, alteraque ex parte solvit Comes pretium pecoris in scutis 50., seque obligavit ad solvenda cedentibus alia scuta 500. intra biennium, & ad celebrationem hebdomadalium Missarum qnatuor ad privilegiatum aliquod Altare in suffragium Defunctorum Freducci.

Sanctissimo deinde Comes ipse, ejusque fratres supplicarunt pro facultate celebrandi Missas in privatis suis Oratoriis, perinde ac si celebrarentur ad Altare privilegiatum, & *Sanctissimus auditis super expositis relatione, & voto R. P. Episcopi Ariminensis, remisit preces*

ces una cum hujusmodi relatione, & voto ad Congregationem Concilii. Retulerat namque Episcopus de contradicta per Capitulum translatione Missarum, & de ratione contradictionis restricta *a quell' aver accettato capitolarmente il legato sin dal* 1778., *e alla diminuzione del culto, che nascerebbe alla medesima loro Chiesa per detta traslazione, maggiormente che il possessor del legato deve per forza della istituzione intervenire al Coro nelle feste, e alle processioni*. Suasus tamen de fideicommissaria dictorum prædiorum qualitate, ac per consequens de nullitate fundationis Capellaniæ, initæque transactionis æquitate, suum votum in hæc aperuerat verba: *Avendo il Conte Baldini assunto spontaneamente, e per tratto di gratitudine il peso delle Messe colla sola condizione di farle celebrare ad un Altare privilegiato, senza obbligo di luogo, dì Chiesa, di Coro, e di processioni, non deve alterarsi quella legge, che egli si è imposta, e che come gratuito sponsore poteva imporsi; e in conseguenza resta in sua libertà il far celebrare le Messe in qualunque Chiesa, ed Oratorio gli piaccia, purche siano celebrate in un Altare privilegiato. Nel qual caso si fa inoltre luogo alla Sovrana condiscendenza di Nostro Signore per la concessione del privilegio* (Altaris privilegiati) *che gli Oratori implorano*. Quum facultas autem celebrandi Missas in privatis Baldiniorum Oratoriis, & indultum Altaris privilegiati pendeat a transactione, hæc etiam idcirco revocanda est ad examen.

Fideicommissaria porro qualitas prædiorum, de quibus agitur, adhuc erat anceps per appellationem a sententia A. C. ad Sacram Rotam, quum primum illud revocari potuisset judicatum; *cap. Pastoralis §. præterea de offic. delegat.*, *cap. sæpe de appellat.*, & *cap. si a judice eod. tit. in sexto*, *leg. ita demum Cod. de procurator.*, *leg. in offerendis ff. de appellat.*, & *leg. fin. §. illud ff. de tempor. appell.*. Recte ergo transactum videri potest; nam post sententiam quoque, quę sub judice est appellationis, res uti controversa, & dubia componi valet ex *leg. tale pactum* 40. §. 1. *ff. de pact.*, *leg. post rem judicatam ff. de transact.*, & *leg. si causa cognita Cod. eod.*. Eoque magis, quia æquę quodammodo fuerunt transactionis conditiones. Ex una enim parte cesserunt

patroni Capellaniæ controversa prædia tamquam fideicommissaria; in se ex altera assumpsit Baldinius celebrationem Missarum, quas Freduccius præscripserat, etsi a designato declinaverit loco, servitiumque neglexerit Chori. Per hanc sane mutuam dationem præcipua servata fuit transactionis forma, de qua Imperatores *in leg. transactio* 38. *Cod. de transact.*, & Ulpianus *in leg.* 1. *ff. eod. tit.*

Nimis faciles contra fuerunt patroni ad dimittenda prædia, quæ libera declaraverat A. C, a vinculo fideicommissi, propereque nimis renunciarunt sententiæ, quæ non obstante appellatione, præsumptionem habebat justitiæ, *Menoch. præsumpt. 62. lib. 6. num. 9.*, *Rot. cor. Molin. decis. 729. num. 32.*. Rationes quidem ignorantur, quibus ea innixa fuit sententia; nec expendi idcirco valent illarum vires, unde in dubio saltem sustineatur transactio. At si credendum est ennunciativæ Baldinii contransigentis, libertatem suasit prædiorum centenaria illorum possessio penes Fundatorem Capellaniæ, ejusque Auctores, quam ipse despiciendam censet ex quo confirmare nequit centenaria titulum nullum, juxta novissimam sententiam Sacræ Rotę *in Ravennaten. Immissionis quoad prædium S. Petri in Trentula . . Januarii* 1788. *cor. de Bayane*. Si ea autem fuit decidendi ratio, dubitandum fortasse non erat in casu Capellaniæ de virtute centenarię. Haud enim constat, allegatam fuisse post deductum titulum nullum, qui erat casus citatæ *decisionis*. Aliæ de cetero esse potuerunt rationes denegatæ Baldinio immissionis; expiratio scilicet fideicommissi; dubia ejus purificatio; detractiones competentes fideicommissario, qui alienavit prædia; dotis assignatio vigore *Authenticæ Res quæ Cod. commun. de legat.*. Hæc omnia ab EE. Vestris cognosci deberent, priusquam de justitia dubitent sententiæ, approbentque transactionem, quæ nedum absque beneplacito Apostolico, sed eo etiam nec reservato, inita fuit super fundo Capellaniæ, contra canonicas sanctiones, de quibus *Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quæ. 2. cap. 1. num. 12.*, *Valeron. de transact. tit. 4. quæst. 1. num. 4.*

Ab hujusmodi transactione pendet facultas celebrandi Missas in privatis Baldiniorum Oratoriis, & concessio

Al-

Altaris privilegiati. Ea namque approbata, æquum esset, ut servaretur lex, quam sibi Baldinius imposuit *come gratuito sponsore*, celebrandi scilicet Missas *in qualunque Chiesa, ed Oratorio gli piaccia*; nec absurdum videretur indultum Altaris privilegiati in majus defuncti Freducci suffragium, quum potestas dubio procul sit Summo Pontifici decorandi eo privilegio privata etiam Oratoria, & ob gratuitam Baldinii sponsionem esse posset locus *alla Sovrana condiscendenza di Nostro Signore*, ut observat Episcopus. Quatenus vero EE. Vestræ reprobandam censeant transactionem, nulla esset ratio, cur celebrari non deberent Missæ in Ecclesia designata a Fundatore Capellaniæ, juxta *Pac. Jordan. tom.1. variar. resolut., leg. 4. tract. 1. de Sacrif. Mis. n.540.*, *Ric. in prax. part.4. resolut.69.*, & *Card. de Luc. de testam. disc.72. n.15.*, ac nulla ratio, cur dissentiente præsertim Capitulo Collegiatæ, interesse Capellanus non deberet Choro, & supplicationibus, ut idem præscripsit Fundator. Atque hinc cessante causa celebrationis Missarum in Oratoriis Baldini, nec concedendum esset indultum Altaris privilegiati, quod publicæ ceteroquin concedi solet Ecclesiæ, *Fagnan. in lib.3. Decretal. cap. quidam de celebrat. Miss. num.24.*

Dubia sunt.

I. *An sit approbanda transactio in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Missæ, de quibus agitur, celebrari valeant in privatis Oratoriis in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro indulto Altaris privilegiati in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo pro informatione super meritis Causæ, & bono jure utriusque Partis.

FIR-

Sess.25. cap.4. de Reform.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM. Franciscus, & Margarita conjuges Polini perpetuam anno 1712. sub titulo Beatæ Virginis Rosarii instituerunt Capellaniam, post eorum tamen obitum in oppido *Carassai* erigendam, eique per actum inter vivos cum onere duplicis hebdomadalis Missæ plura assignarunt prædiola. In Capellanum vero eligi mandarunt *un Chierico il più povero di Carassai, il quale possa con detta Cappellania ordinarsi al Sacerdozio*. Obiit vir anno 1714., ejusque superstes vidua quædam alienavit prædia; suaque auctoritate reduxit onus Capellaniæ ad Missam unam hebdomadalem. Muliere etiam sub annum 1724. defuncta, erecta fuit ex superextantibus prædiis Capellania, eamque ex ordine obtinuerunt Aloysius, Franciscus, & hodiernus Rector clericus Nicolaus Polini. Hi omnes unam hactenus secundum reductionem Margaritæ celebrarunt Missam: sed merito clericus Nicolaus de validitate dubitans reductionis, Pontificiam super ea imploravit auctoritatem.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, difficile Firmanus Archiepiscopus vindicari posse ait prædia alienata, tum quia ad probandam illorum pertinentiam deficiunt testes, tum quia tenues Capellaniæ fructus non patiuntur expensas litis. *Ducto enim calculo* (sunt verba Archiepiscopi) *a decem annis, iidem fructus in nummis tribus supra viginti per singulos annos statuuntur. Detractis tamen oneribus, subductoque stipendio, quod pro Sacrificiis nunc persolvitur, residui sunt fructus in nummis quindecim duntaxat.* Atque ita concludit: *Satis utique essent fructus ipsi ad omnia onera adimplenda, quæ in fundationis actu constabilita fuerunt. At si hoc faciendum in posterum sit, difficilius Capellaniæ bona in patrimonium sacrum pauperi clerico assignari possent. Hæc sane circumstantia urgere quodammodo videtur, ut Oratoris preces exaudiantur. Potissimum, quia auditi ii, qui ad ipsam Capellaniam sunt vocati, optant, ut ejus onera, prout fuerunt hactenus adimpleta, absolvantur in posterum, ne alias quod de patrimonio sacro statuerunt Fundatores, inutile prorsus evadat.*

In-

Immutare siquidem non potuit una Margarita legem, quam cum ejus viro dixerat in fundatione Capellanię, & duplicem Missam hebdomadalem reducere ad unam. Juris enim naturalis, & Divini est servare, quod semel in fundatione beneficii statuere placuit, per *Text. in leg. juris gentium* §. *Prætor ait, pacta servabo ff. de pact.*, *Piton. de contr. patronor. allegat.* 50. *num.* 2. Hoc igitur quærendum, num ex qualitate Capellaniæ permittenda sit Oratori, futurisque Capellanis continuatio celebrationis juxta illegitimam illam reductionem. Capellaniam sane instituerunt Fundatores in patrimonium sacrum Capellani, dum ad eam vocarunt pauperiorem clericum, *il quale possa con detta Cappellania ordinarsi al Sacerdozio*. Licet autem certa pro omnibus non sit taxa patrimonii Sacri, sed ex consuetudine regionum, vel synodali dimetiatur lege, *Ugolin. de offic. Episc. cap.* 26. §. 10. *in princ.*, *Pignatell. consult.* 2. *num.* 21. *tom.* 3., talis tamen esse debet, ut ad sustentationem sufficiat ordinandi, ex *Concilio Tridentino sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Sua ergo prudentia judicent Emi Patres, num in casu nostro, in quo neque de consuetudine, neque de synodali docetur taxa, satis sit ad congruam Oratoris sustentationem annuus Capellaniæ reditus scutorum 15., quot remanent deductis oneribus, & eleemosyna unius Missæ hebdomadalis hactenus celebratæ, & augeri debeat onus ad formam fundationis.

Quidquid vero sit de difficultate vindicandi prędia per confundatricem distracta, ex quibus par dubio procul evaderet fundus Capellanię sustentationi Capellani, & celebrationi duplicis Missæ hebdomadalis; hoc tamen notandum, quod degit Orator in parvo oppido *Carassai*, in quo parcius vivitur; nec absurda esset imputatio eleemosynę Missarum in congruam patrimonii, dum eam Sacra hæc Congregatio per decretum 17. Julii 1723. fieri etiam posse declaravit *arbitrio Ordinariorum*. Hoc sane pacto haberi deberet ratio integri reditus scutorum 23., aliis tantum detractis oneribus, de quibus ceteroquin non constat; nec æquum propterea videri posset, suffragiis fraudari confundatorem, qui sub fide duplicis hebdomadalis Missæ Capellaniam instituit, & sub eadem fide decessit.

De-

Deliberandum igitur .

An sint celebrandæ Missæ ad formam fundationis , seu potius juxta reformationem confundatricis in casu &c.

Non proposita cum sequenti ,

Sess.24.cap12 de Reform.

URBINATEN. SERVITII CHORI . Coriolanus Staccoli , Canonicus coadjutor Metropolitanæ Ecclesiæ Urbini , EE. Vestris supplicat pro facultate substituendi aliquo absentiæ die alterum Canonicum in chorali servitio : & Urbinatensis Archiepiscopus refert , quod hujusmodi facultas *nullis omnino capitularibus Constitutionibus interdicitur , neque hac in re consuetudo ulla adversatur* . Affert immo exempla Cathedralium Civitatis Castelli , & Fabriani , in quibus similis viget facultas . De consensu testatur Urbinatensium Capitularium , & qualitate servitii , in quo vult Orator substituere ; quod consistat nempe *in chorali psalmodia , & Divinorum officiorum celebratione , cui Canonici bifariam divisi alternis hebdomadis interesse tenentur , exceptis Adventus , & Quadragesimæ temporibus , quibus singuli quotidianum pensum canonicarum horarum persolvere obstringuntur* . Atque æquissimam sibi videri ait gratiam , si concedatur juxta modum , in hæc ab ipso propositum verba : *Quod si EE. Vestræ Coadjutorem , de quo in precibus , veris Canonicis exequare quo ad facultatem substituendi voluerint , prout vota Canonicorum , & summæ observantiæ meæ studium efflagitant , per quindecim saltem dies continuos , duabus ex intervallo quotannis vicibus uti posse concedant ; quemadmodum ab isto Vestro supremo Consessu Philippo Belenzoni ejusdem Ecclesiæ Canonico Theologo adhuc coadjutore extitisse concessum recenti exemplo probatur . Agitur de re , quæ non tantum Coadjutores, quam Canonicos interest ; nam si omnes essent Coadjutores , actum de substitutione . Hoc in Canonicorum Collegio plures extant ætate longævi , alii jubilationis , vel absen-*

sentiæ indulto muniti, reliqui Coadjutoribus donati, pauci fiunt, qui substitutionis beneficium impendere, vel reddere valeant, Coadjutoribus sublatis.

Competunt sane Coadjutori prærogativæ, præeminentiæ, honores, & privilegia Coadjuti, secundum *Gonzal. ad regul. Cancell.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *num.* 99., *Mallect. de Hierarch. ecclesiast. lib.* 3. *part.* 1. *post tit.* 34., & *Rot. coram Crescent. jun. decis.* 143. *num.* 5., eique propterea competere etiam posse videretur facultas substituendi alium in servitio chorali, quam ad breve tempus habet Canonicus coadjutus ex sententia *Ursayæ in discept. eccles.* 17. *num.* 3. *tom.* 6. *part.* 2., & Sacræ Congregationis *in Eugubina* 15. *Decembris* 1605. *lib.* 10. *Decretor. pag.* 142.; cujus conditiones expendit *Benedict. XIV. instit. eccles.* 107. §. 3. *sub num.* 17. Maxime, quia per hujusmodi substitutionem augetur potius, quam minuitur cultus Divinus, *Ursaya loc. cit. num.* 8., & nedum similis viget substituendi consuetudo in Cathedralibus Civitatis Castelli, & Fabriani, sed recens etiam est in ipsa Urbinatensi Cathedrali exemplum Coadjutoris Belenzoni, cui eadem testimonio Archiepiscopi concessa est facultas. Hac porro ex consuetudine, & exemplo æquior videri potest Oratoris instantia, *Ursaya discept.* 10. *num.* 8. *tom.* 8. *part.* 1. Sive autem concederetur Oratori facultas substituendi aliquo absentiæ die *in genere*, ut ipse postulat, sive *per quindecim dies continuos, duabus ex intervallo quotannis vicibus*, ut proponit Archiepiscopus, ejus forsan usus dici non posset *frequens* contra mentem Sacræ Congregationis *in cit. Eugubina*.

Contrarium in terminis Coadjutoris suadere videtur posterius Sacræ Congregationis decretum *in Casertana* 26. *Februarii* 1650. *lib. Decretor.* 19. *fol.* 28. *a terg.*; nam *Capitulum Ecclesiæ Casertanæ* (sunt decreti verba) *exponens, in dicta Ecclesia extare decem & octo Canonicos, qui legitime impediti, de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio addicti. Quumque Archidiaconus ejusdem obtinuerit a Sede Apostolica Coadjutorem, qui prætendit, posse uti eodem privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; & S. C. Concilii respondit = dictum Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi =*

Eaque verisimiliter fuit hujusce resolutionis ratio, quia veri Cononici non sunt Coadjutores, ut ad limitationem *Eugubinæ* notat *Benedictus XIV. in cit. instit.* 107. §. 3. At de *Casertana* loquens, non omnibus eam Coadjutoribus absolute adversari notat *Ursaya in dict. discept.* 17. *num.* 11. *tom.* 6. *part.* 2., sed iis tantum, qui substituere volunt Canonicum diversi ordinis, ut in illius casu, *in quo vices Archidiaconi suppleri prætendebantur ab uno ex Canonicis, & sic a Ministro diversi ordinis.*

Dubium est.

An, & quomodo Canonico coadjutori Staccoli liceat substituere alterum Canonicum ad servitium Chori in casu &c.

Die

Die Sabbathi 12. *Julii* 1794. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An sint celebrandæ Missæ ad formam fundationis, seu potius juxta reformationem Confundatricis in casu &c. — *Ses.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

URBINATEN. SERVITII CHORI.

An, & quomodo Canonico coadjutori Staccoli liceat substituere alterum Canonicum ad servitium Chori in casu &c. — *Ses.*24.*cap.*12. *de Reform.*

Affirmative ex gratia, attentis peculiaribus circumstantiis, & juxta votum Archiepiscopi.

RECINETEN. PAROCHIÆ. Fiduciam, quam a Tiberio acceperat Cruciani, aperuit moriens anno 1786. ejus uxor, & usufructuaria Maria, declaravitque, unam ex omnibus illius bonis, vel duas prudenti Recinetensis Episcopi arbitrio erigendas esse animarum Curas, sub pœna caducitatis favore Sodalitii SS. Trinitatis Recineti, quatenus intra sexennium ab ejus obitu — *Sess.*21.*cap.*4., *& sess.*25. *cap.* 9. *de Reform.*

non fieret erectio. Declaravit insuper, quod si erigerentur duæ, activum primæ juspatronatus foret *del figlio, o altro discendente maggiore della Signora Maria Lucrezia Cruciani di lui cugina, vedova del Signor Cristofaro della Torre*; activum secundæ *del figlio, e discendente maggiore della casa Melchiorri di questa Città*: si una, ad utriusque Familiæ majores natu alternatim pertineret, incipiendo ab illo *della Torre*. Huic igitur inhærens declarationi, unam Vicarius Apostolicus Recineti die 34. Junii 1792. suburbanam erexit Parochiam in regione *di moglie vecchia*; reservata sibi facultate *assignandi certa stabilia pro novi Rectoris, & Parochi congrua sustentatione*, & reservato ad formam fiduciæ jurepatronatu: sed ob madentem adhuc parochialis domus, & Ecclesiæ fabricam, institutionem distulit Parochi, solemni in id per ejus Promotorem fiscalem emissa protestatione, ne exeunte sexennio locus fieret caducitati.

Eadem erectionis die ex-Jesuita Dominicus de Turri, natu major Mariæ Lucretiæ Cruciani filius, in Parochum nominavit Sacerdotem Josephum Brandoni; ejusque nepos Comes Aloysius die 6. Augusti Sacerdotem Ignatium Thomam Brunori, deindeque, eo renuente, Sacerdotem Franciscum Micheloni die 7. Septembris ejusdem anni 1792. At novissima hæc nominatio conciliari non posse videtur cum subsequenti ejusdem Aloysii protestatione diei primæ Novembris, quod nempe *si protesta di non voler restare in alcun modo pregiudicato nel dritto, che ha di nominare, e presentare il Rettore, e Parroco, che intende, e fin da ora vuol nominare per quando sarà terminata, ed asciutta la fabbrica della sudetta Chiesa, e casa parrochiale*; ideoque immunis non est a suspicione antidatæ.

Ad confirmandam vero nominationem Dominici, supplicatum ejus nomine fuit Summo Pontifici pro dispensatione super exarata in ingressu ad Religionem renunciatione, solemnique emisso paupertatis voto; & die 10. Octobris prædicti anni *Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita, salvo jure Josephi Brandoni primo nominati*. Hoc tamen factum declaravit Dominicus absque ejus scientia, & voluntate; studioque propterea in Brandonium remisso, alterum ei die 12. Decembris 1793. addidit nominatum, Sacerdotem nempe ipsum Micheloni a nepote Aloysio propositum. Sanctissimo hinc supplicavit Aloysius, ut suam appro-

ba-

baret nominationem, vel committeret saltem Vicario Apostolico electionem magis idonei Parochi inter duos nominatos; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, utramque Vicarius Apostolicus reprobat nominationem.

Ea ejus verba: *Patruus prævènit Nepotem, & nominationem favore Josephi Brandoni in actis exhibuit intra quatrimestre post decretum erectionis; sed ni fallor, nimis præpropere, quia irregularis ea videri potest nominatio, quæ per institutionem nequit post quatrimestre verificari. Nominavit & Nepos Sacerdotem Franciscum Michaloni; sed ejus nominatio suspicionem antidatæ præ se fert, ut videre est in comparitione ab ipso in actis emissa die 1. Novembris 1792., quæque a Brandoni loco Summarii exhibetur. Hæc extemporanea pariter arbitrari posset ex eadem ratione differendæ institutionis, quum non videatur satis canonica, & rationabilis ea Parochi nominatio, cujus institutio ad longum tempus, seu ad unum, aut alterum annum, & donec fabrica Sacris Officiis apta sit, differri oporteat. Posset enim fieri, ut qui modo dignus est, & idoneus, intra annum evadat indignus. Fieri etiam posset, ut major natus patronatum amitteret, ceteraque contingerent, quæ rem aliter fieri suaderent. Propterea parum consulte, ni fallor, elegerunt Patruus, & Nepos, qui conscii de materiali statu novæ Ecclesiæ, deque parochiali domo, poterant recte differre nominationem usque ad proclamata, quæ emanare decreveram, quæque affigi curabo cum institutionis fuerit tempus, cum fabrica scilicet officiaturæ, & habitatio apta dignoscetur.* Atque ex his censet, quod *possent utrique ad eorum jura, si quæ exercuerunt, suo tempore restitui, & interim irritæ nominationes, tamquam præproperæ declarari; præsertim quum maxima spes sit, ut Patruus cum Nepote conveniat.*

Suam Brandonius tuetur nominationem ex jure Dominici de Turri. Hic namque, tamquam filius natu major Mariæ Lucretiæ Cruciani, qualitatem habet fiduciæ, & per consequens activum juspatronatus prælative ad Nepotem, *Rot. in Lunen. Sarzanen. Beneficii* 13. *Januarii* 1777. §. 5. *cor. Mannelli*; ita ut ex ejus nominatione deberi Brandonio videatur institutio, *Lambertin. de jurepatr. art.* 2. *quæst.* 1. *part.* 1. *num.* 6., *Rot.*

in

in Brugnaten. Beneficii 27. *Februarii* 1758. §. 2. *coram Elephantutio*. Neque officit fortasse, quod amplissimam nominans fecisset bonorum renunciationem dum ingressus fuit Religionem, votumque deinde emisisset paupertatis. Renunciatio siquidem temporalia respicit bona, non item juspatronatus, quod veluti spirituale, extra commercium hominum reputatur, *Text. in cap. de jure*, & *cap. quia clerici de jurepatr.* Tacita insuper ei inest conditio perseverantiæ in Religione; ideoque per egressum ab illa redit renunciaus ad primęva jura, atque exercere valet juspatronatus; *Barbos. de jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 203., *Rot. cor. Bich. decis.*52. *num.*18.. Illudque postremo notandum, quod institutum fuit juspatronatus post ingressam Societatem Jesu, & sic veluti habens causam de futuro, comprehensum forsan dici nequit in præcedenti renunciatione, juxta theoricam *Bartholi in leg. qui Romæ* 122. §. *duo fratres num.* 19. *ff. de verb. obligat.*, *Rot. cor. Molin. decis.*978.*num.*3.. Votum vero paupertatis vel non impedit acquisitionem bonorum post egressum a Religione, saltem quo ad usumfructum, *can. statutum* 18. *quæst.*1., *Barbos. de jur. eccles.lib.*1. *cap.*42. *num.*242., vel ad effectum, de quo agitur, sublatum censetur ejus impedimentum per rescriptum Sanctissimi 10. Octobris 1792.

Sibi altera ex parte convenire ait Comes Aloysius vocationem majoris natu, utpote qui primogenitus est ex primogenito Mariæ Lucretiæ Cruciani. Nomen enim majoris natu intelligitur in sensu juris de primogenito, *Card. de Luc. de fideicomm. discurs.* 19. *num.* 9, & in delatione præsertim jurispatronatus, primogenito convenit ex primogenito ad exclusionem senioris patrui, *Rot. in Majoricen. Beneficii* 5. *Junii* 1752. §. 4., & *seq. coram Cortada*. At dubitari valet de hujusce theoricæ applicatione. Quandoquidem procedit, ubi *ingressum est semel juspatronatus* in lineam primogenialem, juxta *citat. decis. Majoricen.*; idque a nostro abest casu, quum de ipso agatur jurispatronatus ingressu inter Patruum, & Nepotem. Impensius vero urget Aloysius emissam a Patruo renunciationem, votumque paupertatis. Quum enim renunciatio Dominici amplissima sit, abdicativa, & extinctiva, irretractabilis idcirco dici potest post illius egressum etiam a Religione, ut in terminis ex-Jesuitæ dixit *Rat. in Bononien. Assignamenti*

29. Fe-

29. *Februarii* §. 1., *ejusque confirmatoria* 6. *Decembris* 1776. §. 2. *cor. R.P.D. Soderino*. Solemne autem paupertatis votum, quod intactum semper remanet, *cap. cum ad monasterium, de stat. Monach.*, acquisitionem quoque impedit jurium, inter quæ juspatronatus, *Rot. post Antonell. de jur. & oner. Cleric. decis.* 70. *sub n.* 5. Hæc tamen adversus utrumque collitigantem notanda. Simplex porro Brandonii nominatio, ad differentiam præsentationis, retractari poterat a Dominico, *Lambert. de jurepatr. lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 7. *art.* 2. *num.* 5., *Piton. de controv. patron. allegat.* 78. *num.* 14., eique præterea injuriam non fecisse videtur Dominicus secundam addendo nominationem. Utraque de cetero nominatio præmatura fuit secundum Vicarium Apostolicum, quum ob recentem Ecclesiæ, & parochialis domus fabricam, nondum sit locus institutioni Parochi, & fieri valeat, ut indigni interim evadant nominati. Hanc ipsam exceptionem patitur nominatio Aloysii, & suspecta insuper est antidatæ; proindeque deliberandum, num expediat magis novam præscribere nominationem *cum institutionis fuerit tempus*, sive per Patruum, vel Nepotem, prout respectiva suadebunt eorum jura, sive per utrumque, *quum maxima spes sit, ut Patruus cum Nepote conveniat*.

In quæstionem igitur venit.

An, & quæ nominatio sustineatur, seu potius sit locus novæ nominationi, prævia legitimi temporis præfixione in casu &c.

Iterum proponatur.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Legavit anno 1619. Cardinalis Benedictus Justinianus scuta quinquaginta millia, ut sub administratione Archiconfraternitatis SS. Annuntiatæ Urbis pia hæc explerentur opera; quod nempe *cinquanta scudi l' anno si mandino all' Isola di Scio per distribuirsi a poveri del rito latino, e che siano preferiti li poveri bisognosi della famiglia Giustiniani*: rursus *si diano a due giovani di casa Giustinia-* *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

stiniani, uno nato a Scio, e l'altro nato in Genova, quindici scudi il mese per ciascheduno, acciò studino a Perugia tre anni gramatica &c. e poi si addottorino &c. pagandosi dalla Compagnia il dottorato, quale si faccia in Roma : iterum *si maritino due zitelle nella S. Casa di Loreto*; nec non *se per caso qualche Gentilhuomo di casa Giustiniani venisse schiavo dei Turchi, si possino dare cento scudi per riscattarlo* : atque his omnibus adimpletis, *del soprapiù si diano ogni anno a tante zitelle povere, e se sono nobili tanto più &c. duecento scudi per una per monacarsi o in Roma, o fuori di Roma, e si monachino in termine di tre anni &c. e possati li tre anni perdino la limosina, e si dia alle altre.*

Dotalia hæc progressu temporis spectarunt subsidia agnatæ, & cognatę Testatoris, pluresque ex eis, sive in Domino, sive in sœculo nubentes, illorum cumulos obtinnerunt. Per rescriptum porro Sacræ hujus Congregationis impetravit anno 1693. Catharina de Gregoriis Justiniani pro temporalibus nuptiis cumulum unius annuæ dotis *ad quindennium*. Subsidia quatuor pro qualibet, totidem annorum spatio persolvenda, concessit anno 1718. Sacra ipsa Congregatio Apolloniæ, & Palmæ, aliaque tria anno 1727. Hieronymæ Justiniani ad spirituales nuptias. Scuta pro qualibet mille consequutę fuerunt Clara, Vincentia, Anna, & Maria Theresia Balsarini ad nuptias temporales per rescripta san. mem. Benedicti, & Clementis XIV. annorum 1746., 1757., 1771., & 1774.: & anno demum 1790. scuta pariter mille puella altera Balsarini in sœculo nupta, per rescriptum Sac. Congregationis. Hisce autem, aliisque allecta exemplis, quæ singulares memorant Testes, *Sanctissimo* nuper supplicavit Anna Maria Justiniani pro cumulo subsidiorum quinque, ut religiosum assumat habitum in Monasterio S. Silvestri de Capite, in quo educationis titulo degit. Adeo enim testimonio Parochi pauper est, *ut nihil in hoc Mundo habeat, nilque possideat prœter quoddam subsidium* (menstruum) *March. Vincentii Justiniani*. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, ejus petitioni adversatur Emus Archiconfraternitatis Protector.

Resistere ait instantiam voluntati Testatoris, qui dotalia subsidia, neglectis consanguineis, pauperibus reliquit puellis *in genere*; ac nimis de cetero in asserta consangui-

guinitate Oratricem confidere. *Siquidem quum centum & quinquaginta abhinc annis Joseph Marchio Justiniani, Cardinalis testatoris pater, e vivis excesserit, ita ut vulgo compertum habeatur, ejus lineam omnino jam esse extinctam, nulla ratione potest intelligi, quomodo prædicata Oratricis cum eodem Cardinali Benedicto testatore propinquitas demonstrari valeat.* Sed hac etiam posita propinquitate, numquam Oratrix, ejus judicio, *præsumptivam Testatoris ejusdem erga se voluntatem probabit, quæ luculentam ejus dispositionem infirmet*: potissimum quia adeo pro copia postulantium exiguus est subsidiorum dotalium numerus, *ut eorum plura in consequentes annos dispertiri, ac differri debuerint, ne tota a pio Testatore relicta dotatio uno tempore prorsus absumeretur.* Atque hinc censet, *nullum omnino locum esse relictum ad desideratum cumulum elargiendum.* Licet vero ignorare profiteatur, quota dos necessaria sit Oratrici, compertum tamen habere inquit, *ipsam nullum hactenus dotale subsidium obtinuisse.* Et quænam sit sua sententia, ex præmissis patere concludit.

Se Oratrix probat Testatoris consanguineam ex annuo assignamento, quod teste Ratiocinatore Januensis Familiæ Justiniani, ex altero percipit legato Marchionis Vincentii; ac veluti consanguinea præferri debere contendit ex præsumpta Testatoris voluntate ad dotalia subsidia, pauperibus puellis relicta, *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat.* 83. *num.* 17., *Card. de Luc. de dot. disc.* 142. *num.* 103., *& Sacra hæc Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1738. Eo magis, quia nulla puellis ipsis, utpote incertis, fit injuria, *Rot. coram Rezzonico decis.* 227. *num.* 7., *& Sac. Congregatio in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762.. Multum vero in prænotatis confidit exemplis, rogatque, ne ad imparia judicetur, contra præceptum *capituli, in judiciis, de regul. jur. in sexto.* Et de quantitate agens dotalis cumuli, necessariam sibi autumat summam scutorum mille ad religiosum in Monasterio Urbis assumendum statum; suamque petitionem consentaneam dicit decretis Sacræ Congregationis, quæ in tribuendis cumulis, ad congruam respicere consuevit dotationem, ac præser-

tim in *Ferrarien. Reductionis*, & *Subsidii Dotalis* 19. *Junii* 1717. *lib. Decr.* 67. *fol.* 249., & *in Romana* 22. *Maii* 1757. Ut extraneis autem consuli etiam valeat puellis, unam quolibet anno ad quinquennium postulat dotem.

Inficiatur contra Archiconfraternitas assertam Oratricis consanguinitatem, vel talem non esse affirmat, ut jus contra literam testamenti ad dotalia tribuat subsidia. A quo sane ex consanguineis Testatoris descendat Oratrix, non constat; ejusque Justinianeum cognomen, ex quo forsan annuum obtinuit assignamentum ex legato Marchionis Vincentii Justiniani, satis non est ad probandam identitatem familiæ, ut dixit *Rota in Romana Fideicommissi particularis* 27. *Junii* 1774. §. 7. *coram Riccio*, *ejusque confirmatoria* 25. *Aprilis* 1777. *coram Erño Sentmanat*. At etiamsi censeatur consanguinea, adhuc tamen desideratur consanguinitatis gradus; nam si excederet quartum, non deberentur subsidia dotalia ex subsidiario præsumptæ voluntatis, & naturalis charitatis titulo, ut distinguendo hunc casum ab altero, in quo ob scriptam consanguinearum prælationem, ultra decimum etiam gradum admittuntur puellæ, ut probant auctoritates allegatæ *in Romana Subsidiorum Dotalium* 15. *Martii* 1777.

Ad excludendam insuper Oratricis instantiam animadvertit, quod ubi Testator admittere voluit consanguineos ad legata eleemosynæ, assignamenti studentium, & subsidii in redemptionem captivi, expresse dixit; quodque idcirco dum consanguineas præteriit puellas quo ad dotalia subsidia, eas noluisse censetur, argumento sumpto a discretiva, de qua *Rot. in Ariminen. Divisionis* 7. *Martii* 1755. §. 10. *cor. Caprara*. Parumque deferendum sustinet exemplis; quum concessi semper fuerint dotales cumuli *ex gratia*, quam tamen Sacra Congregatio, contradicente Confraternitate, denegavit Sororibus Possenti, quæ nisi agnatæ, ut Oratrix, cognatæ saltem erant, uti filiæ Mariæ Justiniani. Ad Dubium enim *An*, & *in qua summa sint assignandæ dotes pro tribus Filiabus Josephi Possenti*, & *Mariæ Justiniani*, respondit die 10. Maii 1777. *in Camerinen. & Fabrianen. Subsidiorum Dotalium = negative & amplius*. (Quamquam res erat de puellis, cu-

cujus pater habebat *un sufficiente patrimonio*) Ac ponderandum denique rogat, num ad succurrendum Oratrici, de cujus consanguinitate certo non constat(contrarium suadere videtur legatum, quod obtinet Marchionis Vincentii) detrahenda sint subsidia pauperibus aliis puellis vocatis, presertim nobilibus.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & in qua summa sit locus cumulo dotium in casu &c.

Affirmative pro cumulo unius dotis quolibet anno usque ad quantitatem scutorum sexcentum, facto verbo cum Sanctissimo.

MACERATEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Ex amicitia, & familiaritate scripsit Julianus Bonini anno 1727. Nicolaum, & Paulum sobrinos fratresMarazzotti particulares heredes domus instructæ in Via *S. Joannis* Maceratæ, & Vineæ in regione *di Ceresito* maceratensis Territorii, imposito ipsis, eorumque substitutis descendentibus onere unius hebdomadalis Missæ ad privilegiatum Altare S. Juliani Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis, post obitum tamen Sanctæ Galli dictorum bonorum usufructuariæ. Ex asse vero instituit Philippum, & Josephum Hyacinthum Marazzotti germanos fratres Pauli cum onere trium Missarum hebdomadalium ad idem Altare, *cioe una per sintanto che li sudetti Nicola, e Paolo suoi eredi particolari entreranno in possesso delli beni a loro lasciati, mentre in tal caso ne spetterà a questi l'adempimento secondo l'obbligo ingionto loro di una Messa la settimana, e le altre due durante la vita naturale di essi Filippo, e Giuseppe Giacinto, e dopo tal peso passi nelli loro discendenti, e sostituiti*; omnemque eis sub pæna caducitatis interdixit alienationem. *Sess.23.cap.4. de Reform.*

Quatuor sunt Josephi Hyacinthi Marazzotti filii, eorumque filii, & nepotes numerum complent supra trigesimum. Hereditariam possident domum, in qua inhabitant; annuum censum scutorum novem; prædiumque annui reditus, ut ipsi asserunt, scutorum circiter

21., reliquis per priores heredes universales dissipatis bonis; sed ex civili genere orti, *possono dirsi poveri, essendo quasi tutti carichi di famiglia, campando a stento, e miserabilmente, anche colle loro proprie fatiche, ed industrie*; ut in hæc verba testatur eorum Parochus. Angustiis igitur pressi, EE. Vestris supplicant pro reductione duplicis hebdomadalis Missæ, qua modo gravantur; & hæc præ omnibus refert Maceratensis Vicarius Generalis de viribus hereditatis: *Quæ fuerint vires hujus hereditatis, prorsus ignoratur: deficit enim inventarium, deficiuntque aliæ extrajudiciales notitiæ. Certum tamen in facto est, fuisse hereditatem prædictam pene dilapidatam a primis heredibus, & ea tantum bona in ipsa modo reperiri, quæ ab Oratoribus designantur, & quæ reddunt annua scuta* 31., *dempto fructu, seu reditu parvæ domus a nonnullis ex Oratoribus habitatæ.* Notat insuper, quod *Oratores ita miserrimi sunt, & inopes, ut difficile ipsis sit, imuo durissimum earumdem Missarum onera implere. Hæc eorum inopia, quæ interdum unum, vel alterum ex Oratoribus mendicare cogit, in causa est, ut nec stabilia distracta recuperare cogitent, nec diligentias adhibere queant, ut sumptibus parcant.* Ac suum denique ita aperit votum: *Maximi igitur esset levaminis Oratoribus, si EE. Vestræ onera ipsa reducerent, donec ad pinguiorem fortunam non devenerint. Id expostulare EE. Patrum clementia, id æquitas consulere, id suadere infelices Oratorum circumstantiæ videntur.*

Indulgentiam profecto mereri possent Oratores ob graves eorum miserias; & pro ingenti numero filiorum, & nepotum, testimonio Parochi, & Ordinarii graviores. Non raro enim Sacra hæc Congregatio miserta est pauperum per reductionem Missarum, ut aliquantulum ipsorum onus levaret, ac præsertim *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 20. *Januarii* 1776., & *in Nucerina* 5. *Septembris* 1778. Eoque magis si animadvertatur, quod ex mera amicitia, & familiaritate liberalis fuit Testator erga familiam Marazzotti per universalem, & particularem institutionem. Præ omnibus ergo consulere voluisse censetur amicorum indigentię; quum veri amici, nisi conjunctionem vincant sanguinis, conjunctis saltem æquiperentur *in Leg. nemo dubitat* 58. §.

qui

qui Frater ff. de hered. instit., & *Leg. lata*, §. *amicos ff. de verbor. significat.*

Valde contra solicitus fuit Boninius de celebratione Missarum, inhibuitque sub pœna caducitatis alienationem bonorum, ne cum hereditate deficeret. Ignoratur quidem, quæ fuerint vires hereditatis; sed ignoratur ex culpa heredum, qui inventarium non confecerunt, pleraque dissiparunt bona. Præmium igitur per reductionem Missarum consequerentur Oratores ex culpa suorum auctorum in detrimentum Animæ Testatoris. Idque videri posset absurdius ex quo reliquorum bonorum reditus longe superant onus: annua enim reddunt scuta 31., *dempto fructu, seu reditu parvæ domus a nonnullis ex Oratoribus habitatæ*. Altera ex parte eleemosyna duplicis Missæ hebdomadalis, seu Missarum 104. in singulos annos, paullo ad taxam etiam perpetuæ excedit summam scutorum 20., & sic libera Oratores habent ex hereditate extranei annua scuta circiter undecim, præter fructum domus; & ampliare poterunt reditum vindicando hereditaria bona distracta, ad quæ tanquam descendentes ab altero ex heredibus universalibus, expresse vocantur. Ubi reditus porro hereditatis obligatæ ad celebrationem Missarum nedum pares sunt oneri, sed illud etiam excedunt, reductio denegatur, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Apuana Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1792.

Vestræ itaque proponitur deliberationi,

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

SUTRINA BAPTISMI. Desperato jam naturali partu Fortunatæ Gioacchini, advocatus est Chirurgus, ut Puerperę periclitanti adjutricem præberet manum. Fœti caput infixum ille deprehendit *tra l'osso pube, ed il sa-*

Sess. 7. can. 9. de Baptismo.

sagro. Tum ex aperto jam uteri ostio capitis verticem inspexit, *che per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana nel tratto della pagina*. Incertus autem, vitalis ne esset fœtus, priusquam illi educendo manus admoveret, sub conditione baptizandum censuit, licet nullam sui partem ab utero emisisset. Aquam igitur sumpsit = *con un bicchiere, buttandola sul vertice della Creatura*, eamque sub conditione baptizavit, assuetam proferens formulam = *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen*; & requisitus, num tetigisset aqua, verticemque abluisset capitis, sub juramento declaravit = *che fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti a ripararla, avendone buttata sufficiente quantità*.

Hac expleta Baptismi collatione, ventum ad artis remedia, quorum ope Puerpera viventem masculum in lucem edidit. Orta hinc quæstione de collati Baptismi validitate, institerunt Parentes apud Parochum, ut iterum sub conditione puerum baptizaret. Votis tamen non cessit Parochus; quum jam collatum Baptismum validum reputaret. Instante igitur Bonifacio Gioacchini infantis patre, delata res est ad EE. Patrum judicium, eamque Sutrinus Episcopus ob *Doctorum* pugnam autumans dubiam, iterationi Baptismi sub conditione locum esse concludit.

Tunc sane Baptismum sub conditione reiterari licet, cum post accuratum examen prudens ratio dubitandi occurrat de jam collati validitate, ut post *Alexandrum III. in cap. 2. de Baptismo*, conveniunt passim Theologi, & Canonistæ, & præsertim *Layman. theolog. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 3.*, *Engel. in jus can. lib. 3. tit 42. num. 7.*, *Benedictus XIV. Institut. Eccles. 84. num. 9. & 13. & de Synod. diœces. lib. 7. cap. 6. §. 2., & 3., & S.* hæc Congregatio *in Novarien. 27. Martii 1683.*, in qua ad Dubium, *An Infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi*, rescripsit, *Negative, nisi adsit probabile dubium invaliditatis Baptismi, lib. 33. decret. pag. 89.*. Hoc enim Sacramentum quum imprimat characterem, ut confirmatio, & ordo, *S. Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 9. de Sacrament.*, hinc si

ces-

cessante dubio, imprudenter fuerit renovatum, dans, & accipiens irregulares evadunt, *cap. ex literarum de Apost*, & *reiteran. Baptism.*

His præmissis, quærendum præ ceteris de requisitis ad validitatem Baptismi, materia scilicet, forma, & intentione Ministri. Præscriptam Chirurgus adhibuit formam per ea verba, *si es capax, ego te baptizo in nomine Patris &c.*, neque defuit etiam intentio conferendi Sacramentum. Quoad materiam tamen res adhuc in ancipiti versari posset, num scilicet tetigerit aqua verticem capitis. Iterum enim hac de re interrogatus, respondit Chirurgus, quod aqua *fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti à ripararla, avendone buttata sufficiente quantità*. Inde autem non recte inferretur, revera aquam tetigisse capitis verticem, ex quo tangere debuerat, *avendone buttata sufficente quantità*. Hac siquidem non obstante abundanti effusione fieri potuit, ut aqua ex vitreo calice dejecta nullam fœtus in utero adhuc latitantis partem, sed unum matris corpus abluerit. Quod si forte illius aspersionis eventus talis fuisset, pro nullitate Sacramenti parata esset sententia, quam contra *Julianum*, aliosque Hæreticos, validum protuentes Baptismum collatum per ablutionem materni corporis, edidit *Divus Augustinus in lib. 6. contr. Julian. cap. 5.*, *relat. in can. 114. de consecrat. distint. 4.*, confirmavitque *D. Thomas 3. pte. quæst. 68. artic. 11.*, & *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib. 7. cap. 5. sub §. 2.*

At quatenus etiam aqua verticem tetigerit capitis, ut verisimile est, neque Chirurgus, aut Parochus dubitare videntur, verticem inquam, qui utero jam aperto: *per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana*, subalterna adhuc quæstio præsentem casum afficere posset, quam *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib. 7. cap. 5. sub num. 2.* his verbis proponit, an scilicet *reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contigit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi potest*. De hoc quidem dubio in utramque partem disputant Theologi, & Canonistæ, quin unquam conciliata fuerit opinionum discordia. Plures enim magnique

que nominis Doctores negativam tenent, & præsertim *Theophilus Raynaldus de ortu Infant. per sect. cæsar. cap. 6. num. 14.*, *Natal. Alex. theolog. dogm. & mor. tom. 2. lib. 2. cap. 7. prop. 2. in fin.*, *Juvenin. de Sacram disert. 2. quæst. 7. cap. 1. artic. 2. in fin*, & *Gibert. in jus can. tract. de Sacrament. tom. 3. tit. 2. sect. 9. num. 1.*, suamque tuentur sententiam ex Sacris Literis, ubi Christus Dominus dixit, *oportet vos nasci denuo, nisi quis renatus fuerit &c. Joan. 3.*; ex quibus verbis inferunt, quod cum Baptismus sit Sacramentum regenerationis, & secundæ nativitatis spiritualis; oportet ut prima corporis nativitas hanc spiritualem regenerationem præcedat, quia *non potest denuo nasci, qui non prius antea natus fuit*, ut inquit *Benedict. XIV. loc. citat. sub num. 4.*

Ac tuentur etiam ex SS. Patrum doctrina, quæ iisdem innititur argumentis. Siquidem *Divus Augustinus lib. 2. de peccat., merit. & remiss. cap. 27. tom. 10. oper.* docuit, *Sacramentum Baptismi profecto Sacramentum regenerationis est, quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, ita qui natus non fuerit, renasci non potest*, & *in Epistol. 57. ad Dardanum num 31. ad 33.* ibi = *Non video, quomodo ædificentur homines in Domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati &c. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci: renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest*; Eadem probavit Angelicus Doctor his verbis = *Baptismus* (inquit *3. p. quæst. 68. art. 11. cap. 6. num. 5.*) *est quædam spiritualis regeneratio: non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur* =. Eademque demum ex sententia Divi Isidori tradita sunt *in cap. 115. de consecrat. dist. 4.*, = ibi = *Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, qui enim natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest* = atque in *Rituali Romano de Baptismo §. 17.*, = ibi =, *Nemo in utero matris clausus baptizari debet*.

His non obstantibus affirmativam defendunt *Suarez. in 3. part. disput. 2. quæst. 68. sect. 6. artic. 11. in comment. Tournely tom. 4. pag. 299. Holzman. Theolog. mor. tom. 2. tract. 2. cap. 2. artic. 2. §. 1. num. 137.*, *Layman*

man. in theolog. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 3. sub num. 2., Engel. in Jus can. lib. 3. tit. 42. num. 6., Wiestner. eod. lib. & tit. num. 10. & 11., & Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib. 7. cap. 5. num. 5. Rationum porro momenta, quibus omnes plerumque secundæ sententiæ Auctores ducuntur, erudite collegit *Ligor. in theol. moral. lib. 6. tract. 1. de Sacrament. cap. 1. num. 107.* = *Talis infans* [sic ille] *cum jam existat homo viator, bene potest Baptismum suscipere. Nec obstat ratio opposita, quod nequeat renasci, qui nondum est natus; vere enim aliquis potest dici natus non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, juxta illud Angeli ad Joseph de conceptu Verbi incarnati &c. quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; idque asserit idem D. Thomas in 4. distin. 12. quæst. 1. ad 2. dicens; duplex est carnalis nativitas, prima in utero secunda extra uterum. Et apertius hoc probatur ex cap. 4. de Baptis., ubi Innocentius III. exprimit, tum dici hominem nasci, cum concipitur, inquiens in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina nascitur &c. Ergo proles tantum ex viro & fœmina generata, bene dicitur nata. Et de hac nativitate congrue explicari potest Textus Joannis. Nisi quis renatus fuerit &c. Nam in Trident. sess 5. decret. de peccat. orig. Textus ille sic explicatur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Ergo sicut peccatum originale per solam generationem contrahitur, ita pariter, ut homo per Gratiam regeneretur, sufficit ut sit iam generatus.*

Doctrinam deinde SS. Patrum interpretando, hæc addit = *Atque tandem D. Thomas in hanc sententiam clare descendisse videtur in eod. artic. 11., ubi postquam negavit, posse puerum baptizari in utero matris, ratione ductus, quia, ut ait, corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua; statim addit, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest. Ergo S. Doctor, sicut etiam S. Augustinus, S. Isidorus, & Rituale Romanum negando, puerum posse baptizari in utero matris, intelligunt de puero in utero omnino clauso, quem valide baptizari per ablutionem corporis matris Julianus, & alii Hæretici perperam contendebant, contra quos scripsit Augustinus; non vero de puero, qui per*

aliquod instrumentum potest tingi aqua. Hoc enim casu, ut ait Tournely, explicans verba Augustini, per uteri aperitionem saltem inchoate dicitur natus, & ideo D. Thomas dixit, puerum in utero non posse baptizari, nisi ablutio ad filium in ventre existentem perveniat. Addit quidem, sed hoc esse non potest, intelligendo utique de ablutione sine aperitione uteri. Ergo si potest ablutio pervenire, ut bene arguit S. P. Benedictus XIV., bene potest puer baptizari,

Si novissima hæc sententia gravioris ponderis videatur Eminentissimis Patribus, iterandum non erit Sacramentum: si contra prior magis arrideat, vel saltem opiniones utrinque probabiles diiudicent, id unum sane conditionalem Baptismi collationem suaderet, ut firmant *Barbosa in Jus can. lib. 3. tit. 42. num. 2. & Fermosin. oper. can. ad cap. 1. de Sacram. non iter. quæst. 3. to. 3. n. 5.* Neque enim = *intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum*, ut ait *Text. in cap. Veniens de Præsbyt. non baptiz.*, & probabili concurrente dubio censuit Sac. hæc Congregatio in *Neapolitana Matrimonii 1. Septembris 1714. & in Ripana 12. Decembris 1733.* Ad dubium vero confirmandum in præsenti casu valde conferunt, *quæ in Rituali Romano sub citat. §. 17.* disposita sunt, ut nempe = *Si Infans caput emiserit* (ab utero), *& periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus.* Quoties enim spirituali lavacro denuo abluendus sub conditione, qui non caput, sed aliud membrum ab utero emisit, eo sane magis eadem sanctio ad Oratoris filium trahi posset, qui vix capitis verticem in uteri vestibulo ostendens, nullum de cetero membrum emiserat.

Quibus fortasse argumentis moti *Doctores* ipsi, qui pro hujus Baptismi validitate pugnant, suis rationibus nec omnino acquiescere videntur, neque sibi arrogant decisionem controversiæ, in qua ultimum a Sede Apostolica judicium desideratur; proinde que tutiorem amplectentes sententiam conveniunt, ut puer si periculum evaserit, sub conditione denuo baptizari debeat. Ita concludit *Tournely in suis Prælect. de Sacrament. Baptismi quæst. 3. art. 3.*, *Wiestner instit. can. lib. 3. tit. 42. num.*

num. 11., & Benedictus XIV. de Synod. diœces. cit. lib. 7. cap. 5. num. 6., ubi opinionem referens *Gualdi in Opuscul. de Baptism. cap. 12.* hæc habet. *Hisce argumentis &c. Gualdus &c. Episcopos hortatur, ut parvulos intra matris uterum adhuc occlusos, cum in vitæ discrimine versatur, & Obstetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari præcipiant, atque edicant. Verum quoniam ipsemet fatetur, ultimum controversiæ judicium a Sede Apostolica esse proferendum, tutius erit, ut Episcopus istud expectet; nec interim quidquam suis Constitutionibus inserat, quo implexę hujus quęstionis decisionem sibi arrogasse videatur. Ad Parochos vero pertinebit Obstetrices instruere, ut cum casus evenerit, in quo Infantem nulla adhuc sui parte editum mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus si periculum evadat, & foras prodeat.*

Ex his agitur decernere dignentur Emi Patres.

An Baptismus sit iterandus sub conditione in casu &c.

Affirmativè.

AUXIMANA LEGATI. Multum vivens auximanos Cappuccinos coluit Hyacintus Carosi, singulisque præ ceteris annis celebrari per eos fecit aliorum exemplo Officium, quod in applicatione consistebat Missarum, orationum, piorumque operum Sacerdotum, & Laicorum in die celebrationis; parabatque Religiosis eleemosynæ titulo ejusdem diei cibaria, ceramque pro Missis. Moriens vero indui mandavit ejus cadaver seraphica illorum veste: scuta erogari decem in usum ipsorum Sacrarii, vel Bibliothecæ: *e che l'infrascritti miei eredi debbano in ogni anno in perpetuo far celebrare nella d. Chiesa de PP. Cappuccini due Offizj, cioè uno il giorno di S. Caterina Vergine, e Martire mia avvocata, e l'altro il giorno seguente de Defonti, con dare ogni anno libre tre di cera, e pane, e vino, ed altro, che pareranno ad essi miei Eredi per la refezione di essi Padri*; mo- *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

nito in reliquis ejus filio, & primo herede, *acciò egli, potendo, continui verso loro le medesime limosine, che sono state solite farsi da me.*

Ab anno 1664. quo hæc Carosius testamento disposuit, ad annum 1736., quo ejus familia defecit, assueta pro Officiis præstita asseruntur cibaria, & cera. At devolutis hereditariis bonis ad Ecclesiam Misericordiæ Auximi, cujusque Officii cibaria taxavit Auximanus tunc Episcopus Cardinalis Lanfredinius in scutis tribus, licet testimonio Syndicorum Conventus, ab aliis etiam præstari solent religiosis Civibus ad valorem scutorum circiter sex; atque ita servatum dicitur ad annum 1762. post unita etiam bona Orphanotrophio ejusdem Civitatis per Chirographum *Benedicti XIV.* anni 1757. Unionem hanc Summus illePontifex fecit *ea lege, ut per idem Conservatorium adimpleantur onera prædictæ domui adnexa, videlicet peragendi duo Officia generalia in Ecclesia Fratrum Cappuccinorum per Sacerdotes ejusdem Coenobii, pro Anima, & juxta piam intentionem præfati Hyacinti Carosii*; seque per publicum instrumentum obligavit Conservatorium *di far celebrare in perpetuo . . due altri Officii nella Chiesa de PP. Cappuccini di questa Città, cioè uno nel giorno 25. Novembre, Festa di Santa Caterina Verg., e Mart., e l'altro nel dì seguente 4. Novembre de Defonti coll' elemosina di trè libre di cera, del pane, vino, ed altro comestibile per refezione de PP. sudetti a tenore del testamento di d. Giacinto Carosi.*

Iterum vero cibariorum legatum auctoritate sua reduxit anno 1762. Vicarius Generalis Episcopi Campagnoni, a scutis nempe tribus pro quolibetOfficio ad libras novem ceræ pro utroque, quas ab eo tempore cum aliis libris tribus pro celebratione Missarum ad nostram fere ætatem acceperunt decessores Religiosi, addita prioribus annis, ut asserunt, in singraphis de recepto protestatione de majori debita quantitate. At qui modo religiosam illam constituunt Familiam, Sacerdotes nempe octo, Laici septem, EE. Vestris supplicant, ut restituere dignentur cibaria ad scuta sex in singulaOfficia, juxta valorem similium præstationum, de quo testantur Syndici Conventus; ac providere etiam quo ad præteritum, ob præstitam sive ex prima, sive ex secunda reductione quantitatem minorem debita. Præterit autem Eminentissimus Calcagnini hodiernus Episcopus Auximanus transactas præstationes, ac de futuris censet, *minime recedendum a decretis hac de re per decessorem meum*

Car-

Cardinalem Lanfredinium, qui Testatoris mentem penitus tunc temporis cognoscere potuit, quique consuetudinem Civitatis plane sibi constitisse non est ambigendum, & qui tandem, pro ea, qua pollebat doctrina, & integritate, omnia adamussim perpendisse certissimum cuique esse debet. Remque Procurator Generalis Ordinis Cappuccinorum judicio comittit EE. Patrum, *quum jam ob oculos habeant quidquid de ista Causa adeo sapienter judicaverint Emi, & Rmi Domini Cardinales Lanfredinius, ejusque Successor Calcagnini, certo securus de charitate, rectitudine, & providentia, qua cum rem introspicient Judices,*

Ad rectam hujus Causæ definitionem spectandam ajunt Religiosi mentem Testatoris, quę primum in qualibet dispositione obtinet locum, ex *leg. Labeo in fin. ff. de supell. legat.*, & *leg. nominis*, & *rei* §. *verbum ff. de verb. signif.*, & consuetudinem loci, a qua piæ oblationes, piaque interpretantur relicta, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. pastoralis num.* 38. *de his, quæ fiunt a Prælat.* Latius porro accipiendum in nostro themate cibariorum legatum ex præcipua Carosii in Auximanos Cappuccinos voluntate, qua se a ceteris vivens distinxit, voluitque moriens, ut sepeliretur ejus cadaver cum religioso Cappuccinorum veste, ac præter scuta decem pro illorum Sacrario, vel Bibliotheca, annuaque Officia, continuaret heres *verso loro le medesime limosine, che sono state solite farsi da me.* Ex his enim desumunt Oratores, vel uberiora eum, quam alii, vel assueta saltem pro quolibet Officio reliquisse cibaria, quæ Syndicorum testimonio valoris sunt scutorum circiter sex. Observantiam addunt heredum, a quibus servatam asserunt consuetudinem ad annum 1736., & obligationem per Orphanotrophium assumptam ad formam Benedictini Chirographi *di far celebrare due altri Officii coll' elemosina di trè libre di cera, del pane, vino, ed altro comestibile per refezione de PP. suddetti a tenore del testamento di detto Giacinto Carosi.* Negligendam vero censent taxationem Lanfredini uti læsivam, multoque magis reductionem Vicarii Generalis Episcopi Compagnoni, utpote expletam de Officiis institutis post *Sac. Concilium Tridentinum*, ideoque ob defectum facultatis nullam, ex notissimo decreto *Urbani VIII.*, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap. ex parte n.* 32. *in fin, de constit.*, & contra quam protestati quotannis fuerunt in singraphis de recepto.

Tuetur altera ex parte Marchio Bernardinus Pini Orpha-

no-

notrophii Deputatus novissimam reductionem Vicarii Generalis ex testamento, observantia, ac tenuitate hereditatis Carosi. Ex testamento; nam commisisse videtur Carosius præstationem cibariorum arbitrio heredum verbis illis = *che pareranno ad essi miei eredi*; & ad simplicem refectionem, non ad prandium, *per la refezione di essi Padri*. Ex observantia; quum acceperint Religiosi per quindecim novissimos annos sine ulla reservatione libras duodecim ceræ ad taxam Vicarii Generalis. Et ex tenuitate demum hereditatis, dum ejus reditus in annuis constituit scutis 130., onera in scutis circiter 57., pro Missa scilicet quotidiana; Anniversariis, de quibus agitur; Officio generali in Ecclesia Misericordiæ; alteroque Missarum Officio in Ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci. Atque ex hac potissimum ratione ampliandum non esse contendit cibariorum legatum cum detrimento Orphanotrophii, cujus indigentiæ consulere voluit *Benedictus XIV.* per unionem hereditatis, adeout quotidianas etiam Missas tres, ab eodem Testatore præscriptas, reduxerit ad unam.

Singillatim tamen ad hæc respondent Religiosi. Arbitrium, inquiunt, heredibus tributum, qualitatem respicit, non quantitatem cibariorum, dum hæc volita præsumitur ad valorem scutorum saltem sex pro quolibet Officio juxta consuetudinem Auximi, & observantiam heredum, qui mentem novisse censentur Testatoris, *Rot. in Nuperr. decis.* 333. *num.* 24. *tom.* 9., *& cor. Falconer. tit. de legat. decis.* 3. *num.* 10. Atque ex eadem consuetudine, & observantia ad prandium referunt refectionis verbum; nam ea secundum Syndicos Conventus præstari consuevit, & solet cibariorum copia, quæ satis quandoque fuit, & est ad integram alendam Familiam Religiosorum quindecim in die Officii, & sequenti. Eoque magis, quia correspectivum est prandium qualitati Officii, seu applicationi Missarum, orationum, aliorumque piorum operum, quæ omnes per totam diem occupant Religiosos pro Benefactore. Haud insuper obesse censent Oratores improvidam suorum decessorum acquiescentiam taxationi primum Lanfredini, deindeque per annos quindecim reductioni Compagnoni, quum inconsultum decessorum factum non præjudicet successoribus, & protestationem illam emiserint Oratores in singraphis de accepto = *senza pregiudizio di altra maggior quantità, che competesse per vigor del legato*; *Piton. discept. eccles.* 50. *num.* 42. *Frances. de*

Ec-

Eccles. Cathedr. cap. 13. *sub num*, 10. Et ad excludendam denique Orphanotrophii indigentiam, insignes in illud memorant largitiones Episcopi Campagnoni ad summam scutorum 60000. & ultra, eique delatam hereditatem Marchionissæ Abati annui reditus scutorum circiter 300., ex recenti *Historia Ecclesiæ Auximanæ tom. IV. pag.* 492., & *tom. V. pag.* 276., reditumque evehunt Carosi ad scuta 310.

In hoc autem conflictu ponderandum cum Emo Calcagnini, quod ejus decessor Lanfredini, qui cibaria taxavit in scutis tribus pro quolibet Officio, *Testatoris mentem penitus tunc temporis cognoscere potuit; consuetudinem Civitatis plane sibi constitisse non est ambigendum*; & *pro ea, qua pollebat doctrina, & integritate, omnia adamussim perpendisse certissimum cuique esse debet*. Ac deliberare etiam dignentur Emi Patres, num aliquid tribuendum sit Oratoribus ad supplendam quo ad præteritum justam cibariorum quantitatem; quum præteriti etiam temporis alimenta, indigentibus, relicta, debeantur, *Surd. de alimentis tit.* 2. *quæst.* 5. *num.* 11. & *seqq.*, seu eis potius obstet, quod ipsorum decessores, acceptis primum scutis tribus, & libris deinde novem ceræ pro cibariis, jam præterita Officia celebrarunt.

Qnæritur itaque.

I. *An, & quomodo debeantur cibaria quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus illorum supplemento quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad taxam clar. mem. Cardinalis Lanfredini.

Ad II. Satis provisum in primo.

PARMEN. REDUCTIONIS ONERUM. Michael Raffanelli heredem instituit anno 1716. germanam suam sororem Lauram nuptam Bartholomæo Bruni, substituitque per fideicommissum descendentes ejus masculos ex masculis. Præ ceteris legavit Sodalitio *Sanctissimi Nominis JESU*, erecto in Ecclesia S. Joannis decollati Parmæ, argentum omne, quod obi-

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

tus

tus tempore extiturum esset, & imperiales libellas mille pro argenteis conficiendis Sacrarum Reliquiarum thecis; aliasque annuas libellas centum pro functionibus Majoris Hebdomadæ per tot annos, quot ipse vixisset, *perchè preme moltissimo a detto Signor Testatore, che per memoria della Santissima Passione di Gesù Cristo Redentor nostro siane fatte dette funzioni della Settimana Santa*. Deficientibus vero descendentibus masculis Lauræ, ipsum substituit Sodalitium cum onere triplicis Missæ quotidianæ; solemnis Officii pro Defunctis cum Sacerdotibus triginta, & Missis centum de trimestri in trimestre; omniumque functionum Majoris Hebdomadæ in perpetuum,

Purificato de anno 1769. per obitum Comitis Francisci ultimi masculi de familia Bruni postremæ substitutionis casu; hereditatem Raffanelli retinuit Comitissa Theresia Cartaneo illius vidua, distulitque Sodalitium ad annum 1790. petitionem hereditatis *ob temporum vicissitudines; absque tamen vera negligentia, vel culpa Rectoris, & Confratrum*, ut Parmensis inquit Episcopus. Eo tandem anno ex jure egit Sodalitium adversus heredes Bruni, ac post obtentam Judicis sententiam, consequutum fuit mense Junio 1792. per transactionem scuta 4618. 50. monetæ romanæ in tot fructiferis capitalibus *pro eo, & toto, quod dicta Sodalitas prætendere posset, tedum titulo hereditatis, & substitutionis prædictæ, verum etiam pro fructibus tantum nodo decursis a die juridicæ petitionis dictæ hereditatis*, ut prosequitur Episcopus,

Oneribus imparem autumantes hujusmodi hereditatem, ab EE.. Vestris postularunt ineunte anno 1783. Sodalitii Rector, & Sodales reductionem Missarum quo ad futurum, firmis remanentibus functionibus Majoris Hebdomadæ: declarationem insuper quo ad præteritum, quod obligatio adimplendi reducenda onera incipere deberet a die adeptæ hereditatis, cum absolutione, quatenus opus, a præcedenti omissione, a die nempe purificatæ substitutionis: & facultatem denique retinendi ex fructibus hereditatis summam scutorum 213., quam asserebant impendisse in litem anni 1790. Minuit Episcopus hereditarium assem ad scuta 4311., detractis nempe scutis 224. pro fructibus exactis a die petitionis hereditatis, aliisque scutis 83. 50. *vere, & realiter expensis pro assequutione ejusdem hereditatis, non vero scutis* 107. *debitis quidem a dicta Sodalitate pro honorariis Judicis, Advocati, & Procuratoris, sed ab iisdem sponte, &*

li-

libere relictis, & cessis favore Imaginis Christi spiantis e Cruce pendentis, a Testatore Raffanelli antedicto contemplatæ. Annuum vero prædicti capitalis reditum in scutis constituit 236., ex quibus *a die aditæ hereditatis usque, & per totum currentem annum* 1793. *cumulata fuere scuta* 361.50. *circiter, qui fructus partim exacti, partim exigendi una cum aliis in posterum percipiendis ab eadem hereditate, remanebunt penes Thesaurarium ejusdem Sodalitatis, erogandi juxta modum ab EE. Vestris præscribendum.*

Sufficientia videri posse ait dicta scuta 236. ad implenda onera, si dimetiatur Missarum eleemosyna ad manualem Parmensis Diœcesis (quæ sit, ignoratur) sed aliter Ipse ex pluribus censet. PRIMO scilicèt ex perpetuitate onerum, quæ eleemosynam exigit ad taxam perpetuæ. SECUNDO ex probabili imminutione reditus, *sive quia in casu restitutionis dd. capitalium aliquo notabili tempore remanebunt infructifera donec inveniatur cautum & securum investimentum, sive quia cautum, & securum investimentum non tam facile inveniri poterit cum annuo fructu scutorum quinque, vel sex pro quolibet centenario, & anno* (quot reddunt modo capitalia) TERTIO, quia investiendo juxta decreta Urbani VIII. dd. scuta 4311. *in bonis immobilibus* [*quod certo admodum necessarium esse existimo, attenta proprietate dd. onerum*] *deductis publicis impositionibus, expensis necessariis, & infortuniis, reddere tantum possent quatuor scuta circiter singulo anno pro quolibet centenario, & sic in totum circiter annua scuta* 172.. Et QUARTO demum, quia difficile, & moraliter fere impossibile esset, *saltem pro majori parte cujuslibet anni inveniri Sacerdotes, qui in se suscipere velint onus celebrandi nedum dd. tres Missas quotidianas, verum etiam alias centum Missas statuta die pro quolibet ex dd. quatuor Anniversariis cum sola eleemosyna manuali; tum quia plura alia adsunt onera perpetua in dicto Oratorio adimplenda, tum quia parvus est numerus Sacerdotum continuo in hac Civitate degentium, tum etiam quia frequentes sunt occasiones, in quibus Fideles sponte permultas offerunt eleemosynas multo majores eleemosina manuali pro Missis adventitiis celebrandis & in dicto Oratorio, & fere in omnibus hujus Civitatis Ecclesiis.*

Satis hinc non esse affirmat supradictum capitale scutorum 4311. pro congruo Missarum fundo, sive attenda-

tur taxa scutorum 1500., per *Concilium Romanum* statuta ad constituendum fundum cujusque perpetuæ Missæ, sive diœcesana altera scutorum 1860. 50., & graviora Testatorem, quam par fuisset, imposuisse onera ex erronea amplioris hereditatis opinione. Atque hinc concludit, sibi videri *& æquitati, & justitiæ, & fortassis etiam præsumptæ Testatoris voluntati consentaneum devenire ad prædictorum onerum moderationem; inter quæ tamen asserere non auderem, potius minuendum esse numerum Missarum, quam delendas solemnes functiones Hebdomadæ Majoris, sicuti primo loco exposulat, & enixe petit oratrix Sodalitas*; in deletionem immo propendit functionum, tum quia non multum Testator de illis solicitus fuit quousque existeret masculina descendentia Lauræ, dum non in perpetuum, sed tot eas per annos celebrari mandavit, quot fuissent ipsius vitæ anni; tum quia Sodalitii Oratorium Ecclesia non est Parochialis, vel Conventualis, aut Collegiata, nec docent Sodales de privilegio explendi prædictas functiones, licet eas celebrare consueverint.

Disserit post hæc de tempore, a quo incipere debeat obligatio adimplendi onera, & notat, quod *sicuti Sodalitas* [a die purificatę ejus substitutionis, ab anno nempe 1769. ad annum 1790.] *absque sua culpa non percepit hereditatis fructus, ita quoque obligata non videtur pro eo tempore ad onera hereditati prædictæ adnexa adimplenda*; ideoque *gratia sanatoria, quam petit, potius prodesset illegitimis possessoribus hereditatis, quam ipsi Sodalitati*. Quo vero ad fructus perceptos, & percipiendos ab hereditate, arbitratur, *non annuatim in posterum, sed ex jam perceptis fructibus Sodalitatem deducere posse quidquid impendit de proprio pro assequutione dictæ hereditatis; residuales vero superextantes fructus esse impedendos juxta modum ab EE. Vestris præscribendum*. Vestræ autem relinquit deliberationi, num præter scuta 83. 50. vere & realiter expensa, alia Sodalitium retinere valeat scuta 107. per Judicem, Advocatum, & Procuratorem donata; & num superextantes reditus erogandi sint in tot Missarum celebrationem cum eleemosyna ab EE. Vestris præscribenda; *quod obtineri non poterit, nisi post notabile tempus propter defectum Sacerdotum, etiam cum eleemosyna multo majori eleemosyna manuali*; seu potius in augmentum capitalis cum proportionato Missarum augmento: *& in hac ul-*

ultima hypotesi, si pro expensis favore Sodalitatis deducenda tantum essent prædicta scuta 83. 50., as hereditarius ascenderet usque ad scuta 4896. 50. circiter; & tunc oratrix Sodalitas indigeret absolutione pro piis oneribus, quæ adimplenda erant a die petitionis hereditatis usque ad totum currentem annum 1793.

Et ita denique suum aperit sensum: *Crederem in primis, deleri posse onus functionum Hæbdomadæ Majoris; dein Anniversaria quatuor triginta Sacerdotum pro quolibet, quæ celebranda in perpetuum Testator præscripserat in singulo anni trimestre, & retenta taxa vel a Concilio Romano statuta, vel quæ in hac mea diœcesi constantissime observatur pro Missis perpetuis, juxta tamen sapientissimum EE. Vestrarum judicium, cui me submitto, in perpetuum celebrandas esse in d. Oratorio duas Missas quotidianas, tertia pariter deleta; & cum reliquis reditibus sæpedictæ hereditatis tot alias Missas in perpetuum, distributive in singulo anni trimestre, & quantum fieri poterit, in aliqua statuta præcisa die, quot celebrari poterunt secundum taxam, quæ ab EE. Vestris determinabitur pro dictis duabus Missis quotidianis.*

Statuendus præ omnibus est pii Operis fundus, ut de reductione onerum, aliisque Oratorum petitionibus consentanee decernatur. Per sententiam porro, & successivam transactionem accepit Sodalitium capitale scutorum 4618., comprehensis scutis 224. pro fructibus decursis a petitione ad traditionem hereditatis. Deliberandum itaque, num calculanda sit hæc fructuum summa in capitali, seu potius eroganda in celebrationem Missarum, ut ad formam testamenti debuisset. Pendet hujusmodi resolutio ab altera *secundi Dubii*. Si reditus enim cumulati a consequutione hereditatis ad totum annum 1793. erogandi erunt in augmentum fundi, jam idem fortasse decerni posset de anterioribus fructibus, qui ejusdem sunt naturæ: & in hoc casu nedum consistet fundus in summa scutorum 4618., sed amplior erit pro quantitate posteriorum fructuum in ejus augmentum decernenda. Quatenus sane juxta *Dubium tertium* a scutis 361. 50. superextantium istorum fructuum detrahenda essent scuta tantum 83. 50. pro sumptibus per Sodalitium factis ad vindicandam hereditatem, augeretur fundus in aliis scutis 278., & sic in totum esset scutorum 4896. Si diversa vero demandabitur anteriorum, & posteriorum fructuum erogatio, & a summa

exacta scutorum 4618. detrahi etiam deberent scuta 224. anteriorum fructuum (non item juxta calculum Episcopi scuta 83. 50. expensarum litis, quæ commodius detrahi possent ex fructibus superextantibus) minuetur capitale ad scuta 4394.

Quo ad superextantes igitur fructus notandum, quod diu a delata ad Sodalitium hereditate fraudatus est Testator suffragiis, ejusque Animæ præsens magis expediret Missarum celebratio, quam per augmentum fundi major in futurum illarum numerus, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.* 291. *num.* 1., *& Sacra hæc Congregatio in Firmana Commutationis Voluntatis* 13. *Februarii elapsi anni* 1793. *ad I. Dub.* Urget contra, quod tot Missarum celebratio, quot superextantes caperent fructus, obtineri non posset, *nisi post notabile tempus propter defectum Sacerdotum, etiam cum eleemosyna multo majori eleemosyna manuali*, ut monet Episcopus; magisque propterea videri posset utilis Testatori amplior, & perpetuus illarum numerus per applicationem dd. fructuum fundo pii Operis, ut *in Novarien. Reductionis Missarum* 7. *Septembris ejusdem anni* 1793. *ad II. Dub.*

Sive autem superextantes fructus in celebrationem decernantur Missarum, sive in augmentum fundi, in utroque quærendum est casu, num detrahi ex illis debeant, & in qua summa expensæ litis actæ pro vindicanda hereditate. Nulla profecto fieri debere videretur hujusmodi expensarum detractio, eo quod opus forsan non fuisset lite, si statim Sodales post obitum ultimi masculi Familiæ Bruni hereditatem ex clara Sodalitii substitutione petiissent. Advertit vero Episcopus, dilatam fuisse petitionem *ob temporum vicissitudines*; *absque tamen vera negligentia, vel culpa Rectoris, & Confratrum*; veniamque idcirco mereri possent Oratores, ne amitterent, quod de proprio impenderunt, & de jure consequi deberent ex pio opere defenso, *Bellett. disquisit. clericat. de Clericor. debit.* §. 3. *num.* 40. *& seq.*, *Antonell. de jur. & oner. Cleric. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 12. *num.*2., *& Sac. Congregatio in Ferrarien.* 15. *Septembris* 1787. *ad IV. Dub.* Nullum in hac hypothesi esset dubium de reintegratione scutorum 83. 50., quot Episcopi testimonio vere, & realiter expensa fuerunt, ac versaretur difficultas circa alia scuta 107., debita quidem pro honorariis Judicis,

Ad-

Advocati, & Procuratoris, sed ab his donata Imagini Chsisti spirantis. Et quamvis hæc summa debita non videatur Sodalitio, utpote non soluta, & ob dilatam petitionem per annos 21.; notandum tamen, quod veluti a creditoribus donata, jus ad eam quæsitum est Imagini Christi spirantis donatariæ, eamque in majorem fortasse illius cultum detrahere valent Sodales a pio Opere: num vero ex superextantibus fructibus, ut censet Episcopus, vel ex futuris, ut postulant Sodales, EE. Vestræ decernent.

Ad reductionem quod attinet onerum, jam ea Emi Patres ex ore Episcopi audistis, quæ illam, ac propositum etiam modum suadent. Notare nunc dignentur quæ reductioni adversantur. Dimetiendæ profecto non sunt ad effectum, de quo agitur, vires hæreditatis ex capitali, sed ex reditu, qui in nostro themate ex scutis 4618. per Sodalitium acceptis annua attingit scuta 236. Si adderentur capitali fructus superextantes in summa scutorum 273., detractis nempe scutis 83. 50. pro solutis sumptibus litis, ascenderet capitale illud ad scuta 4896., & justa proportione daret fructus scutorum circiter 250. Si aliter vero erogarentur tum superextantes fructus, cum alii comprehensi in exacta summa scutorum 4618., scuta nempe 224., tunc decresceret capitale ad scuta 4394., eamdemque proportione redderet scuta circiter 224. Ducto autem in secundo casu Missarum omnium calculo ad taxam etiam Concilii Romani, nec infimum æquat reditum. Tres siquidem Missæ quotidianæ ad rationem obolorum 16. $\frac{1}{2}$ pro qualibet, scuta exigunt 180., aliæ Anniversariorum Missæ 400. scuta 65., & sic in unum scuta 245.; quæ satis certe non essent ad prædicta omnia Missarum onera subeunda, & pro functionibus Majoris Hebdomadæ, pro quibus requiruntur scuta circiter octodecim, ut desumitur ex informatione Episcopi; sed deficiens summa suppleta remaneret, si in capitali scutorum 4618. relinquerentur fructus exacti vigore transactionis, & ad hæc tempora decursi. Adimpletis enim Missarum oneribus, adhuc ex scutis 250. superextarent scuta quinque, quæ satis videri possent pro functionibus Hebdomadæ Majoris, quum Testator libellas centum tantum in hanc causam reliquerit. De futura Episcopus timet redituum imminutione per nova investimenta; sed nondum casus evenit.

De-

Deliberandum insuper de tempore, a quo incipere debeat obligatio adimplendi onera. Incipere sane debere videretur a die purificatæ substitutionis favore Sodalitii; quum certa non appareat ratio, cur tunc petere non debuerint Sodales jam devolutam hereditatem, viduæque ultimi possessoris permiserint illius fructus, quos ad præscriptum Testatoris in pia erogare debebant opera. Duo tamen eis prodesse poterunt, quod petitionem nempe distulerunt *ob temporum vicissitudines*, & *absque eorum culpa*, quodque fructus de facto non perceperunt, unde ad restitutionem teneantur. Num vero pro ea quodammodo culpabili dilatione indigeant absolutione, Vestrum erit decernere. In culpa saltem fuisse videntur, quod post quæsitam hereditatem pia non adimpleverint opera, ac fructus potius in otioso retinuerint deposito. At in id etiam excusari possent ex requisito post paucos menses EE. Vestrarum judicio super præmissis ipsorum petitionibus.

Dubia sunt.

I. *An, & in qua summa sit constituendus fundus pii Operis Raffanelli in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint erogandi fructus superextantes in casu &c.*

III. *An, quomodo, & de quibus expensis sit redintegrandum Sodalitium in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum quo ad futurum in casu &c.*

V. *An, & a quo tempore inceperit obligatio adimplendi eadem onera in casu &c.*

VI. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

ME-

MELEVITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Magnus olim Hierosolymitanæ Religionis Prior Hipolytus Malaspina legavit anno 1625. Monasterio S. Mariæ Magdalenæ melitensis Diæcesis localia scuta 2000., seu 891. 50. romana, ut ex annuis eorum fructibus *si ajuti una meretrice, che si vorrà convertire, ed entrare nell' abbazia delle ripentite*, vel hac deficiente, *fieret multiplicum per ajutar poi quelle, che si vorranno convertire*. Aliud in eamdem causam legavit capitale melitensium scutorum 3000., seu 1337. 25. monetæ romanæ Eques Antonius Emmanuel de Torres, voluitque, ut in defectum meretricis erogaretur quotannis ejus fructus *per monacato di una zitella orfana di padre, che vorrà parimente entrare, e professare in detto Monastero*. Ac pia tandem mulier Maria Fioccari, & ipsa in postremis tabulis anni 1717. disposuit favore *di qualche donna disonesta, e meretrice che vorrà mutar vita, ed entrare nel Monastero delle Convertite sotto il titolo di S. Maria Maddalena*; eique cum prælatione junioris, & pulchrioris melitensia reliquit scuta 500., seu 222. 87. romana *per sua dote spirituale*. Capitale Malaspina annua reddit scuta 150. localis monetæ, seu 66. 99. romanæ. Alterum Torres scuta pariter melitensia 240., seu romana 107. 70. Et legatum postremo Fioccari auctum est meliorationibus ad annua melitensia scuta circiter 1000., seu 445. circiter monetæ romanæ. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quum annuus præsertim reditus Malaspina satis non esset dotationi meretricis pœnitentis, quę summam attingit scutorum 700. monetæ melitensis, seu 312. circiter romanæ, multoque minus pro sumptibus monacationis; fere omnes idcirco prostitutæ pœnitentes consequutę fuerunt transactis annis Apostolica auctoritate illius cumulum. Quod concessum vero fuit in casibus particularibus, postulant modo piæ fundationis Œconomi, ut per legem concedatur generalem, tribuendo scilicet melitensi Ordinario facultatem concedendi cumulum dicti reditus Malaspina quotiescumque oportuerit. Qua de causa non comprehendant in hac instantia legatum alterum Torres, ignoratur. Legatum tamen istud in secunda complectuntur petitione, de extendendo scilicet in defectum meretricum utroque legato ad simplices stupratas.

Ge-

Genericis hisce petitionibus accedit tertia in specie. Olimpia enim Perotta, Pasqua Attard, & Theresia di Giorgi, quæ simplex passæ sunt stuprum, pro dotali supplicant subsidio Fioccari ad congruam prædicti Monasterii dotem, præter expensas ingressus, dummodo supersint reditus, & veræ non adsint meretrices. Prioribus instantiis favet melitensis Episcopus *ob verisimilem Fundatorum mentem, consentientibus etiam Monialibus S. Mariæ Magdalenæ, quæ unice hac in re habent interesse*. Et licet ex legato Fioccari *nulla in promptu existat summa*, favet etiam novissimæ dictarum mulierum petitioni, aliisque corruptis puellis, quæ eodem indigebunt subsidio, in hæc verba: *Ex primis dicti legati reditibus, vel aliorum legatorum, prostitutis mulieribus relictorum, putarem, Oratrices, quæ revera sunt pauperes, aliasque corruptas Virgines, in defectum pœnitentium prostitutarum tantum, quæ hactenus non comparuerunt, dispensari posse ad hujusmodi legatum, pro religiosa dote consequendum*.

Cumulo subsidii Malaspina voluntas adversatur Fundatoris. Jubet enim, ut annui fructus, ob defectum meretricis vacantes, investiantur *per ajutar poi quelle, che si vorranno convertire*. Ad integram ergo uni meretrici parandam dotem, detraheretur mediocre subsidium pluribus, quod justam etiam ex iterato multiplico attingere poterit dotationis summam. Perpetua sane ampliorum subsidiorum utilitas præferenda videtur majori unius vel alterius mulieris pœnitentis commodo, ut in terminis puellarum decrevit Sacra hæc Congregatio *in Lucana Subsidiorum Dotalium* 28. *Maii* 1791. *ad I. Dubium*. Agitur contra de personis miserabilibus, ut sunt meretrices, quę difficile supplere valent de proprio, quod ad justam deficit dotem. Plerumque idcirco inutile esset tenue subsidium Malaspina, nec finis ex eo haberi posset eruendi mulieres pœnitentes ab occasione peccandi, quam Fundator avertere voluit. Num facultas vero prestandi dotales cumulos indefinite concedi debeat Ordinario, qui præsentes habet casus, vel ob mutabiles circumstantias reservari Sacræ Congregationi in casibus particularibus, ut in præteritum, Vestrum erit decernere.

Major est difficultas quo ad extensionem tum legati Malaspi-

laspina, cum alterius Torres ad simplices stupratas. Loquuntur enim Fundatores de solis meretricibus, quarum nomine veniunt dumtaxat, quæ publice & palam multorum patent libidini, *can.* 13. *dist.* 34. *part.* 1. *Decr.* In defectum insuper meretricis conferri voluit Eques de Torres dotale subsidium puellæ *orfana di padre, che vorrà parimente entrare, e professare in detto Monastero*. Facile porro concedenda non est extensio legati in præjudicium alterius vocati, *de Nigr. de nominat. lib.* 2. *quæst.* 26. *num.* 23. . Non multum altera ex parte a meretricibus distant, quæ stuprum passæ, turpiter deinde, licet secreto vivunt, *Schard. lexic. jur. verb. stuprum sub num.* 60., idemque quo ad istas concurrit Fundatorum finis, ut a peccato eruantur.

Eadem fortasse esse posset difficultas quo ad extensionem alterius legati Fioccari ad Oratrices, eisque similes puellas corruptas, nam per verba illa = *Donna disonesta, e meretrice* = de iis Testatrix intellexisse videtur mulieribus, pro quibus institutum est Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, de veris nempe scortis; & sic ejus quoque voluntas obstaret extensioni. Si ea ipsa vero perpendantur verba = *disonesta, e meretrice* = duplicem fortasse respexit mulierum speciem, earum nempe, quæ per consensum in stuprum, simplex merentur inhonestarum nomen, aliarumque, quæ ob publicum meretricium vera sunt scorta. Favere etiam posset Oratricibus, quod petunt subsidia, quatenus non existant meretrices; quibus propterea non infertur præjudicium. Nulla modo ex legato Fioccari superest pecunia; sed juxta votum Episcopi solvi possent subsidia ex futuris illius reditibus.

Quatenus autem indulgere velint EE. Vestræ, ut consequantur Oratrices subsidia Fioccari, decernenda quoque est illorum quantitas. Cuilibet ex testamento præstari deberent scuta melitensia 500.. At creverunt reditus ad scuta circiter mille, ac præter expensas ingressus, requiruntur pro spirituali dote profitentium in Monasterio S. Mariæ Magdalenæ scuta 700. ejusdem monetæ, quæ postulant Oratrices *revera pauperes*, ut testatur Episcopus, omnique alio subsidio destitutæ.

Deliberandum itaque.

I. *An, & quomodo ex legato Malaspina sit concedendus cumulus pro dotibus meretricum, & sumptibus earum monacationis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus extensioni legatorum Malaspina, & Torres ad puellas stupratas in casu &c.*

III. *An, & quomodo subsidia dotalia Fioccari sint concedenda Oratricibus, aliisque puellis stupratis in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16. Augusti 1794. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PARMEN. REDUCTIONIS ONERUM.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

I. *An, & in qua summa sit constituendus fundus pii Operis Raffanelli in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint erogandi fructus superextantes in casu &c.*

III. *An, quomodo, & de quibus expensis sit redintegrandum Sodalitium in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum quoad futurum in casu &c.*

V. *An, & a quo tempore inceperit obligatio adimplendi eadem onera in casu &c.*

VI. *An, & quomodo sit consulendum SSmo prp absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative comprehensis etiam fructibus superextantjbus ad totum annum 1793., detractis omnibus expensis litis in summa scutorum 190. 50.

Ad II & III. Provisum in primo.

Ad IV. Affirmative quoad functiones majoris Hebdomadæ tantum.

Ad V. Affirmative à kalendis Januarii anni currentis.

Ad VI. Affirmative.

Sess.22. cap.6. de Reform.

MELEVITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

I. *An, & quomodo ex legato Malaspina sit concedendus cumulus pro dotibus meretricum, & sumptibus earum monacationis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus extensioni legatorum Malaspina, & Torres ad puellas stupratas in casu &c.*

III. *An, & quomodo subsidia dotalia Fioccari sint concedenda Oratricibus, aliisque puellis stupratis in casu &c.*

Ad I. Recurrant in casibus particularibus.
Ad II. & III. Affirmative in defectum Meretricum.

Sess.22. de observan., & evitan. in celebr. Miss., & sess. 25. cap. 4. de Reform.

ECCLESIEN. Ad involutas dissolvendas res Yglesiensis Capituli resoluta fuerunt in Congregatione 9. Septembris 1786. Dubia octo, septem nempe proposita ab Emo D. Cardinali Antonello Relatore, octavum ex officio. Alia deinde in sequelam earum resolutionum postulavit decessor Episcopus Yglesiensis per epistolam 27. Julii 1787., alia die 25. Augusti 1788. ejus Vicarius Generalis; alia die 27. Julii 1789. Vicarius Capitularis; binasque Emus Antonellus super novis postulatis addidit relationes. Factorum series erat in prima relatione, quæ sub oculos esse non poterat EE. omnium Patrum, utpote per Capitulum distributa anno 1786. seorsim a Folio. Dilata igitur fuit nova propositio, ut iterum eam Capituli Defensor cum aliis duobus mandaret typis, quum omnes in nova influerent Dubia, & incommodum esset eas inserere Folio. At post diuturnam, inutilemque expectationem, necessario ad hoc tandem expediendum negotium prima hic cum Dubiis resolutis exponitur relatio, unde integram Emi Patres habeant speciem Causæ, deinde secunda ex ordine, & tertia, quæ nova percutiunt postulata.

PRI-

PRIMA RELATIO

Emi Antonelli super resolutis.

SUper precibus Capituli ecclesiensis huic S. Congregationi persæpe oblatis, meam proferre sententiam „ jussu Vestro coactus, EE. PP., fateor equidem, tantis eas obscuritatibus, ac factorum ambagibus implicari, ut difficile sit eas, qua decet brevitate, ac „ perspicuitate Eminentiis Vestris exponere; difficillimum vero, certum, atque æquum proferre judicium. Ne tamen mandata Vestra detrectare videar, „ factum prius narrabo, deinde quid ego sentiam pro „ ingenii mei tenuitate, Eminentiarum Vestrarum accuratiori, & præstantiori judicio submittam.

Obtulit ecclesiense Capitulum jam inde ab anno 1775. „ preces P. O. M., in quibus tria postulabat. *Primo*, „ ut Apostolica auctoritate ab omni obligatione solveretur eas celebrandi Missas, quas ad hæc usque tempora celebrare prætermiserat. *Petebat præterea*, ut „ Missæ celebrandæ, aliaque pia legata ad eum numerum in posterum redigerentur, cui pares essent Capituli reditus. *Postulabat denique*, deleri omnino „ ea Missarum, aliorumque piorum operum legata, „ pro quorum implemento nullus hodie fundus existit. „ Precibus hisce a SSmo delatis ad hanc S. Congregationem, hæc censuit, literas ecclesiensi Episcopo „ pro exquirenda ejus informatione, & voto esse dirigendas. Rescripsit Episcopus, ac plura protulit, „ quę Capituli votis suffragabantur. Eminentissimo „ D. Cardinali Corsino demandatum est ab EE. VV., ut „ de postulatis Capituli, & de Episcopi informatione „ quid sentiret, Vobis referret. At ille summa, qua „ pollet prudentia, ac doctrina, nihil ratus dijudicari „ posse, nec quidquam statui ex Episcopi informatione, multorum factorum congerie implicatissima, ad „ nonnulla capita rem totam redegit, de quibus iterum Episcopum interrogandum esse existimavit, ut „ explanatior, ac magis perspicua factorum series haberetur. Optimo huic consilio adhæsit hæc Sac. Congregatio, ideoque novæ literæ Episcopo datæ sunt, „ atque de iis capitibus interrogatus, quæ Eminentissimus Corsinus proposuerat, integro fere triennio

„ nio Episcopus elaboravit, ut totum hoc negotium
„ enucleatius explicaret. In nupera enim, quam de-
„ dit epistola, exorsus ab anno 1504., de origine, ob-
„ ligationibus, ac reditibus Capituli ecclesiensis co-
„ piosissime disseruit, ac præterea transmisit commen-
„ tariolum a Capitulo efformatum, in quo quidquid
„ ab ejus tabulario ab anno eodem 1504. erui potuit,
„ compendiose refertur; denique tabellam onerum,
„ ac possessionum Capituli adjunxit.

Præstat nunc, ut Eminentiis Vestris referam, quæ Epi-
„ scopus scripsit, non eodem, ac ille, ordine (nam
„ aliquantum est perturbatus, ac obscurus) sed po-
„ tius habita rerum pertractandarum ratione, ut una-
„ quæque suo disposito loco, magis perspicua evadat
„ oratio. Ac primum de quadam, quę illuc viget,
„ consuetudine dicendum est,

Capitulum Ecclesiense anno 1504. a Civitate Sulcitana
„ per Literas Apostolicas Julii Papæ II. Yglesias trans-
„ latum est. Cum exigui, aut nulli tunc essent fru-
„ ctus in distributiones quotidianas impendendi, ex
„ quodam capitulari Statuto condito anno 1518. ap-
„ probante Joanne Pilares Episcopo tunc ecclesiensi,
„ consuetudo invaluit, ut Canonici aliquam argenti
„ vim persolverent, quæ in unum coacta acervum,
„ fructus, qui ex ea redigerentur, in quotidianas di-
„ stributiones essent partiendi inter eos dumtaxat Ca-
„ nonicos, qui argentum initio contulissent, quam
„ largitionem, *charitativum subsidium*, aut etiam *dota-*
„ *tionum massam* appellarunt. Executioni hujusmo-
„ di Statutum demandatum fuisse ab ipso sui initio,
„ affirmat Episcopus, nec tamen eamdem semper ar-
„ genti summam collatam fuisse asserit; nam anno
„ 1556. solvebantur libræ *sexaginta*, deinceps *octogin-*
„ *ta*; ab anno 1594. usque ad annum 1626. solutæ
„ sunt *trecentæ*: ab eo anno usque ad hodiernam diem
„ *quadringentæ*. Id pręterea hodie in more positum
„ est, ut ultra quadringentas libras, solvant novi Ca-
„ nonici usuras ejusdem summæ, quam pro primo
„ anno in fenore ad rationem sex pro quolibet cente-
„ nario ponere haud facile possunt; hæ vero usuræ in
„ distributiones quotidianas illius anni olim erogaban-
„ tur; nunc vero massę, seu capitali accrescunt, ita
„ ut modo non 400. libræ dumtaxat *sed* 424. circiter a

no-

„ novis Capitularibus suppeditentur. De eodem Statu-
„ to, ac consuetudine inquit Episcopus = *Etiam ho-*
„ *die nullum Canonicum ante, nec non post captam*
„ *possessionem cogi aliquid solvere, sed demum tan-*
„ *tummodo si sibi, & aliquando libuerit distributioni-*
„ *bus, quæ ex dotationum massa omnino proveniunt,*
„ *gaudere; tunc enim taxam solvere debebit, quod si*
„ *non fecerit, præbendatum Canonicum præbenda, de*
„ *stallo vero Canonici titulo, & prærogativis conten-*
„ *tos esse oportebit. Eorum, qui dotationem solvere no-*
„ *luerunt, exempla recentia sunt, quibus præter adven-*
„ *titiorum, & distributionum carentiam, nihil ulterius*
„ *jacturæ contingit.* Post nonnulla alia sic pergit Epi-
„ scopus= *A Statuto, de quo suprà mentionem fecimus,*
„ *dotandi consuetudinem constat profluxisse. Non enim*
„ *de aliqua alia inter Capitulares conventione, multo-*
„ *que minus de Apostolica approbatione usquam in an-*
„ *tiquis scripturis apparet. Illud planum est, dotatio-*
„ *ni huic suam debere subsistentiam distributionum ho-*
„ *diernarum massam, nec aliunde si paucas piorum Be-*
„ *nefactorum donationes excipiamus, nisi ex eisdem*
„ *fuisse conflatam. Certum porro est, neutiquam Præ-*
„ *decessores nostros hac super re quid edixisse, inno-*
„ *vasse, aut statuisse.*

Hæc primum de hac consuetudine dixi, quoniam erit de-
„ inceps disceptandum, an illa, ac Statutum an. 1518.
„ a quo originem trahit, sustineri possit.

Nunc de Capituli opibus, ac de legatorum oneribus dis-
„ serendum. Omnis Capituli census duo bonorum ge-
„ nera complectitur: alterum constat ex ea, de qua
„ jam memini *dotationum massa*, cujus capitale in an-
„ tiquis Capituli monumentis describitur librarum
„ 74589., alterum conficitur ex iis fundatorum largi-
„ tionibus, quę vel adscripto onere, vel etiam plena
„ liberalitate Capitulo relictæ sunt; eæque summam
„ conflant librarum 77735. Coacervatis igitur his dua-
„ bus summis, totum Capituli patrimonium constare
„ deberet in libris 152324. Attamen haud ita se res ha-
„ bet; nam duplo fere minus æstimatum modo est, ut
„ affirmat Episcopus; & præter aliquas vaccas, &
„ aliam summam librarum 26821. in fœnore positam
„ cum Civitate ecclesiensi (de qua in postremo dubio
„ agendum erit) omnis Capituli possessio non excedit
„ hodie valorem librarum 84000. circiter.

In-

Interrogatus Episcopus, quare tantam suorum bonorum „ jacturam passum sit Capitulum, ita respondit. *Evasit sane Capitulum quamplurimas temporum injurias „ in tot suis, ut fuerunt de loco ad locum translationibus, quousque in hac Civitate constitit; ast non exinde a maximis tum bellorum, tum pestis, tum archivii combustione incommodis immune servatum est. „ Non immerito igitur admixtiones, ac redituum diminutiones iis adscribendas esse censemus. Quod si addendum insuper esset immodicis expensis subjacere „ oportuisse, cum pro recuperanda proprii Episcopi „ præsentia, in Hispaniæ Regis, vel Imperatoris Aula „ supplex aliquis Canonicus manutenendus fuit, cum „ pro sui S. Patroni Antiochi corporis identitate in Romana Curia certatum est. Hæc autem retroacta ulteriora tempora respiciunt: unum tamen recentius pre„ terire non possumus quod uno ictu, ut ita loquamur, „ maximo annuo reditui Capitulari detrimento fuit, di„ minutionem videlicet anno, cujus desuper mentionem „ fecimus, 1768. censuum de 8. ad 6. Lege Regia conse„ quutam. Vi ipsius namque ex hujus moneta librarum „ sex millium summa, quæ quotannis Capitulo venire „ poterat mille quingentis derelictis, quatuor millibus, & „ quingentis contentum esse oportuit. Quid quod, si fi„ des præstanda sit libro, in quo census Capituli deno„ tantur, mirum videri potest, quot census ex constitutis tantummodo ab anno post contagium, videlicet „ 1657. usque ad annum 1750. inexigibiles passim in„ veniantur. Ibi enim facile erit reperire tot census, quos „ redemptos esse non constat, & multa millia librarum „ proprietates, ut putatur, deperditæ facile exequant. „ Hæc in medium protulimus, ut conjici liceat capitalium, fructuumque decrementum, nulla penitus Ca„ nonicorum culpa contigisse, sed in tanto temporum „ curriculo* [*agitur namque ab anno* 1504.] *humanis vicissitudinibus adscribendum*.

Neque vero sola bonorum Capituli jactura a Vobis EE. „ PP. est in hac Causa consideranda: habenda etiam „ ratio est permixtionis, ac confusionis eorumdem „ bonorum. Neque enim, ut decebat, bona, quæ „ Capitulum ex massa dotationum comparavit, ab „ aliis distincta sunt, quæ legata, aut donata fuerunt

„ runt pia Fidelium liberalitate. In unum acervum
„ omnis collata pecunia est, & sine ulla distincta ad-
„ notatione originis pecuniarum investimenta nomine
„ Capituli confecta sunt, itaut exceptis quibusdam re-
„ centioribus legatis, impossibile modo sit separa-
„ re bona, quæ dotationibus, aut quæ legatis sunt
„ adscribenda: atque id unum certum manet, totum
„ ces Capituli censeri hodie in libris circiter 84000.
„ Procuratorum Capituli incuria in describendis, ad-
„ notandisque legatis id accidisse testatur Episcopus
„ his verbis = *Quod si eis (idest Canonicis) aliquid*
„ *appingi deberet, id in adnotandis seorsim censibus*
„ *aut pecuniis a Benefactoribus oblatis, aut in reci-*
„ *piendis tam faciliter quantitatibus nullo præsidio fultis*
„ *consisteret. Sed primum pestis infortunio, aut ar-*
„ *chivii incendio, quorum vi documenta perierunt vi-*
„ *detur tribuendum. Secundum antiquæ simplicitati*
„ *donamus potius, quam culpæ adscribimus. Anti-*
„ *quæ diximus: modernis siquidem temporibus, quæ*
„ *bona percipiuntur, diversimode adnotantur.*
„ At si dignosci hodie nequeunt, nec secerni bona Capi-
„ tuli, quæ legatis obnoxia sunt, aut quæ massæ do-
„ tationum sunt adjudicanda, innotesceret saltem,
„ quot aut quæ sint onera, quibus satisfacere Capitu-
„ lum debeat. At id quoque initio visum est Epi-
„ scopo fere impossibile. In priori enim epistola scri-
„ pserat, Missas a Capitulo celebrandas ascendere ad
„ numerum 12684. Interrogatus autem, quo fundamen-
„ to niteretur calculus ille, & quibus documentis
„ confirmaretur, respondit = *conjecturabiliter se as-*
„ *seruisse; nec enim ex documentis legitime deduci posse*
„ *plures ne essent Missæ, an pauciores, unde relative*
„ *ad fructus sortis a Capitulo perceptæ, numerum quo-*
„ *que Missarum efformasse* = At postmodum perlu-
„ strato Capituli tabulario, pervolutisque codicibus,
„ scripsit, ex quodam vetusto indice, aliisque archi-
„ vii libris efformatam a Canonicis fuisse tabellam
„ onerum, quibusdam etiam explanationibus illustra-
„ tam, quam suis literis alligavit. In hac autem ta-
„ bella prescriptus est numerus Missarum 13595.
„ singulis annis celebrandarum. Quibus autem mo-
„ numentis, aut juris, aut facti id a Capitulo affir-
„ mari posset, fateor, quamvis centies tabellam, ac ex

„ explanationes perlegerim, haud tamen unquam
„ plane cognitum, ac comprehensum habuisse. Ita-
„ que ut nulli parcerem diligentiæ, ad Me vocavi ne-
„ gotiorum Gestorem Episcopi hic in Urbe degentem,
„ eique tradidi folium, in quo quædam postulata ad
„ majorem totius negotii explanationem proposui, ut
„ illis Episcopus satisfaceret. Respondit Episcopus sub
„ die 28. Aprilis hujus anni, postulatisque aptas res-
„ ponsiones adjecit, in quibus quamvis nonnulla me-
„ lius explicarentur, haud tamen satis perspicue, ut
„ liquido omnia paterent, quæ ad Causam essent ne-
„ cessaria. Supervacaneum putavi novas quærere
„ explanationes: nihil enim Episcopus, nihil Cano-
„ nici prætermiserunt, quominus accuratam rerum
„ omnium rationem exhiberent. Triennio laborarunt
„ in archivii libris evolvendis; fatentur ingenue =
„ *non poter dare maggior schiarimento al soggetto,*
„ *del qual trattasi*. Semel, iterum, ac tertio ad no-
„ stra interrogata, quantum per ipsos licuit, clare
„ responderunt: itaque si quid ulterius exponerent,
„ tenebras potius, quam lucem intricatissimæ huic
„ Causæ allaturos existimo. Experiar ego, & dicam
„ si potero planius quidquid ab illis obscurius dictum
„ est, neque tamen aliquid proferam de ingenio meo,
„ sed quod longo studio, ac meditatione ex multis
„ potui colligere, ac tanquam rerum quædam capita
„ statuere.

„ Ac primum illud, quod mox judicavi, repetendum
„ puto, tabellam hanc, de qua nunc quærimus non
„ iis niti documentis, quibus tuto insistere possimus,
„ ad legatorum numerum, atque onus præfiniendum.
„ Idipsum fatentur Canonici in ejusdem tabellæ expla-
„ natione. Sic enim ajunt = *In questo ristretto* (idest
„ in tabella) *si contengono le Messe, e legati, dei*
„ *quali si è potuto rintracciare qualche vestigio negli*
„ *antichi documenti, che sebene non gli si deve intera*
„ *fede nell' esattezza; sono i soli, ai quali ci possiamo*
„ *appoggiare per difetto di altri*. Addunt præterea,
„ tam vetustum illum indicem, quem supra comme-
„ moravi, quam alios ejusdem Capituli libros mancos
„ esse, ac mutilos, nec unum cum alio cohærere: ne-
„ que enim diligenter onera esse descripta, aut sum-
„ mam pecuniæ collatam fideliter fuisse adnotatam.

Si

„ Si prȩterea singula tabellæ capita perscrutemur,
„ gravioribus implicabimur difficultatibus. Nam par-
„ titæ simul collectæ, non eumdem conficiunt Missa-
„ rum numerum, quem Canonici constituunt, sed
„ multo minorem; causamque mihi ab Episcopo quæ-
„ renti, cur hæc inter calculos discrepantia adesset,
„ respondit, id derivare = *primo perchè nel numero del-*
„ *le Messe fissato dal Capitolo, vi sono comprese le*
„ *Messe solenni, alle quali corrisponde una limosina*
„ *più avanzata delle Messe piane. Secondo perchè il*
„ *salario di sette, e mezzo per cento, che si suol dare*
„ *al Collettore dei crediti, viene naturalmente in dimi-*
„ *nuzione del totale, onde non potrà stabilirsi il frutto*
„ *netto, se non con queste detrazioni. Terzo, perchè di-*
„ *versi legati furono costituiti nella loro fondazione,*
„ *con limosina più pingue* = quæ tamen responsio du-
„ bium non elevat; nam interrogabatur Episcopus
„ non de discrepantia inter quantitatem redituum, &
„ Missarum numerum a Capitulo præfinitum, sed de
„ numero Missarum, quem majorem Canonici consti-
„ tuunt, quam qui est in tabella descriptus. Præte-
„ rea nonnullæ partitæ in tabellam relatæ non indicant,
„ quot Missæ præcise sint celebrandæ, sed generatim
„ *per Messe basse*, aut etiam *per carità, per la sua ani-*
„ *ma*, Cum igitur desperarem, nemine commonstran-
„ te viam, ex tantis difficultatibus emergere, quibus
„ nec Episcopus, nec Capitulum sese expedire potuis-
„ sent, constitui eum amplecti Missarum numerum,
„ quem Canonici statuissent. Is est Missarum 13595.
„ quotannis celebrandarum: nimirum solemnes 592.
„ Anniversaria 524; lectæ vero 12435., quibus adden-
„ dæ sunt aliæ annuæ 44. a Canonicis in actu dotatio-
„ num præscriptæ. Omnis autem abest suspicio, Cano-
„ nicos numero Missarum quidquam subdole, aut ne-
„ gligenter detraxisse. Nam in primis in omnibus,
„ quæ huic S. Congregationi exposuerunt, quaqua-
„ versus se prodit bona fides, ac veritas: deinde *si*
„ *ineantur calculi, minor emergeret Missarum numerus*
„ *qui colligitur ex descriptionibus* singulorum legato-
„ rum, prout in vetustis libris, de quibus memini, ad-
„ notantur, quam qui a Canonicis constitutus est. Tan-
„ dem Episcopus ipse adhæret Canonicis, probatque
„ tabellam ab ipsis efformatam.

„ Constabilito Missarum numero, necessarium secun-
„ do loco mihi videtur inquirere, quæ legata fun-
„ dum hodie tum habeant superstitem. Satis enim
„ teneo morem, ac legem hujus S. Congregationis
„ numquam ea legata delendi, quibus implendis opes
„ suppetunt, quamvis exiguæ. In hac autem pro-
„ vincia haud passi sunt Episcopus, ac Canonici offi-
„ cium suum desiderari. Quælibet enim legata
„ vel Missarum, vel aliorum onerum Capitulo im-
„ positorum, pro quibus fundus, vel totus, vel ejus-
„ dem pars manet adhuc integra, in distinctam clas-
„ sem descripserunt; atque præterea quædam etiam
„ legata a reliquis sejunxerunt, quæ Episcopus non
„ extingui, sed sarcta tecta servari postulat, *come uti-*
„ *li al Popolo, è alla Chiesa*, aut quorum fundus non
„ solum adhuc extat, sed etiam a reliquo Capituli pa-
„ trimonio secernitur.

„ Hæc in facto prænotanda putavi EE. PP., ut quid il-
„ lud sit, de quo disputamus, explanetur, ne vaga-
„ ri, & errare cogatur oratio. Nunc vero super Ca-
„ pituli precibus quædam disputationum capita con-
„ stituenda sunt, ut omnes illud, de quo judicium
„ ferendum est facile intelligant. Satius fuisset, si
„ emeritissimus Secretarius noster tam implexam,
„ multiplicemque quæstionem diligenter, ac docte
„ uti solet, in folio ab EE. VV. definiendam propo-
„ suisset, prout mihi etiam num postulare res ipsa vi-
„ detur, & ut fieret, vehementer optarem: aliorum
„ enim judicium potius expectare mallem, quam meum
„ proferre, & Vestra sapientia præsertim mihi opus
„ esset EE.PP., qua duce, totum hoc negotium expe-
„ diri posset. Verum, quoniam sententiæ, & opi-
„ niones meæ participes esse voluistis, nihil occulta-
„ bo, & pro ingenii mei tenuitate Vobis exponam quid
„ de una quaque re sentiam.

„ Sint itaque Dubia.

„ I. An sit consulendum Sanctissimo pro condonatione
„ Missarum, atque onerum Capitulo præterito tem-
„ pore non impletorum?

„ II. An sit toleranda consuetudo, quod Capitulares in
„ ingressu solvant libras quadrigentas, seu verius 424.
„ ad augendam, & conservandam massam distributio-
„ num quotidianarum, prout in casu, ita ut qui

non

„ non solverit, omni penitus quotidianarum distribu-
„ tionum fructu privetur?
„ III. Et quatenus negative respondendum sit; quonam
„ modo ea distributionum massa confici debeat?
„ IV. An pia legata tam Missarum, quam aliorum one-
„ rum, quæ dubia, & incerta sunt, quæque non ha-
„ bent peculiarem fundum superstitem, sint penitus
„ delenda juxta Capituli preces, seu potius reducenda,
„ & quomodo?
„ V. An sint præservanda legata, quæ peculiarem ha-
„ bent fundum adhuc superstitem, nec cum reliquis
„ Capituli bonis confusum; & quatenus imminuti sint
„ reditus, an, & quomodo sint reducenda?
„ VI. An legata, quæ ad Populi, & Ecclesiæ commo-
„ dum, & utilitatem instituta sunt, sint servanda,
„ aut etiam reducenda?
„ VII. Quid decernendum de capitali, ac fructibus libra-
„ rum 26821., quæ fænori datæ sunt Communitati
„ Yglesiarum?
„ Et quoad primum Dubium attinet, respondendum cen-
„ serem = *Affirmative*, *& ad Secretarium cum San-*
„ *ctissimo* = Peccarunt sane Canonici, qui annua
„ 13595. Sacra peragere, aliaque pia opera adimple-
„ re, sicuti tenebantur, prætermiserunt. Sed multa
„ sunt excusatione digni; primum quidem quia in
„ maxima ignoratione versabantur oneris Capitulo
„ impositi, quod nonnisi post diuturnam plurium an-
„ norum investigationem ex archivii libris didicerunt.
„ Deinde attritæ communes opes, fundi deperditi, ac
„ permixti, usuræ censuum Lege Regia imminutæ
„ aliquam ipsis causam prætexebant, ut remissiores,
„ ac negligentiores essent in celebratione Missarum.
„ Tandem consuetudo invaluerat, ut viginti ex Ca-
„ pitularibus singuli celebrarent quotannis Missas cen-
„ tum viginti pro Benefactoribus, comprehensis Mis-
„ sis conventualibus, ideoque peracta celebratione an-
„ nua Missarum bis mille quadrigentarum, ab omni
„ alio onere se solutos arbitrabantur. De hac consue-
„ tudine sic inquit Episcopus = *Totum id, non alio pa-*
„ *cto servatur, nisi quod a Majoribus id ita fieri tradi-*
„ *tionem accepisse Canonici asseverant. Quando vero,*
„ *aut qua ratione designatio ista præfatarum Missarum*
„ *initium desumpserit, plane ignoratur; fuisse tamen*

fun-

„ *fundamentum videtur, Canonicorum animus, potia-*
„ *ri, quo possent modo legatis satisfaciendi* = Ne igi-
„ tur recentiores Canonici negligentiæ veterum Ca-
„ nonicorum pœnas luant, ignosci iis posse existimo,
„ quod Majorum suorum vestigiis insistentes, paucio-
„ res, quam par erat, Missas celebraverint. Levis
„ enim est culpa, cui diuturna consuetudo, ac Ma-
„ jorum exemplum occasionem præbet.

„ Dub. II. *An sit toleranda consuetudo, quod Capitula-*
„ *res in ingressu solvant libras quadrigentas, seu ve-*
„ *rius* 424. *ad augendam, & conservandam massam*
„ *distributionum quotidianarum, prout in casu, ita*
„ *ut qui non solverit, omni penitus quotidianarum di-*
„ *stributionum fructu privetur?*

„ Quod vero ad Dubium secundo loco propositum spe-
„ ctat, respondendum esse ducerem = *Negativè* = Ve-
„ rum, ut hujusce consuetudinis absurditas recte agno-
„ scatur, illud est memoria repetendum, Ecclesiense
„ Capitulum componi ex Archipresbytero, XVII. Ca-
„ nonicis, & quatuor Beneficiariis, quorum quilibet
„ in primo ingressu sexaginta libras antiquitus per-
„ solvere solebat pro massa distributionum, quæ
„ temporis decursu usque ad octoginta, deinde
„ etiam ad CCC., ac demum in præsens ad CCCC.
„ adauctæ sunt. Nunc vero his etiam adiicitur, ut
„ novi Capitulares annuos ejusdem summæ fructus
„ massæ distributionum solvere debeant ad rationem
„ sex pro quolibet centenario, ne si forte Capitu-
„ lum infra unius anni spatium supradictas CCCC.
„ libras nondum in fœnore collocasset, hoc etiam fru-
„ ctu minime careat. Qui vero ex Capitularibus hanc
„ in ingressu summam non solverit, nec quidquam
ex distributionibus modicum percipit; atque ita qui-
„ dem, ut si suo Sacerdotio præbenda adjuncta
„ non fuerit, omni penitus servitii lucro desti-
„ tuatur.

„ Nemo autem est, qui non videat, quantum hujusmo-
„ di consuetudo æquitati, notisque S. Pii V., & In-
„ nocentii XII. Constitutionibus Apostolicis adverse-
„ tur. Siquidem æquitas ipsa suadet, ut qui *Alta-*
„ *ri servit, de Altari viveret debeat*, quemadmodum
„ dicit Apostolus. Quare si Canonici, aut Benefi-
„ ciarius in Divinis Officiis, quæ quotidie in choro

ce-

„ celebrantur aliorum instar inservit, & quibuslibet
„ processionibus, seu funeribus interest, absonum
„ certe est, & æquitate minus obnoxium, ut ab om-
„ ni distributione arceatur, ea tantum de causa, quod
„ primo ingressu CCCCXXIV. librarum summam
„ nequaquam persolverit. Hæc enim pæna, velit no-
„ lit, Capitularem ad ejusdem summę solutionem pro-
„ fecto coarctat.

„ Verum hujusmodi consuetudo æque opponitur Consti-
„ tutioni *Durum nimis* S. Pii V., quam Innocentius
„ XII. confirmavit. Ibi enim, etsi juxta Concilii
„ Tridentini decretum *Sess.* 24. *cap.* 14. nonnullæ sub-
„ ministrationes permittantur, quas pro piis usibus
„ novi Capitulares elargiuntur, præcipitur tamen,
„ eas unius tantum semestris fructum excedere mini-
„ me posse, ut recte animadvertit Benedictus XIV.
„ *de Synod. lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 8.

„ Quæ cum ita sint, cum dubitari nequeat, CCCCXXIV.
„ libras, quas primo ingressu Canonici, & Benefi-
„ ciari modo persolvunt, biennii fructum absorbere,
„ ut in sequenti Dubio demonstrabimus; quisnam hu-
„ jusmodi consuetudinem tolerandam esse dixerit, et-
„ si ex Statuto anni 1518., quod tunc Episcopus con-
„ firmavit, derivatam esse contendat? Nam in pri-
„ mis Statutum nonnisi LX. librarum subministratio-
„ nem permisit, quæ fortasse tunc annui Canonica-
„ tuum fructus medietatem non excedebat, ideoque
„ tolerari, ac permitti poterat. Præterea minime
„ constat, hujusmodi solutionis onus fuisse impositum
„ ea lege, quæ nunc est in usu, quod si quis se-
„ cus fecerit, quolibet chori, etiam fortuito emolu-
„ mento carere omnino debeat. Hoc enim illud est,
„ quod in hac Capituli ecclesiensis consuetudine, ma-
„ xime reprehendi debet, quodque tum Tridentino
„ decreto repugnat, in quo reprobantur constitutio-
„ nes, & consuetudines, ob quas novis Canonicis ali-
„ qua pars proventuum subtrahitur, *& quædam fiunt*
„ *deductiones ex fructibus* in alios dividendæ, tum etiam
„ Pianæ Constitutioni, in qua quælibet *ad distribu-*
„ *tiones quotidianas lucrandas adjectæ conditiones* im-
„ probantur. Neque obstat, Statutum hujusmodi con-
„ ditum fuisse ante Concilium Tridentinum, atque
„ Episcopi auctoritate, & subsecuta consuetudine ro-

bo-

„ boratum . Certum enim est , Pianam Constitutio-
„ nem Statutis omnibus , etiam austoritate Apostolica
„ confirmatis , plane derogasse . Quare Capitulum ,
„ neque in centenaria consuetudine , neque in vetu-
„ stissimo Statuto confugium habere potest .

„ Neque audiendus est Episcopus , qui , ut supra dixi-
„ mus , affirmavit , nullo pacto Capitulares ad eam-
„ dem librarum CCCCXXIV. solutionem obligari ,
„ adeo ut revera non nemo eorum transactis tempo-
„ ribus liberam Canonicatus , aut Beneficiatus posses-
„ sionem inierit , quin unquam ad eamdem summam
„ persolvendam coactus fuerit . Quid quid enim re-
„ troactis temporibus gestum fuerit , certum tamen
„ est , omnes , quotquot hodie sunt de gremio Capi-
„ tuli , eamdem summam persolvisse , & si quis nunc
„ ad Capitulum admitteretur , ad eamdem solutionem
„ omnino teneretur , ni vellet , non solum quotidianis
„ distributionibus perpetuò carere , sed etiam perexi-
„ guis emolumèntis processionum , & funerum , itaut
„ si peculiarem præbendam , de qua inferius redibit
„ sermo , non obtinuerit , absque ullo prorsus com-
„ pendio quotidiano chori servitio astringeretur . Hoc
„ autem quod sane est , nisi Canonicos , aut Beneficia-
„ rios coarctare , ut , si velint ad Capitulum admitti ,
„ ejusque commodis , ac lucris frui , perscriptam solu-
„ tionem præstare omnino adigantur ?

„ Dubium III. *Et quatenus negativè respondendum sit* ;
„ *quonam modo ea distributionum massa confici de-*
„ *beat* ?

„ Jam verò ad tertium Dubium progrediamur . Equidem
„ hoc modo respondendum arbitrarer = *Prævia sana-*
„ *tione impetranda a Sanctissimo , applicandam esse*
„ *massæ distributionum medietatem omnium capita-*
„ *lium , & fundorum Capituli nunc existentium , re-*
„ *licta alia medietate pro legatis piis , & in posterum*
„ *obligandos esse omnes Capitulares , ut in eorum in-*
„ *gressu mediam annatam eidem massæ distributionum*
„ *dimittere teneantur ; quod si reditus adhuc ad con-*
„ *gruam quotidianarum distributionum taxam non*
„ *sufficiant , Episcopus pro sui arbitrio , & conscientia*
„ *utatur aliis remediis à Concilio Tridentino præscri-*
„ *ptis cap. 3. sess. 21. & 22. , & cap. 15. sess. 24. de*
„ *reformat.*

„ Plu-

„ Plures in partes hoc responsum dividitur, quarum sin-
„ gulas examinandas aggredior . Et quoad primam,
„ nempe quoad sanationem a Sanctissimo impetran-
„ dam, hæc mihi videtur omninò pernecessaria, ut
„ quod à Canonicis, cum primum in Capitulum ad-
„ missi sunt, nullo plane jure persolutum est, tan-
„ quam legitimum reputetur. Facilem puto ad libe-
„ ralitatem Principis animum fore: nam quamvis pe-
„ ractæ à Canonicis solutiones inter eas numerari de-
„ beant, quas Pii V., & Innocentii XII. Constitutio-
„ nes expressè rejiciunt, tamen cum pecunia ex his so-
„ lutionibus coacervata, & in massa capitulari im-
„ mixta, & confusa separari minimè possit, indul-
„ gendum sanè videtur, ut quod lubenti animo Ec-
„ clesiæ præstitum est, quamvis minus rectè exactum,
„ ejusdem Ecclesiæ commodo cedat, & incremento.
„ Idque potissimum, quia nemo est, nec reperiri for-
„ tasse poterit, qui jure postulet restitutionem. Præ-
„ terea quum retroactis temporibus LX., aut LXXX.
„ libras Canonici in eorum ingressu persolverent, ea-
„ que summa medietatem fructuum unius anni fortasse
„ non excederet, neutiquam harum subministrationum
„ restitutio facienda esset, quoniam, ut supra monui,
„ nec Tridentino Concilio, nec Apostolicis Constitu-
„ tionibus modica intra medietatem fructuum unius
„ anni largitio repugnaret. Addo etiam, quod si in-
„ gens subministrationum capitale ab ecclesiensi Capi-
„ tulo auferretur, *sarebbe per evidenza*, uti Episcopus
„ affirmat, *sensibile lo scadimento del medesimo Capi-*
„ *tolo nei redditi delle distribuzioni, onde ne verrebbe*
„ *l' abbandono del coro, e minoramento del Divino*
„ *culto*, quod sane, quantum fieri potest, minime est
„ tolerandum, ne sublatis Divinis Officiis, quæ ha-
„ ctenus Canonici celebrare consueverunt, illustri, ac
„ pervetustæ Cathedrali ecclesiensi de suo splendore,
„ cultuque detrahatur. Tandem quia, his omnibus
„ circumstantiis insimul concurrentibus, sæpius ab
„ hac Sacra Congregatione consultum est, ut a benigni-
„ tate, & indulgentia Sedis Apostolicæ hujusmodi re-
„ missiones, ac condonationes impetrarentur.
„ Jam vero impetrata a Sanctissimo hujusmodi solutionum
„ condonatione, ac remissione favore Capituli, nunc
„ est investigandum, quantum ex toto Capituli cen-
„ su, qui, ut jam supra dixi, conficit summam li-

„ brarum 84000. pro distributionibus quotidianis assi-
„ gnari possit, quantum vero legatis piis, aliisque
„ religiosarum fundationum oneribus sit adjudican-
„ dum. Equidem censerem, in æquas partes totum
„ Capituli patrimonium (demptis, ut infra monebo,
„ fundis peculiarium legatorum satisfactioni addictis)
„ dividendum esse. Nam juxta acceptilationes a Ca-
„ nonicis recens confectas, & tabularii documentis
„ confirmatas, sacræ largitiones pro piacularibus Sa-
„ crificiis, aut aliis piis oneribus, summam libra-
„ rum 77735. & 7. obolorum componunt. Contra
„ vero subministrationes a Capitularibus *in massa do-*
„ *tationum* huc usque collatæ, conflant summam li-
„ brar. 74539., & obol. 10. Itaque cum æqualis fere
„ tam a largitionibus sacris, quam a dotationibus con-
„ gesta pecunia fuerit, eaque modo ad medietatem
„ quasi imminuta, vix conflet summam librar. 84000.;
„ æquum profectò, ac consentaneum est, quod altera
„ medietas *massæ distributionum* assignetur, altera
„ piorum legatorum satisfactioni destinetur.

„ Neque injuria, aut nimio piacularium suffragiorum de-
„ trimento in æquas partes divisionem fieri, quispiam
„ opponat. Certum in facto est, antiquorum Cano-
„ nicorum incuria collatam olim fuisse in unum acer-
„ vum pecuniam tam ex dotationibus derivatam, quam
„ quæ ex piorum Benefactorum liberalitate profecta
„ est. Compertum quoque ex Episcopi relatione, ob
„ varias temporum injurias, ac vicissitudines, ob im-
„ modicos sumptus, aliasque causas Capituli patri-
„ monium attritum fuisse, atque in communi fato,
„ parem tam legatorum, quam dotationum fuisse
„ jacturam. Hoc autem cum ita sit, omnis æqui, bo-
„ nique ratio suadet, ut quidquid superest, in æquas
„ partes dividatur, ne quispiam plus detrimenti ca-
„ piat, & in una, eademque causa dispar sit utriusque
„ fortuna.

„ Neque urget potissima, quam semper fovet hæc Sacra
„ Congregatio, piacularium Sacrificiorum conditio.
„ Ea enim locum habere posset, si uno, eodemque
„ fundo tam pro Sacrificiis, quam pro aliis piis Ope-
„ ribus legato, reditus utriquè ferendo oneri impares
„ essent, ut alterum deleri oporteret, servari alterum.
„ Tunc enim cetera potius onera, quam Sacrificia
„ abrogari par esset. At vero in ea, in qua versamur

„ Ec-

„ Ecclesiensis Capituli causa, certi quidam fundi con-
„ stituti sunt pro legatis piis, certi pariter pro *massa*
„ *dotationum* in distributiones quotidianas erogandarum
„ comparati. Cum verò transactis temporibus commixta
„ omnia, & confusa fuerint, nec possibile sit rationes
„ hodie dispungere, sed illud dumtaxat constet, quod
„ sortes tam legatorum, quam dotationum pares ab
„ initio fuerint, atque etiam æqualis non vitio recen-
„ tiorum Canonicorum, sed potius temporum injuriis
„ adscribenda jactura contigerit, consequitur, ut par
„ etiam esse debeat divisio reliqui, ne quispiam alieno
„ damno locupletetur; & quod maxime est animadver-
„ tendum, ne præclarum Collegium Canonicorum in-
„ tereat, vel quotidianis distributionibus, contra Tri-
„ dentini Concilii sanctionem careat.

„ Verumtamen si quis scrupulosus observator quæreret,
„ cur in æquas partes divisionem fieri debere censeam,
„ quamvis fors legatorum valore 3100. librarum,
„ eoque amplius dotationum sortem excedat, facile
„ possem respondere, id non temere, atque incon-
„ sulto, sed jure optimo a me exstimari. Nam etsi
„ maxima cum diligentia nuper a Canonicis perlustrato
„ tabulario, expunctisque rationibus, sortes *dotationum*
„ in valore librarum 74639., & sortes *legatorum* in va-
„ lore librarum 77745. constituta fuerint, attamen
„ ipsimet Canonici, atque etiam Episcopus fassus
„ est, haud certo id posse affirmari. Vitiati enim
„ sunt, & mutili codices, monumenta ex ipsis excer-
„ pta dubia, atque incerta, quemadmodum in enarra-
„ tione facti commemoravi. Ajunt præterea = *in detti*
„ *libri molti legati sono così dubbj, che non si compren-*
„ *de, se siano di Messe, ò donazioni libere fatte al Ca-*
„ *pitolo: altri notati in una maniera, che non si sà,*
„ *se siano nuova fondazione, o pure restituzione de'*
„ *censi fondati anticamente* = nonnulla quoque legata
„ descripta sunt *per Messe basse*, sed certus Missarum
„ non præfinitur numerus, neque constat, an perpe-
„ tuæ fuerint, vel una dumtaxat vice celebrandæ; alia
„ generatim, atque indistincte adnotantur *per carità*,
„ *per l'anima sua*; alia denique fundos exigui reditus
„ habuisse compertum est, ideoque impares omnino
„ fuisse tot Missis celebrandis, quot a Testatoribus
„ præscribebantur.

„ Contra vero iidem Canonici, comprobante Episcopo,
„ affirmant, *dotationum* quas identidem Canonici

„ persolverunt, elenchum desiderari, qui si adfuisset,
„ & diligenter in eo descriptæ fuissent omnium Cano-
„ nicorum *dotationes*, atquæ illæ præsertim factæ post
„ annum 1592. in summa libr. 300., aut 400. ab uno-
„ quoque Canonico, *massa dotationum*, multo locu-
„ pletior fuisset altera *legatorum*. Addunt etiam, in-
„ certum quoque esse, an inter bona, quæ nunc a Ca-
„ pitulo possidentur, nonnulli adhuc ex illis fundis su-
„ persint, quos in vetustiori Salcitanorum Ecclesia
„ habebat, quemadmodum Episcopus ipse suspicatur.
„ In tanta igitur rerum, atque factorum perturbatio-
„ ne, & obscuritate, in tanta bonorum jactura, &
„ imminutione, veteribus fundationum monumentis,
„ aut excisis, aut deperditis, oneribusque perscri-
„ ptis, aut incertis, aut etiam fortasse deletis, satis
„ mihi consultum videtur piis Defunctorum voluntа-
„ tibus, si totum quod superest Canonicorum capitale,
„ in æquas partes inter *massas dotationum*, & *lega-*
„ *torum* dividatur; quamvis si sortium utriusque ratio
„ habetur, hæc illam superet valore librarum 3100.
„ Modica hæc, exiguaque detractio perpetua, stabi-
„ lique in posterum legatorum satisfactione compensa-
„ bitur; ac præterea cum Missa conventualis pro
„ cunctis Benefactoribus in choro quotidie offeratur,
„ omnes piorum Fundatorum Animæ, præter peculia-
„ rium Sacrificiorum, communi hoc, generalique suf-
„ fragio perfruentur.

„ Ex æquali hac divisione bonorum inter *massam dotatio-*
„ *num*, atque *legatorum* illud consequi, nisi me mea
„ fallit opinio, videtur, ut eo modo, quo attritæ Ca-
„ nonicorum vires sinunt, tam legatorum piorum exe-
„ cutioni, quam conservationi perillustris Capituli,
„ ac Divinorum Officiorum celebrationi prospiciatur.
„ Nam si omnia Capituli bona legatis piis adjudicaren-
„ tur deficerent omnino quotidianæ distributiones,
„ atque propterea Capitulum interiret. Si autem
„ è contra omnia in suam utilitatem Capitulum con-
„ verteret, legata penitus abrogarentur. Itaque cum
„ utrumque mihi vitandum, declinandumque videatur,
„ media quædam ineunda est via, qua utrique, quan-
„ tum fieri potest, fiat satis.

„ Postulat sane Episcopus, ut plane deletis legatis supe-
„ rioris sæculi, omnes Capituli reditus, qui ex per-
„ mixto, confusoque patrimonio percipiuntur, distri-
„ butionibus quotidianis adjiciantur, alioqui affirmat=

„ che

„ *che sarà sensibile lo scadimento del Capitolo ne' redditi*
„ *delle distribuzioni, da che ne derivarebbe l'abbandono*
„ *del coro, e il deterioramento del Divin culto* =. At-
„ tamen nequeo ipsius votis obsecundare. Ducto enim
„ calculo emolumentorum, quæ quilibet Capitularis lu-
„ crabitur, quamvis ad medietatem juxta propositam
„ a Me divisionem *massa distributionum* reducatur,
„ tantum superesse videtur, quantum satis est ad
„ chori servitium honesta aliqua mercede compensan-
„ dum. Unusquisque enim Capitularis ex massa com-
„ muni modo percipit libras 172.; ex fructibus vac-
„ carum alias libras 7., ex fœnore capitalis cum Civi-
„ tate Yglesiensi investiti, aliquid identidem lucrantur
„ Canonici, ac tandem habent temporaria processio-
„ num, ac funerum emolumenta, ideoque integer
„ uniuscujusque Capitularis reditus est librarum 180.,
„ eoque amplius. Onus tamen impositum est singulis
„ celebrandi Missas 120. in piorum legatorum satisfa-
„ ctionem. Quapropter si bifariam partiantur bona
„ Capituli, quemadmodum mea est opinio, singulis
„ obvenient annuæ libræ 90., nullo Missarum onere
„ gravatæ, præter Missas conventuales, quæ inter
„ viginti duos Capitulares distributæ, onus valde exi-
„ guum important, ac præterea aliqua eleemosyna
„ ex quodam legato Thomæ Pisani compensatur. At
„ vero 90. libræ, quæ respondent circiter scutis 30.,
„ satis mihi esse videntur ad distributiones quotidianas.
„ Illud enim est præterea animadvertendum, quod ex
„ viginti duobus Capitularibus, duodecim ultra distri-
„ butiones præbendis etiam potiuntur, quarum aliquæ
„ sunt 60., aliæ 70., & 80., & 500. scutatorum mo-
„ netæ Sardicæ.

„ Cum in hoc statu igitur res Capituli sint, injuria mihi
„ postulari videtur, quod legata superioris sœculi pe-
„ nitus abrogentur, ut pinguiores distributiones Cano-
„ nici lucrentur. Illud tamen, quod in responsione ad
„ II. Dubium indicavi, permittendum censeo, ut mas-
„ sa distributionum jus habeat exigendi a quocumque
„ novo Capitulari mediam annatam proprii Canonica-
„ tus, aut Beneficiatus. Namque id, non modo Pia-
„ næ Constitutioni non repugnat, sed imo consenta-
„ neum est. Quamvis enim jubeat, ut media annata
„ *Sacristiæ*, vel *Fabricæ* tantummodo assignetur, ta-
„ men cum ibi continuo subjungatur, *vel alterius pii*

„ *Loci*

„ *Loci usibus*, argui rectissime potest, alios ejusdem
„ Ecclesiæ usus a Pontifice Pio minime prohibitos fuis-
„ se. Et sane Concilium Tridentinum, cujus se ve-
„ stigiis insistere SS. Pontifex profitetur, *in sess.* 24.
„ *cap.* 14. *de reformat.*, eas novorum Canonicorum
„ subministrationes generatim admittit, quæ *in usus*
„ *pios convertuntur*. Ac propterea, si nemo inficias
„ iverit, piissimi usus profecto esse, quod cedit Di-
„ vini cultus amplificationi, quis non hujus generis
„ agnoscat massæ quotidianarum distributionum au-
„ ctionem, quibus ad Divinorum Officiorum frequen-
„ tiam Canonici alliciuntur? quemadmodum recte
„ animadvertunt *Ceccoper. lucubr. can. tom.* 1. *lib.* 2.
„ *tit.* 8. *num.* 40., & *Reinfestuel. in jus can. tom.* 3.
„ *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 169.. Quare nihil omnino veren-
„ dum est, quod si media hæc annata Divini cultus
„ amplificationi, ac ut accuratius Capitulares chori
„ servitio incumbant, erogetur, Piani diplomatis
„ voluntas infringatur, ut docent *Spada consil.* 154.
„ *tom. primo*, *Pitonius discept. Eccles.* 57. *num.* 8., *Gar-*
„ *zia de Benefic. part.* 8. *cap.* 10. *num.* 90., *Barbos.*
„ *adnot. ad sess.* 24. *cap.* 14. *Tridentin.*, & *Graff.*
„ *decis. aut. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 96. *num.* 49.. Accedit
„ demum, quod fabrica Ecclesię, & Sacrarii supellex
„ suos habent reditus ex spoliis Episcoporum, & ex
„ fructibus tempore vacationis Episcopatus percipien-
„ dis, ideoque, ut inquit ecclesiensis Antistes, non
„ indigent media annata, quam in eos usus præsertim
„ erogari voluit S. Pius V., & Benedictus XIII. in sua
„ Constitutione *Pius*, & *misericors* pro tota Italia, &
„ & Insulis adjacentibus, quæ prostat *num.* 4. *in Ap-*
„ *pendic. Concilii Romani*. Minus itaque alienum est
„ ab eorumdem Summorum Pontificum mente, ac vo-
„ luntate, si in quotidianarum distributionum augmen-
„ tum eadem media annata convertetur.

„ Quod si nova hac etiam redituum accessione, massæ
„ distributionum facienda, haud pares Episcopo vi-
„ deantur fructus quotidiano chori oneri ferendo, alios
„ etiam supplendi modos in promptu habet, quos
„ idem Concilium Tridentinum ob oculos ponit *in*
„ *sess.* 21. & 22. *cap.* 3., & *in sess.* 24. *cap.* 15., ni-
„ mirum potest Canonicos, qui præbendis fruuntur,
„ ad ipsarum præbendarum fructus partem pro distri-
„ butionum massa cedendam coercere, seu potius ex

nu-

„ numero XXII. Canonicorum, & Beneficiatorum,
„ qui Cathedralem componit, unum, vel alterum,
„ capta occasione supprimere, ut reditus massæ distri-
„ butionum augeantur.

„ Dubium IV. *An pia legata tam Missarum, quam aliorum*
„ *onerum, quæ dubia, & incerta sunt, quæque non*
„ *habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus*
„ *delenda juxta Capituli preces, seu potius reducenda,*
„ *& quomodo?*

„ Hactenus de distributionibus quotidianis, quibus, quan-
„ tum fieri potuit, satis commode consultum mihi vi-
„ detur. Nunc est de legatis disserendum. Legata,
„ quibus tam Missarum celebratio, quam aliorum one-
„ rum satisfactio Capitulo injungitur, alia peculiari
„ fundo dotata sunt, qui adhuc servatur incolumis,
„ eorumque origo, & fundatio comperta habetur.
„ Alia vero multoque plura proprium fundum non ha-
„ bent, utpote cum reliquis Capituli bonis permixtum,
„ ac præterea latet in tenebris eorum origo, & tabulæ
„ fundationum perierunt. Distincte de utraque lega-
„ torum classe dicendum est, ut, quantum per me li-
„ cet, perspicua evadat oratio. In hoc IV. Dubio de
„ hujus secundæ classis legatis sermonem instituo, &
„ proposito Dubio respondendum esse arbitrarer = *Ne-*
„ *gative ad primam partem, affirmative ad secundam,*
„ *& reductionem faciendam esse ab Episcopo juxta mo-*
„ *dum inferius exprimendum.*

„ Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 4. *de reformat.*
„ facultatem dat Episcopis, ut in Synodo possint pro
„ sua conscientia in legatis piis, quorum eleemosyna
„ valde tenuis est, statuere, quidquid magis ad Dei
„ honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem
„ viderint expedire. Verum cum deinde superacces-
„ serint Decreta Urbani VIII. confirmata in Constitu-
„ tione Innocentii XII., omnis jam Episcopis est su-
„ blata facultas circa reductionem Missarum, quæ
„ privative Apostolicæ Sedis auctoritati reservata est.
„ Attamen certum est, ob tenuitatis redituum causam,
„ quam idem Concilium indigitavit, non negari un-
„ quam ab Apostolica Sede legatorum, atque Missa-
„ rum abrogationem, aut reductionem juxta singulo-
„ rum casuum circumstantias, quas diligentissime so-
„ let perpendere hæc Sacra Congregatio. Itaque ad
„ trutinam revocatis iis, quas proponit Capitulum

Ygle-

„ Yglesiense, equidem non video, cur omnia penitus
„ antiqua legata deleri debeant. Esto, deperditos fuis-
„ se fundos, imminutos reditus, & ingentem Missa-
„ rum 13595. numerum longe excedere Capituli vires,
„ obscuram quoque esse earum originem, latere inter
„ blactas, & tineas fundationum monumenta: verum-
„ tamen cum ex superius narratis compertum sit, di-
„ midiam partem bonorum, quæ nunc possidet Capi-
„ tulum ex piis largitionibus conflatam esse, æquum
„ videtur, ut etiam dimidia pars fructuum, qui ex iis-
„ dem bonis percipiuntur, erogentur in adimplemen-
„ tum legatorum, quemadmodum in præcedenti Du-
„ bio demonstravi. Statim enim aliquis restat reditus
„ eorum bonorum, quæ pia liberalitas Defunctorum
„ in expiationem Animarum suarum reliquit, nullo
„ modo legata delenda sunt, sed potius reducenda.
„ Reductioni enim non abrogationi causam suppeditat
„ decrementum redituum, qui fuerant pro onerum
„ implemento assignati, inquit Benedictus XIV. *in*
„ *lib.* 13. *de Synodo Diœces. cap. ult. num.* 28.. Hac
„ igitur constituta regula, ambigi nequit, quin Capitulo
„ Yglesiensi aliqua sit indulgenda Missarum reductio;
„ nam capitale librarum 77735., quod priscis tempo-
„ ribus possidebat ex piis Fidelium largitionibus, vix
„ hodie constat libris 42000., si juxta propositam a me
„ divisionem, totum quantum est Capituli patrimo-
„ nium non excedens libras 84000., bifariam divida-
„ tur, dimidia parte *massæ dotationum*, altera dimi-
dia piis adimplendis *legatis* assignata.

„ Porro autem hæc ingens redituum imminutio, nullo
„ Canonicorum vitio verti potest; sed potius ex hu-
„ manis vicissitudinibus repetenda, quas inter præci-
„ pue numerari possunt censuum debitorum fides in-
„ fracta; profligata fructuum librarum circiter 28000.
„ a Magistratu Yglesiensi exigendi spes; usurarum e
„ censibus percipiendarum Lege Regia anni 1768.
„ decreta imminutio, aliæque demum causę, quas
„ fuse recenset Episcopus in sua informatione, cujus
„ particulam superius exscripsi *in* §. *Interrogatus nu-*
„ *mer.* 7.. Itaque si hæc fundorum, redituumque ja-
„ ctura, nulla contigit Canonicorum culpa, neque
„ ulla Fundatorum hereditas compellari hodie potest
„ ad compensandam fructuum deficientiam (de fun-
„ dationibus enim egimus pervetustis, quarum latet

ori-

„ origo, aut pactionum tabulæ, quibus constitutæ
„ sunt, penitus interciderunt) planum fit, piorum
„ hujusmodi legatorum reductionem concedendam
„ esse, juxta firmum, ac stabilem hujus S. Congrega-
„ tionis usum. Eo præsertim maxime, quod Episco-
„ po teste, nemo interesse habentium, etsi in judi-
„ cium vocatus, huic reductioni refragatur.
„ Verum ne quid dissimulem, atque etiam, ut legato-
„ rum reductio, quantum fieri potest, exigatur ad re-
„ gulas ab hac S. Congregatione præscriptas, illud
„ quoque observare non prætermissi, aliqua videlicet,
„ perpauca tamen ac modica, in tabella onerum a Ca-
„ pitulo transmissa Missarum onera adnumerari, quæ
„ vel in Beneficiorum fundatione constituta sunt,
„ vel per contractum aCapitulo acceptata. Satis autem
„ notum, & exploratum est, istiusmodi onerum re-
„ ductionem caute admodum ab hac S. Congregatione
„ fieri, ad tradita per *Fagnanum in cap. ex par. de*
„ *Consit. num.* 24., *& a Benedicto XIV. in opere de*
„ *Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 26.. Attamen
„ in tanta Capituli inopia, cui si non opportuno ali-
„ quo remedio consulatur, penitus interire necesse
„ sit, omni quoque ab eo culpa sublata, si fundi vel
„ deperditi, vel imminuti sunt, ac post intervallum
„ centum & ultra annorum, in quibus nulla sese Ca-
„ pitulum obligatione devinctum putavit ad prose-
„ quendam Missarum celebrationem, postquam bona
„ in pejus ruisse animadverterat, mihi quidem vide-
„ tur, ea etiam legata vel pro Beneficiis assignata,
„ vel per contractum acceptata, quamvis potiori jure
„ fruantur, posse tamen in reductione comprehendi.
„ In hac enim facti specie, inquit Benedictus XIV. lo-
„ co supra citato = *Judicis partes sunt investigare, an*
„ *talis, quæ obvenit redituum imminutio juxta recepti*
„ *juris regulas sufficiat ad rescindendum contractum,*
„ *vel saltem ad eumdem ad justi, & æqui normam re-*
„ *digendum* = Atque illud præterea accedit, quod ut
„ perpetuum onus Capitulo censeatur impositum, ut
„ deficientibus, vel imminutis Beneficii, aut alterius
„ cujuscumque legati reditibus, ære proprio teneatur
„ ad onerum satisfactionem, non id ex conjecturis,
„ non ex simplici tabellarum descriptione, sed ex pacto
„ perspicuis verbis concepto eruendum est, quod qui-
„ dem pactum in iis legatis, de quibus agimus, non

„ intercessisse affirmat Episcopus Yglesiensis. Quam-
„ obrem non raro in his circumstantiis reductionem
„ fieri posse tradunt *Pasqualig. de Sacrif. Miss. tom.* 2.
„ *quæst.* 1175. *num.* 2. 4. *quæst.* 1178. *num.* 7., *& quæst.*
„ 1179. *num.* 5., *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 3. *lu-*
„ *cubrat. can. tit.* 13. *num.* 19. 25., Atque ita enim sæ-
„ pius definivit hæc S. Congregatio juxta resolutiones
„ relatas ab eodem *Scarfanton. loc. cit.*, *& a Ferraris*
„ *verbo Missa num.* 22. *art.* 2°. Ac nuper *in Viglevan.*
„ *reductionis Missarum die* 21. *Aprilis hujus anni*.
„ Itaque si nullo modo ambigendum est, quin aliqua le-
„ gatorum, de quibus agimus, sit concedenda redu-
„ ctio, prudentiæ, ac arbitrio præclari, ac religiosi
„ Episcopi Yglesiensis committendam eam esse censeo,
„ ita tamen, ut quantum fieri poterit, servet eam me-
„ thodum, quæ juxta regulas, alias ab hac S. Congre-
„ gatione præscriptas adhibenda est. Quod ut facilius,
„ ac planius consequi possit, hanc illi regulam, ac
„ modum sectandum præciperem. I. legata separet,
„ quæ suos reditus habent, qui non sunt cum reliquis
„ Capituli bonis immixti, ut juxta uniuscujusque lega-
„ ti vires onera adimpleantur, quemadmodum in re-
„ sponsione ad V. Dubium demonstrabo. *Secundo*,
„ fundum, seu dotem pro reliquis legatis, quæ dubia
„ sunt, nec proprium, ac certum habent designatum
„ censum, constituat in dimidia parte totius patrimonii
„ capitularis, quod sicuti ad tertium Dubium respon-
„ di, dividendum est in æquas partes, atque altera pro
„ distributionibus quotidianis, pro legatis altera est
„ assignanda. *Tertio*; quoniam tabulæ fundationis le-
„ gatorum, de quibus hic agimus, omnino deficiunt,
„ hinc ea adhiberi nequit distinctio, quam S. Congre-
„ gatio in instructione Episcopis danda, servandam
„ præcepit, ut videlicet dispar sit habenda ratio eorum
„ legatorum, quæ demonstrative, aut quæ taxative
„ relicta sunt. Ideoque totum hoc negotium Episcopo
„ est committendum, ut adscitis in consilium duobus
„ ex Canonicis sibi bene visis, vel in actu Visitationis,
„ si commode fieri poterit, pro suo arbitrio, & con-
„ scientia ad reductionem legatorum auctoritate hujus
„ S. Congregationis procedat, consideratis, & perpen-
„ sis singulis legatorum circumstantiis. Ita ut primo
„ ea legata, quæ ipsi temporaria visa fuerint, & jam-
„ pridem extincta, deleat omnino, atque abroget, reli-

qua

„ qua reducat, servata proportione inter numerum „ Missarum juxta uniuscujusque legati descriptionem „ in tabella adnotatam, & fructus, qui ex communi „ legatorum fundo, ut supra designato, percipi pote„ runt. Secundo Missarum reductio fiat ad rationem „ eleemosynæ manualis, cum hæc sit norma, quam „ Sacra hæc Congregatio in hujusmodi reductionibus „ servandam præscribit. Tertio cum nonnulli Funda„ tores præter Missas quoque demandaverint pia ope„ ra, scilicet processiones, preces peculiares, Divina „ Officia, Ecclesiæ manutentionem, funebria cum ab„ solutione, ceræ largitiones, virginum dotationes, „ aliaque hujusmodi; hæc potius onera, quam Missæ „ erunt ab Episcopo reducenda, si, ut præmisimus, „ certus non suppetat fundus iis oneribus obnoxius. „ Quarto cum pariter ab aliquibus Fundatoribus pluri„ mæ injunctæ sint Missæ solemnes, & Anniversaria, „ si pro hujusmodi Missarum, & Anniversariorum „ cantu necessarii reditus desiderantur, poterit Episco„ pus Missas lectas subrogare, quot celebrari poterunt, „ juxta vires redituum, ad ratam eleemosynæ manua„ lis, demptis expensis pro utensilibus, aliisque neces„ sariis in bonorum administratione, ac cura impen„ dendis, ut sæpius hęc S. Congregatio censuit apud „ *Ferrar. verb. Missa art. 2. num. 41.* Quinto pro le„ gatis deletis, aut reductis unum præfiniat Anniver„ sarium perpetuum infra octavam commemorationis „ omnium Fidelium Defunctorum celebrandum pro „ suffragio omnium Benefactorum. Sexto novam ta„ bellam onerum fieri mandet, & Missas, quæ cele„ brandæ erunt in posterum juxta reductionem descri„ bi faciat, ut extet perennis memoria, & monumen„ tum. Septimo demum constituat unum ex Canonicis „ administratorem capitalium, & fructuum, qui pro „ legatis assignabuntur, eique cura incumbat, ut eo„ rum satisfactio omnimode perficiatur. Hac ratione, „ ac methodo servata, nihil non jure, ac summa æqui„ tate factum in hac legatorum reductione mihi vide„ tur.

„ Præstat nunc ad V. Dubium descendere, in quo quæ„ ritur = *An sint præservanda legata, quæ peculiarem* „ *habent fundum adhuc superstitem, nec cum re*„ *liquis Capituli bonis confusum, & quatenus imminu*„ *ti sint reditus, an, & quomodo sint reducenda?*

„ Respondendum censerem = *Affirmative ad primam*
„ *partem, & quoad secundam, reductionem faciendam esse juxta modum infra exprimendum.*

„ Jam priusquam ad Dub. IV. responderem, præmisi,
„ duplicem esse legatorum classem in Capitulo Yglesiensi. Altera complectitur illa legata, quorum reditus confusi sunt cum reliquis Capituli bonis, de
„ qua jam satis actum est in superiori Dubio; comprehendit altera legata illa, quorum vel integer,
„ vel aliquis saltem census restat adhuc superstes,
„ & origo pariter, ac fundatio comperta habetur. De
„ his modo est agendum. Ut de hac legatorum classe
„ planius sese explicaret, interrogavi Episcopum an =
„ *i Legati, che hanno fondo ostensibile, possono oggidì pienamente soddisfarsi, o pure è bisogno di ridurre a minor numero le Messe, e li obblighi per la diminuzione, o deteriorazione del fondo medesimo?*
„ Ad hæc respondit Episcopus = *Tutti quelli legati*
„ *fondati dopo l'anno 1768., seguita già nel Regno la ribassa de' censi dall'8. alli 6. per 100., possono pienamente adempirsi. Inoltre non sembra necessaria*
„ *mutazione alcuna nelle fondazioni, ove si espresse,*
„ *che si celebrino tante Messe a quanto bastano li frutti*
„ *de' capitali legati, dedotti il salario del Collettore,*
„ *non ostante, che siano fondati prima dell'anno 1768.,*
„ *e che perciò abbiano patito diminuzione nei frutti*
„ *colla ribassa de' censi, è bensì necessaria negli altri*
„ *fondati con fissazione di numero di Messe la riduzione per la quale si supplica, come si notano nell'aggiunta tabella.*

„ Facile est ex his demonstrare, quantum affirmativum
„ responsum ad primam Dubii partem conveniat.
„ Nam si quædam adhuc in Capituli patrimonio exi-
„ stunt bona, quæ certo constat a pia Fidelium largitione profecta, & vel Missarum, vel alterius pii
„ operis obligatione gravata, nihil est ambigendum,
„ ea a reliquis Capituli bonis esse separanda, ut re-
„ ditus juxta Fundatorum voluntatem in satisfactione
„ onerum omnino erogentur. Et cum Episcopus affir-
„ met, legata hujusmodi post annum 1768. Capitulo
„ relicta, nullum tulisse detrimentum ex Lege Re-
„ gia, quæ usuras censuum jussit imminui, jam pa-
„ tet, omnia, quot quot sunt hujusmodi legata, in-
„ tegra, ac salva esse debere. Præterea juxta ejus-

dem

„ dem Episcopi votum, ea quoque legata retinenda
„ sunt, in quibus Fundatores declararunt, tot Mis-
„ sas esse celebrandas, quot celebrari poterunt, ra-
„ tione habita fructuum, qui ex bonis legatis percipiuntur. In hujusmodi enim legatis nunquam indulgeri solet reductio; nam quoties omnes fructus bonorum vel plures, vel pauciores, integri tamen, demptis expensis, in pii oneris satisfactionem impenduntur, jam salva est Fundatoris voluntas, ideoque reductionis indulto minime opus esse, jam quisque videt.

„ Reliqua autem legata, quibus certus Missarum numerus præfinitur, aut certum aliud pium opus injungitur, nec tamen ob reditus aliqua ex causa (innoxia tamen, & absque Capituli culpa) imminutos, vel præscriptus Missarum numerus, vel injunctum onus præstari nequit, hęc sane legata reducenda sunt, quemadmodum Episcopus optat, atque Ego etiam in responsione ad secundam Dubii partem existimavi: ac de hoc quidem nullus est dubitandi locus. Quo modo autem reductio perfici debeat, hoc est explanandum. Episcopus ad mea postulata respondens, reductionem fieri petit legatorum, *come si notano nell' aggiunta tabella*. In ea autem decem legata numerat, sed non explicat, quomodo, aut in qua summa reditus horum legatorum decreverint, neque etiam quomodo onerum his legatis adnexorum reductio fieri possit. At quamvis fusius, ac planius omnia exposuisset, nihil tamen egisset: ex præstantissima enim hujus Sac. Congregationis praxi oportuisset statum decennii exarare, & ab eo depromere, quid acceptum, quid impensum fuisset, ut de unoquoque legato certum judicium pronuntiari ab hac Sac. Congregatione potuisset. Sed quis non videt, plus operæ, laboris, temporis, atque etiam sumptus consumi oportere, ut omnia ad severiorem regulam exigantur, quam utilitatis, ac commodi percipi possit? Auctoritate igitur Vestra, EE. PP., tota hæc res transigi debet, ac quemadmodum Episcopi arbitrio, & prudentiæ piorum legatorum commendata est reductio, ita quoque eidem committerem, ut legata, de quibus hic agimus, redigat ad æqualitatem inter onus, & fructum cujuslibet legati, ducto decennii calculo in-

„ inter impensum, & acceptum, atque iis servatis
„ regulis quantum fert ipsa legatorum conditio, quas
„ fusius in præcedenti Dubio explicavi.
„ Dub. VI. *An legata, quæ ad Populi, & Ecclesiæ com-*
„ *modum, & utilitatem instituta sunt, sint servanda,*
„ *aut etiam reducenda?*
„ Respondeo = *affirmative juxta modum.*
„ Præter eas, de quibus huc usque egimus, legatorum
„ classes, altera remanet, quæ legata continet ad
„ Populi, & Ecclesiæ commodum, & utilitatem
„ conducentia. Legata hujusmodi in Capituli tabella
„ à ceteris distinguuntur, atque alia quidem sub hac
„ peculiari inscriptione recensentur = *Legati da pre-*
„ *servarsi, come utili al Popolo, ed alla Chiesa, i cui*
„ *fondi restano compresi nelle somme precedenti* = vi-
„ delicet = *L'Arcivescovo Delval per tre Benefizj, cioè*
„ *di Sagristia, Diacono, e Suddiacono* = *Francesco*
„ *Figus per una Messa ogni di festivo à mezzo giorno,*
„ *si da la limosina di soldi sette, e mezzo* = *Canonico*
„ *Cara per una Messa ogni Domenica all' aurora, li-*
„ *mosina soldi sette, e mezzo* = *Canonico Pistis per*
„ *una Messa ogni dì festivo all' aurora, eccettuate le*
„ *Domeniche, e per una piccola processione, che per*
„ *non potersi più fare potrebbe applicarsi a detta Mes-*
„ *sa* = Alia vero sic nuncupantur = *Legati da preser-*
„ *varsi, che non sono compresi nei capitali detti* = vi-
„ delicet = *Canonico Contini per dotazione di Orfane*
„ *di lire* 2000., *esistono solo* 1000. = *NN. per cera*
„ *d' accompagnare il Venerabile lire* 1187., *esistono*
„ *solo lire* 904. 19. 8. *NN. per cera della Festa del*
„ *Corpus Domini lire* 800., *esistono lire* 473. 3. 10.
„ *Canonico Scartallo per cera nella Festa dell'Assunta* =
„ *Benedetto Candelargiu per cera nella Festa di Santa*
„ *Chiara*. Cum mecum ipse dubitarem, an de his
„ omnibus legatis dispar ratio haberi deberet, cum
„ aliqua dicerentur = *Legati, i cui fondi restano com-*
„ *presi nelle somme antecedenti* = aliqua vero = *Legati,*
„ *che non sono compresi nei capitali detti* = Episcopum
„ interrogandum duxi = *se i detti legati abbiano i loro*
„ *fondi esistenti, ò separati da tutto l'intiero capitale*
„ *del Capitolo, e se abbiano sofferta alcuna diminu-*
„ *zione, onde possano pienamente, e secondo la vo-*
„ *lontà de Testatori adempirsi* = Ad hæc Episcopus
„ respondit = *Questi legati furono sempre, ed al pre-*
sen-

„ *sente si trovano separati dalla confusa massa , e ben-*
„ *chè abbiano ancor essi sofferto diminuzione coll' uni-*
„ *versale ribasso di censi , ed inoltre perdita di por-*
„ *zione de capitali, tuttavia possono adempirsi secondo*
„ *la volontà de Testatori . Uno di essi legati , cioè*
„ *quello fondato del Canonico Contini per maritare*
„ *orfane , oltre la ribassa de' censi , ha sofferto la per-*
„ *dita della metà del capitale , come nella tabella del*
„ *Capitolo si accenna . Onde per dote di dette orfane*
„ *si da presentemente lir.55. in netto , che è il tanto ,*
„ *che rende il capitale esistente .*

„ Itaque Episcopo teste , omnia hæc legata vel totam ,
„ vel partem suæ dotis separatam habent à reliquis Ca-
„ pituli bonis , eamque hodie tum existentem . Nul-
„ lus igitur dubito , quin illa , quantum fieri potest ,
„ juxta voluntatem Fundatorum exequenda sint. Quæ
„ enim quocumque modo supersunt bona ab ipsis
„ pia liberalitate donata , ea omnino in causas ab ipsis
„ præscriptas sunt applicanda . In his autem legatis
„ urget etiam ipsa Ecclesiæ utilitas , ac Populi com-
„ modum . Primum enim legatum Episcopi *Delval*
„ vergit in Ecclesiæ , ac Divini cultus incrementum :
„ decet enim Sacristam cultui Ecclesiæ esse addictum,
„ & Diaconum , ac Subdiaconum in solemnioribus
„ Missis operari . Secundum *Francisci Figus*, tertium
„ *Canonici Cara* , quartum Canonici *Pistis*, Missarum
„ celebrationem injungunt in hora ad Populi commo-
„ dum maxime apta , ideoque æquum est , ea in-
„ tegra servari : quoad processionem vero, quæ à præ-
„ dicto Canonico Pistis præscripta est , quoniam af-
„ firmat Episcopus , eam peragi non posse multis ex
„ causis , non dissentirem , ut ejusdem Episcopi ar-
„ bitrio , quidquid in eamdem processionem impen-
„ dendum esset , id vel in Missarum augmentum , vel
„ uberiorem earumdem eleemosynam erogetur , qua-
„ tenus tenuis ei videatur illa , quæ à Testatore taxata
„ est , ut Missæ in diebus festivis in aurora celebra-
„ rentur . Reliqua legata , quæ pro puellarum doti-
„ bus , quemadmodum est illud Canonici Contini
„ vel pro coemenda cera præscripta sunt , ea ita sunt
„ adimplenda , ut quidquid ex bonorum fructu perci-
„ pitur , totum in pium opus juxta cujuslibet Fun-
„ datoris placitum impendatur . Quæ quidem regula
„ in omnibus quibuscumque legatis , quæ vel totum

„ fundum, vel partem ipsius habent superstitem, ab
„ Episcopo est observanda, nimirum ut quidquid ex
„ illo fundo lucri reportatur cujuslibet legati obliga-
„ tioni sustinendæ addicat, & si fundus totus perie-
„ rit absque ullius culpa, & nemo adsit, qui illius
„ evictione teneatur, legatum omnino deleat. Hac
„ sibi proposita methodo, multis sese difficultatibus
„ expediet Episcopus, quæ illi fortasse in aliorum le-
„ gatorum reductione occurrent. Neque enim omnia
„ in tanta rerum obscuritate atque in tot legatorum
„ numero aut comprehendi, aut explicari possunt,
„ ut singillatim singula enodentur; ipse vero eo est
„ ingenii, ac doctrinæ, tum vero fidei, ac religionis
„ præstantia ornatus, ut explanatissima non indigeat
„ instructione.

„ VII. Dubium. *Quid decernendum de capitali, ac fru-*
„ *ctibus librarum* 26821., *quæ fœnori datæ sunt Com-*
„ *munitati Yglesiarum?*

„ Respondeo = *In casu restitutionis totius, vel partis*
„ *ejusdem capitalis, seu solutionis usurarum, media-*
„ *tatem tum capitalis tum usurarum perpetuo assignan-*
„ *dam esse massæ distributionum, aliam vero media-*
„ *tatem reservandam esse pro legatis piis, aucto tunc*
„ *numero Missarum, ut supra reductarum.*

„ Ab ævo, de quo non satis memoria constat, Capitu-
„ lum Yglesiense fœnori dedit Communitati ejusdem
„ Civitatis ingentem librarum summam 26821. coa-
„ ctam ex universis Capituli bonis, tum ex iis, quæ
„ *ex massa dotationum* derivabant, tum ex aliis, quæ
„ ex pia liberalitate *legati* nomine eidem fuerant do-
„ nata. Jam enim superius enarravimus, priscis tem-
„ poribus omnia insimul Capituli bona permixta fuis-
„ se, nec de diversa bonorum derivatione ullam ha-
„ bitam fuisse rationem. Tanto ære alieno gravata est
„ Communitas Yglesiarum, ut non solum restituen-
„ do capitali, sed persolvendis etiam usuris impar
„ omnino evaserit. Haud tamen pro usuris exigendis
„ ita profligata spes est, ut identidem à Magistratu
„ Civitatis nonnulla eorum pars persolvi non possit.
„ Ab anno 1774. huc usque nihil certe exactum, sed
„ superioribus annis, nimirum ab anno 1767. usque
„ ad præfatum annum 1774. ipsummet Capitulum
„ integra fide inter accepti tabulas retulit aliquam
„ usurarum summam in eo annorum intervallo à Com-

mu-

„ munitate persolutam. Ut fert igitur rerum humanarum vicissitudo, contingere fortasse poterit, ut „ auctis Communitatis opibus, vel quandoque capitale restituatur, vel saltem pars usurarum persolvatur. In hoc casu quæritur, quid de ea pecunia „ sit decernendum. Capitulum in primis precibus „ Episcopo oblatis censuit, quod si capitale restitueretur, illud iterum tuto investiendum esset, ut „ quotidianæ distributiones augerentur; usurarum „ vero non eadem omnium sententia fuit. Episcopus „ enim in sua informatione die 19. Junii 1779. sic respondet = *Ea quantitas* (videlicet ea pecunia, quæ „ ex fructibus quandoque à Communitate exigitur) „ *quæ aliquando percipi contingit eo ipso inter Capitulares æqualiter partitur, ab iis vero non methodus eadem observatur: nam aliqui persuasioni, quod capitale Missarum, legatorumque proprium sit* (quod „ tamen haud certum est) *adhærentes, Missas celebrant quantitati respondentes; alii quoniam capitale „ prædictum ex distributionum massa, & ex fundo „ legatorum pariter conflatum credunt, medietatem „ tantum Missis compensant, reliquum lucrativo titulo „ id sibi provenire putant, ac retinent, eo quod autument de præfata ratione non constare.*

„ His itaque in facto præmissis, eamdem rationem ineundam esse censerem de hoc capitali libr. 26821., „ quam de toto Capituli asse servandam esse superius „ putavi. Dividendum Capituli assem dixi inter distributiones quotidianas, & legatorum causam, „ quoniam æqua fere argenti vis tam ex massa dotationum, quam ex legatis Capitulo accesserat. Ita quoque cum præfatæ libræ 26821., Episcopo teste, ex „ utroque fonte manaverint, præstat, ut eodem „ etiam jure, ac reliquum Capituli patrimonium censeantur. Quod quidem ipsi Canonici facto confirmant; qui enim, ut mox vidimus, indulgentiores „ sunt, si identidem partem aliquam usurarum a Magistratu Yglesiensi exigunt, non totam convertunt „ in proprium lucrum, ac commodum, *sed medietatem Missis compensant, reliquam sibi lucrativo „ titulo provenire putant*. Equum igitur videtur, quod „ si contingat aliquando sortem, seu capitale librarum „ sæpedictarum restitui, illud investiatur iterum, & „ medietas pro distributionibus quotidianis augendis,

„ altera vero medietas pro legatis, & Missarum ac-
„ cessione applicetur. Cum vero fructuum eadem es-
„ se debeat conditio, ac capitalis, ita quoque si ali-
„ quando a Communitate Yglesiensi pendantur annuæ
„ usuræ ejusdem capitalis, dividendæ pariter sunt in-
„ ter distributiones quotidianas, & onera legatorum.
„ Hæc habui, quæ in re tam implexa, tamque obscura
„ diuturno labore excogitata, ac digesta Vobis EE.PP.
„ exponerem. Ceterum altiori Vestro judicio, senten-
„ tiam meam qualis ea cumque sit, libentissime sub-
„ mitto, dum earum manus demississime deosculor.

Hæc igitur die 9. Septembris 1786. proposita fuerunt Dubia; nempe I. *An sit consulendum Sanctissimo pro condonatione Missarum, atque onerum a Capitulo præterito tempore non impletorum?* II. *An sit toleranda consuetudo, quod Capitulares in ingressu solvant libras quadringentas, seu verius* 424. *ad augendam & conservandam massam distributionum quotidianarum prout in casu; ita ut qui non solverit, omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur?* III. *Quonam modo ea distributionum massa confici debeat?* IV. *An pia legata tam Missarum, quam aliorum onerum, quæ dubia & incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda juxta Capituli preces, seu potius reducenda, & quomodo?* V. *an sint præservanda legata, quæ peculiarem habent fundum adhuc superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis confusum; & quatenus imminuti sint reditus, an & quomodo sint reducenda?* VI. *an legata, quæ ad Populi, & Ecclesiæ commodum, & utilitatem instituta sunt, sint servanda, aut etiam reducenda?* VII. *quid decernendum de capitali, ac fructibus librarum* 26821., *quæ fœnori datæ sunt Communitati Yglesiarum?* VIII. *quid demum de sacris utensilibus ad quorum solutionem onerantur Canonici?* Et Sacra Congregatio rescripsit ad I. *Affirmative juxta votum Eminentissimi Relatoris*: Ad II. *negative juxta votum Eminentissimi Relatoris*: Ad III. *applicandas esse massæ distributionum duas ex tribus partibus, relicta tertia parte pro legatis piis; in reliquis juxta votum Eminentissimi Relatoris*: Ad IV. V. & VI. *juxta votum Eminentissimi Relatoris*. Ad VII. *divisionem faciendam esse juxta responsionem ad tertium Dubium*: Ad VIII. *juxta votum Episcopi*; providendum scilicet

Ca-

Canonicis de sacris utensilibus per capitale constituendum ex legatis receptis in usum Sacristiæ, vel Ecclesiæ egestatis tempore, aliisque, quæ vel suum finem, ad quem relicta sunt, assequi non possunt, vel commodam aliquam patiuntur detractionem.

In his exequendis rescriptis, alia decessori Episcopo visa fuerunt declaranda, alia ex integro postulanda. *Primo* igitur Vestrum exquisivit oraculum super intelligentia quarti rescripti, num Missæ scilicet celebrandæ ex contractu, quarum in eo rescripto habita non fuit ratio, deducendæ essent ex tertia parte attributa legatis piis, ut ipse arbitrabatur, vel ex duabus aliis distributionum; eaque pro illis statui deberet summa, quam mutabiles exigerent temporum circumstantiæ. Solitum enim capitale pro Missis solemnibus ante annum 1656. fuit librarum 20. vel 25. monetæ Sardiniæ, postea vero librarum 50.. Petiit *secundo* pro se suisque successoribus facultatem iterum ad tempus reducendi Missas, jam ex quinto rescripto reductas, quousque scilicet otiosæ erunt sortes censuum in frequenti extinctionum casu, *quum nulla Fundatorum hereditas compelli hodie possit ad compensandum fructuum deficientiam*: idque ne molesti sint EE. Vestris in casibus particularibus. Limitandam tamen autumabat hujusmodi facultatem ad eas Missas, pro quibus neque ex capitali infructifero manualis supererit eleemosyna; nam *pro aliis Missis, quæ pinguiorem eleemosynam habent, ita præscribemus numerum, ut dummodo capitale, quamvis ex parte infructiferum, ad rationem tamen eleemosynæ manualis fructus sufficienter reddat, quod hic numerus (nisi extraordinarium onus adnexum habeant; ut Missæ ad auroram) sit omnino servandus.*

Declarandum *tertio* postulavit, num tenuissima capitalia libellarum 100., 200., vel ad summum 500. Magistri chori, cæremoniarum, Sacristæ, Diaconi, Subdiaconi &c. *quorum tria ultima duntaxat officia in usu sunt*, addicenda sint pro Missis, quibus ea Beneficia gravantur, *vel potius proportione servata ad numerum Missarum in fundatione præscriptum, sit hic numerus reducendus, ut etiam Beneficia quo ad officia, quamvis reducta, serventur*. Institit *quarto* pro licentia alienandi census piarum fundationum, *ut prætium in emptionibus fundorum data opportunitate erogetur, vel*

ad aptiorem normam censuetur , juxta exigentiam novæ administrationis . Et *quinto* demum pro facultate augendi stipendium Missarum cujusdam Canonici Olargia ab hispanico regali uno ad unum cum dimidio , dum legatum præ tenui eleemosyna *neque Capitulum voluit acceptare , neque aliqua ex Comm unitatibus religiosis , etiam interpellatis* .

SECUNDA RELATIO.

Super novis postulatis .

Quoad *primum* censuit Emus Antonellus, *liberalius agendum , atque indulgendum , ut earum Missarum onus desumatur ex massa pro legatis piis efformanda . Hic enim fuit scopus & mens Sacræ Congregationis , cum universum Capituli patrimonium in tres partes dividi jussit , ut , una piis oneribus attributa , reliquæ duæ , ab omni quidem onere immunes , in causam distributionum cederent . Quum enim omnino deficeret ratio , qua Tridentina Synodus cap. 15. sess. 24. de reform. Capitulorum paupertatem sublevari mandavit , visum est Vobis , nisi largius illius Capituli angustiis provideretis , vix ac ne vix quidem ab interitu servari posse . Mea igitur responsio non modo est huic Vestro judicio conformis , sed eo etiam magis probari potest , quod ut modo exponitur , hujusmodi Missarum onera , quæ a Canonicis in actu dotationis præscribebantur , præcedunt plerumque annum 1656. , rarissimæ autem post id temporis conspiciuntur . At in maxima illa capitularis patrimonii jactura , fundationes , quæ eum annum antecesserunt , potissimum deperditæ sunt . Non immerito igitur conjiciemus , in extante Capituli patrimonio vix minimam illarum fundationum partem reperiri .* Atque hinc concedendum etiam dixit , *ut hæ Missæ , de quibus agimus , ita reducantur , ut pro qualibet illarum fundus librarum quinquaginta statuatur . Quum enim fundus pro his Missis ante annum 1656. recipi solitus , fuerit librarum 25. sardæ monetæ , nunc autem sit librarum 50. , æquum certe non est , ut harum Missarum onus sustineatur modo eo censu , quo fuit initio constitutum .*

Ad *secundum* de facultate reducendi Missas in frequentibus extinctionibus censuum , ita suum aperuit votum : *Ni-*

Nimis verum est, Emi Patres, talem esse piarum illarum fundationum naturam, ut gravissimo labore agnitum mihi est in altera consultatione. Hanc igitur facultatem Episcopo impertiri non solum æquum puto, sed imo suo quoque jure sibi illam vindicare posse arbitror; nam cum nulli percipiuntur fructus ex fundis piorum legatorum, si id absque culpa contingat, onera quoque legatis adjuncta cessare necesse est. Sic autem ea facultate utatur Episcopus, videlicet = si agatur de fundationibus, quæ taxatum habeant pro qualibet Missa fundum, ac dotem, si reditus vel defecerint, vel ita sint imminuti, ut non sufficiant ad eleemosynam manualem, & non sit heres, vel alius, qui debeat fructus supplere; & Missarum onus suspendatur dumtaxat, minime autem ab Episcopo deleatur.

Respondendum arbitrabatur ad *tertium*; *non oportere fundos trium Beneficiorum Sacristiæ, Diaconi, Subdiaconi* (quæ tria officia, juxta Episcopum, in usu sunt) *omnino pro Missis addicere, sed potius proportione servata ad numerum Missarum in fundatione præscriptum, sic eum esse reducendum, ut etiam Beneficia, quo ad officia, quamvis reducta serventur, ut ait idem Episcopus. Quum enim Fundator in iis instituendis Beneficiis, ad manus potius Sacristiæ, Diaconi, & Subdiaconi respexerit, quibus carere Cathedralis Ecclesia minime potest, onus Missarum, quod adjectum est, secundo loco videtur a Fundatore contemplatum. Quapropter rectissime servatis illis officiis, Missarum numerus potius reducitur, quemadmodum in his casibus faciendum docet Benedictus XIV. in opere de Synod. lib. 13. cap. ult. num. 23.* Merito autem præteriit Emus Relator Beneficia Magistri chori, & cœremoniarum, quum non sint quo ad officia in usu, & parem fortasse habeant reditum uni oneri Missarum.

De *quarto* agens, cautius agendum monuit. *Quum enim* (sunt ejus verba) *censum sponte sua redimet debitor, jam alienatio, seu potius extinctio census necessaria est, nec ulla indiget Episcopus speciali auctoritate, ut huic necessariæ alienationi consentiat; sed potius diligentia opus est, ut quam citissime sors illa in aliis fundis comparandis erogetur. At præter hunc necessitatis casum, laudabo equidem Capituli studium census in fundos stabiles, & frugiferos convertendi. Quum enim census pluribus de causis possint deficere, Missarum quoque*

elee-

eleemosyna, aliaque pia opera, quæ ex censuum fructibus conservantur, plerumque sunt in ancipiti. Hanc ob causam in decretis de celebratione Missarum, Urbani VIII. auctoritate editis anno 1623., sapientissime jubetur = quod Beneficiorum investimenta fieri debent in bona stabilia fructifera, vera, non autem ficta, veluti sunt census = Vereor tamen, ne si libera sit Episcopo facultas census suo lubitu, nullaque instante necessitate alienandi, quidquam detrahatur canonum severitati, qua maxime in bonorum ecclesiasticorum alienatione adhærendum arbitror.

Jure enim antiquo opus erat synodali examine, & assensu, ut fieret alienatio, quemadmodum patet ex pluribus Canonibus a Gratiano relatis in caus. 12. quæst. 2. Cui quidem Synodi successit Pontificiæ auctoritatis necessitas, præsertim, ut arbitror, ob Synodorum difficultatem, & desuetudinem. Tantæ igitur gravitatis, & momenti habitum usque in Ecclesia est, rerum ecclesiasticarum alienationem nonnisi quam diligentissimo examine, solemnioribusque judiciis permittere. Itaque ipsa mediolanensis Ecclesia debuit Apostolicæ veniæ necessitatem agnoscere pro ecclesiasticis bonis alienandis; quamvis in ea Diœcesi, quo tempore præerat S. Carolus Borromeus, mos invaluisset alienandi bona Ecclesiarum, inconsulta Apostolica Sede, ut rem narrat laudatus Benedictus XVI. de Synodo lib. 12. cap. 8. num. 9. & seqq.. Grave igitur esse non debet Ecclesiensi Capitulo ad Apostolicæ Sedis auctoritatem confugere, cum census alienare opus ei fuerit.

Ad *quintum* denique de augendo stipendio Missarum Olargia; *nulla*, ait, *difficultas esse potest huic postulato assentiendi. Nam eleemosynæ manualis augmentum neque novum est, neque injustum cuipiam videri debet, qui attenderit, eam ob temporum vicissitudines, ob victualium caritatem, in pluribus Diœcesibus, atque etiam in Ecclesiensi auctum fuisse. Ad taxam igitur manualem in ecclesiensi Urbe constitutam, solvenda erit eleemosyna Missarum legati, de quo agimus, alioquin illud interiturum testatur Episcopus, quum nec Capitulum, nec ulla religiosa Familia illud in se suscipere voluerit.*

Dum hæc proponenda erant decessoris Episcopi postulata, alia, eo absente, supervenerunt ab illius Vicario Generali; aliaque deinde a Vicario Capitulari, Episcopali Sede vacante, atque de his agit.

TER-

TERTIA RELATIO.

Quæ ita se habet : *Vicarius Generalis agit primum de illa quæstione, quæ a me pertractata est anno* 1786. *sub Dubio V. his verbis = Quarto cum pariter ab aliquibus Fundatoribus plurimæ injunctæ sint Missæ solemnes, & Anniversaria, si pro hujusmodi Missarum, & Anniversariorum cantu necessarii reditus desiderantur, poterit Episcopus tot Missas lectas subrogare, quot celebrari poterunt juxta vires redituum, ad ratam eleemosynæ manualis, demptis expensis pro utensilibus, aliisque necessariis, in bonorum administratione, ac cura impendendis = Quærit igitur Vicarius = se tale riduzione a Messe basse debba intendersi eziandio di quelle fondazioni il cui fondo ridotto basterebbe per alcuna, o alcune Messe delle solenni prescritte da' Fondatori, o s'intenda, qualora il fondo non bastasse ne pure per una Messa cantata, giusta la norma della S. Congregazione presso il Lambertini, di ridurre il numero delle Messe cantate, lasciandole in grado di cantate.*

Prompta responsio est, atque facillima; nimirum ut judiciali formula utar = negative ad primam partem, affirmative ad secundam = Cum enim agitur de piis fundationibus, quarum fundus satis est ad unam, vel plures Missas solemnes celebrandas, jam servari debet regula hujus Sacræ Congregationis, quam refert Benedictus XIV. de Synod. lib. 3. *cap. ult. num.* 34., ibi = *Sacra Congregatio censuit quo ad Missas cantatas, quæ habent reditus sufficientes ad rationem eleemosynæ currentis pro Missa cantata juxta morem regionis, & cujuscumque Diœcesis, esse omnino celebrandas & applicandas juxta præscripta in legatis, seu fundationibus. Quo vero ad alias Missas cantatas, quæ non habent reditus sufficientes, ut supra juxta morem cujuscumque Diœcesis, reductionem illarum esse faciendam ad eum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione redituum, cuilibet legato seù fundationi assignatorum, & & supradictæ eleemosynæ de præsenti vigentis in unaquaque Diœcesi pro Missis cantatis; factaque modo præmisso reductione, quidquid ex reditibus, cuilibet legato, seu fundationi assignatis supererit, erogandum esse in celebrationem tot Missarum lectarum: & tam Missas cantatas reductas, quam lectas esse collective*

ap-

applicandas pro Animabus, & juxta intentionem eorum, qui Missas reliquerunt.

Neque mihi ulla dubitandi causa subesse videtur, quod in priori illa mea responsione ad V. Dubium, à Vobis EE. PP. approbata, dixerim, quod = si pro Missarum, & Anniversariorum cantu reditus necessarii desiderantur, possit Episcopus Missas lectas subrogare = Neque enim injuria surpicabar, quod in tanta legatorum, & Missarum multitudine, plurimaque fundorum imminutione, & pernicie, quam Episcopus ecclesiensis mirum in modum exagerabat, nulli superessent reditus, præsertim in antiquis fundationibus, quot sufficerent vel ad unam Missam cum cantu celebrandam. Ajunt modo, non ita se rem habere; quædam esse legata, ac fundationes, quæ unius, aut alterius, aut etiam plurium solemnium Missarum oneri ferendo pares sunt. Optime quidem; at nihil contra statutum est. Missas lectas subrogandas esse decrevimus, quoniam pro solemnibus reditus necessarios desiderari relatum fuerat. Si prostant, Testatorum voluntati fiat satis: tot Missæ solemnes recitentur, quot possunt; si quid superest, pro Missis lectis impendatur. Hæc ad primam Vicarii Generalis propositam quæstionem.

Sequitur altera, quam a fundorum applicatione proficisci ait. In mea consultatione sic de fundis assignandis statueram = Primo ea legata, quæ ipsi (Episcopo) temporaria visa fuerint, & jampridem extincta, deleat omnino, atque abroget, reliqua reducat, servata proportione inter numerum Missarum, juxta uniuscujusque legati descriptionem in tabella adnotatam, & fructus, qui ex communi legatorum fundo, ut supra designato, percipi poterunt = Narrat autem Vicarius, satius Episcopo visum fuisse, totam rem hanc absolvere, si non modo cuilibet legato suum Missarum numerum assignaret, sed etiam fundum, qui = ad ogni legato corrisponderà a proporzione di quel numero prefisso di Messe = Hoc enim modo cum singulis legatis, piisque largitionibus suus constet fundus, quavis confusionis, periculi, & dubitationis auferatur occasio, quæ tamen facillime subreperet, si quis fundus, vel penitus deficeret, vel partim imminueretur, vel ad tempus solum nullos afferret fructus.

At = *riconoscendo ogni legato (inquit Vicarius) il suo fon-*

fondo, ogni cassamento appartenendo al suo legato, risulta facile tutta l'amministrazione, e l'adempimento senza fallo; come si osserva in tutti i legati di fondo ostensibile = At si contra unicus omnium reditnum constitueretur acervus, unaque massa legatorum omnium, incommodum consequeretur, quod = un solo cassamento di una proprietà censuale turbarebbe tutta la massa dei legati, e sarebbe necessario ribassare le Messe a proporzione di ogni legato, giusta quel tanto, che gli spetterebbe. Che se il cassamento si facesse alla metà dell' anno, dopo celebrate interamente le Messe di alcuni legati, o di altri celebrati a metà, o per un terzo, risulterebbe da ciò non poca confusione.

Ea autem est consulentium religio, ac diligentia, ut quamvis id prudenter quidem, et utiliter gestum sit, tamen omnia velint significare huic Sacræ Congregationi, ut si Vos probaveritis, nulla eorum animos turbare deinde queat dubitatio. Vestram igitur auctoritatem rectissime hac super re interponi arbitror. Neque id ullo modo vel instructioni meæ, vel consequentibus Vestris decretis adversatur. Legatorum enim exequutio a communi fundorum acervo ideo fuerat demandata, eo quod prædecessor Episcopus ita rem omnem tenebris in sua priori relatione obduxerat, ut impossibile omnino arbitraretur legata a legatis segregare, sua cuique onera adscribere, fundos decernere, cum a remotissima ætate originem ducerent, & tabulæ fundationum interiissent. Gratulandum igitur est, ac novo Episcopo, ejusque Vicario gratia habenda, quod priori obscuritate dispulsa, nihil non modo gesserint contra Sacræ Congregationis sententiam, immo etiam ejus mentem, & voluntatem plenissime sint assequuti.

Denique extremo loco postulat Vicarius, ut facultas detur Capitulo = almeno coll' assenso del Vescovo, e in sua assenza del suo Vicario Generale, e Capitolare di poter ribassare il numero delle Messe in caso di cassamento di censi, o di spese straordinarie per riparazioni di case, e simili, qualora concorrono i seguenti patti; I. che veruno sia obbligato al supplemento: siccome niun erede si riconosce aver tal' obbligo, come ne meno che siavi verun fondo dimonstrativo, ma tutti tassativi. II. che non possa supplirsi fatta comune di un decennio, perchè ogni anno, secondo il costume di questa Cattedrale, quan-

to avanza dalle spese si spende in celebrazione di Messe. III. *che non sia di contratto dover celebrare le Messe, non sussistendo eziandio il fondo, poichè non si conosce alcun contratto di questa fatta.* IV. *che si tratti di fondazioni di pure Messe, o tutte basse, o tutte cantate, la di cui limosina non sia più pingue dell' ordinaria; e trattandosi di quelle di stipendio maggiore del corrente, che non basti il frutto al prefisso numero di Messe, ancor ribassata la limosina all' ordinaria.*

Hæc petitio similis est alteri, quæ proposita fuit ab Episcopo in suis literis 27. Julii 1787., nisi quod id discriminis inter unam, & alteram intercedit, Episcopum nimirum eam facultatem postulasse pro se ipso, suisque Successoribus. At Vicarius eam sibi concedi vult absente Episcopo, *tum etiam Capitulo, seu Vicario Capitulari, si vacua Sedes* Episcopalis *fuerit.* Episcopo *hanc facultatem concedi posse, quibusdam tamen conditionibus contractam, equidem putavi in altera mea responsione, cum de eadem* Episcopi *epistola consultus fui. Nullus dubito, quin etiam Vicariis Generali, & Capitulari indulgeri possit, sub iis tamen conditionibus, quas ipsimet ultro lubentesque offerunt. Quid enim? Num ne Capituli sumptu Missæ celebrandæ sunt, cum census extinguuntur, vel in fundis reparandis omnes fructus impenduntur, omnisque doli mali suspicio deest, nec quisquam est, qui jacturam compensare teneatur? Minime vero. Nihil æquius igitur decerni potest, quam quod non modo Episcopus, verum etiam ipsius Vicarius, eo absente, aut Vicarius Capitularis, eo defuncto, facultate potiantur suspendendi ad tempus Missarum celebrationem, cum in eas angustias redacti fuerint, ut nulli supersint fructus ad earum eleemosynam persolvendam.*

Hactenus Eñus Relator de postulatis Vicarii Generalis. De novissima modo agit petitione Vicarii Capitularis, qui exponit = *trovarsi nell' antica tabella, e ne libri annuali di Messe anteriori ad essa, Messe solenni per i Benefattori del Capitolo; altre per i Capitolari, ed altre per i Benefattori dell'opera* [*non sapendosi, che opera esser possa, se fabbrica, o tutt' altro*] *quali Messe cassò il Vescovo nella presente riduzione, mentre non appariva delle particolari fondazioni; ciò che però è comune a molte altre fondazioni della tabella, smarriti gli atti* = ideo-

ideoque quærit, num ea deletio sit sustinenda. Hæc autem habet Emus ipse Relator: *Affirmative respondendum esse censeo, addereinque ut Orator defuncti Episcopi facto penitus acquiescat. Nam in quarto Dubio primoris meæ disputationis [ubi agebatur de piis legatis tam Missarum, quam aliorum onerum, quæ dubia & incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem] satis ample disserui, rebusque omnibus explanatis, statui modum, quo Episcopus in Missarum, ac legatorum reductione se contineret; quumque mea sententia in Conventu habito die 9. Septembris 1786. gravissimo judicio Vestro probata fuerit, non video, cur iterum revocare hodie in dubium oporteat, an jure Episcopus quædam legata deleverit, nisi clarissime constet, excessisse illum fines sibi traditæ potestatis, quod de religiosissimo viro suspicari nefas est, neque ipsemet Vicarius quidquam profert, quod de eo vel levem dubitationem inducat.*

Deliberandum itaque proponitur.

I. *An Missæ celebrandæ ex contractu deduci debeant ex tertia parte attributa legatis piis, seu potius ex massa distributionum; & quomodo sint reducendæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo Episcopo ecclesiensi, ejusque successoribus sit concedenda facultas reducendi, vel suspendendi Missas in casu &c.*

III. *An, & quomodo reditus Beneficiorum Magistri chori, cæremoniarum, Sacristæ, Diaconi, & Subdiaconi sint erogandi in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sint concedenda facultas alienandi census, & erogandi pretium in stabilia in casu &c.*

V. *An, & ad quam summam sit augendum stipendium Missarum Olargia in casu &c.*

VI. *An reductio Missarum solemnium, & Anniversariorum ad Missas lectas, juxta rescriptum 9. Septembris 1786. ad V. Dubium, de iis etiam sit intelligenda fundationibus, ex quibus sufficiens est fundus pro una, vel pluribns Missis solemnibus, vel ubi neque sit satis pro una Missa solemni in casu &c.*

VII. *An, & quomodo sit sustinenda assignatio fundi per decessorem Episcopum facta cuilibet legato Missarum in exequendo rescripto anni 1786. ad IV. Dubium in casu &c.*

VIII. *An, & quomodo Vicario Generali, absente Episcopo, & Vicario Capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi, vel suspendendi Missas in casu &c.*

IX. *An sit sustinenda deletio Missarum solemnium pro Benefactoribus Capituli, & operæ, ac pro Capitularibus in casu &c.*

Quoad I. & II. juxta votum Eminentissimi Relatoris.

Quoad III. erogandos esse in celebrationem Missarum reditus officiorum Magistri chori, & cœremoniarum; in reliquis juxta votum Eminentissimi Relatoris.

Quoad IV. V. VI. VII. VIII. & IX. juxta votum Eminentissimi Relatoris.

Sess. 24. can. 6. de Sacram. matrim., & cap. 1. de Reform. matrim.

CHIEN. MATRIMONII. Ad Dubia, I. *an constet de matrimonio rato, & non consumato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro facultate emittendi professionem solemnem in manibus Episcopi, & extra claustra in casu &c.*; II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*, rescripserunt EE. Vestræ die 15. Decembris 1792., *negative ad utrumque*; ex quo plene scilicet non constabat de non consumatione matrimonii. At coadjuvatis in id probationibus, die 21. elapsi Junii locum esse censuerunt dispensationi a matrimonio rato, & non consumato, edito rescripto = *prævio recessu a decisis, constare de matrimonio rato, & non consumato, nec non consulendum Sanctissimo pro dispensatio-*

tione. De viribus alterutrius rescripti certant modo Defensor matrimonii, & alter Angelæ Timoni, ideoque resumpto Folio 21. Junii, novisque perpensis Scriptis præfati Defensoris matrimonii, deliberare dignentur Emi Patres.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis; & ad mentem.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI SUBSIDIORUM DOTALIUM. Commutata ex oraculo san. mem. *Benedicti XIV.* pia dispositione Canonici Martini de Dominis, bini ex hereditariis illius bonis erecti fuerunt Canonicatus in Terra Pontiani, binæque institutæ dotes scutorum 50. pro puellis Fundatori proximioribus, ut per integram facti seriem expositum fuit Sacræ huic Congregationi in simili Causa *Nullius Terræ Pontiani Subsidii Dotalis die 15. Januarii 1791.* Plures hinc consanguineæ sive per rescriptum *Sanctissimi*, sive per decretum Sacræ Congregationis dotales consequutæ fuerunt cumulos: sed antiquioribus missis exemplis, eos a clementissimo Principe obtinuerunt annis 1780. & 1782. in summa scutorum 300. pro qualibet Susanna Palenga, Susanna Gerardini, & Gertrudes Monetti Coccia, ac novissime Rosa Arcangeli in summa scutorum 200. a Sacra Congregatione per rescriptum diei 29. prædicti Januarii 1791., quo citata resoluta fuit Causa. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Harum exemplo adierunt primum Pontificium Solium Teodora, & Nazzaria Monetti, altera pro cumulo scutorum 300., altera scutorum 500., precibusque ad Sacram Congregationem remissis, testatus fuit Vicarius Generalis Emi Abbatis Trium Fontium, quod *Oratrices, quamvis de honestis familiis, carent tamen bonis fortunæ: illarum namque genitores ob passas humanarum rerum vicissitudines, & propter alienum æs, quo gravantur, dotem præstare nequeunt omnino, earumdem*

dem conditioni congruam; quodque contractis nihilominus illarum sponsalibus de futuro, *quum dotis promissio, ac solutio unice pendeat ab augmento, quod efflagitant ab EE. VV., nimis sane verendum est, ne miserrimæ a suis sponsis deserantur*. Qua de re censuit, *tum propter grave hoc periculum, tum ob earum morigeram vitam, atque pudicam, eas dignas benigna Vestra summa commiseratione, atque charitate*.

Licet vero alia memoraverit concessa subsidia scutor. 200., & 300., ac rationes exposuerit, ex quibus Theodora præsertim indulgendum sibi autumabat supra ceteras vocatas, ejus scilicet ætatem annorum 23., meritumque ipsius patrui in vindicandis bonis legati; ut parciores tamen essent EE. Vestræ in concedendis cumulis, hæc addidit: *Pecunia numerata, & deposita pro dotibus, prout mihi asseritur, est tantum scut. 50. circiter, in creditis retrahendis scut. 477., in totum sc. 527. Horum partem majorem debet Petrus Paulus Monetti pater Theodoræ. Puellæ autem, quæ jus habent ad dotem de Dominis, quasque celare crimen duco, sunt actu plusquam triginta. Harum nubiles, quæque nuptiarum sortem avide expectant, & in dies contingere possent, præter Oratrices, extant supra decem. Itaque si istis viro jam maturis, aliisque quæ adolescunt, & illis quæ nascentur, quidquam præjudicii ex dotium augmento inferatur, & prout postulant Oratrices, cum reditus pro hisce dotibus nequeant annuatim excedere scutata centum, erit EE. Vestrarum cognoscere*. Post nonnullos hinc dies per alteram informationem monuit, quod Theodora *diem ante, qua scripsi, matrimonium de præsenti jam celebraverat, ideoque sive obtineat, aut secus, quantum efflagitat, nuptiæ ejus, ac sors in tuto sunt*.

Alia interim pro cumulo scutorum 200. supervenit instantia Angelæ Arcangeli, germanæ scilicet sororis Rosæ, quæ simile obtinuit subsidium per rescriptum 29. Januarii 1791., & ita quo ad eam se habuit Vicarius Generalis: *Inficiari nemo profecto audebit, quin modus omnino sit adhibendus in harum dotium distributione, ne tot adolescentulæ certum deinceps capiant detrimentum. Nihilominus Angela oratrix suo in supplici libello fuse narrat, & comprobat, quantum sui Majores pro hoc opere de Dominis fuerint benemeriti. Accedit ad præsens, quod ejus pater, nuper a me in*

ad-

administratorem designatus, curam & studium confert ad reditus & bona vindicanda, vel ne saltem ruant in pejus opera eorum, per quos minus deberetur. Ad quod animadvertentes ceteri descendentes, quamquam bene præsentiant sibi damnum obventurum, requisiti ab Oratrice, petito augmento assentiuntur. Constat autem, mihique est nota occasio suarum nuptiarum. Conclusio, seu verius expedita effectio pendet ab ipso augmento, Quæ cum ita sint, erit clementiæ, summæque EE. Vestrarum potestatis statuere quidquid in casu æquum rectumque Vobis videbitur.

Priora duo ex infrascriptis Dubiis concordata fuerunt contradicentibus Theodora Monetti, & Augela Arcangeli; tertium pro contumace Nazzaria Monetti ex officio. Sibi igitur Theodora Monetti deberi contendit cumulum scutorum 300., & cum prælatione quo ad Angelam Arcangeli. Eam porro summam convenire ait honestæ suæ conditioni, gravique suæ paupertati, de quibus testatur Vicarius Generalis; similibus potissimum attentis exemplis in facto enunciatis, decretisque Sacræ Congregationis *in Perusina Legati dotis* 4. *Maii* 1758., & *in Narnien. Subsidii Dotalis* 11. *Septembris* 1762. Prælationem vero exigere majorem ipsius ætatem, proximioritatem Fundatori, meritaque patrui in vindicandis tuendisque bonis piæ fundationis. Obesse ei posset, quod reservata sunt dotalia subsidia puellis, & ipsa jam nupsit, juxta sententiam *Cancerii var. resol. cap.* 22. *num.* 182. *part.* 3, *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *num.* 2. Sed notandum, quod eidem debetur dos jure actionis, ex illius nempe reservatione pro consanguineis, quodque cumulum petiit ante initum matrimonium. Utroque enim casu integrum etiam post matrimonium manet jus vocatæ, ut in terminis dotis debitæ jure actionis tradunt *Fontanell. de pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 6. *gloss.* 3. *part.* 4. *num.* 49. & *seqq.*, *Covarr. in cap. officii num.* 10. *de testam.*, & in terminis factæ petitionis ante matrimonium Sac. Congregatio *in Cæsenaten. Subsidiorum Dotalium* 29. *Novembris* 1788. *ad II. Dubium*.

Theodoræ non adversatur in genere Angela Arcangeli (communem enim & ipsa agit causam) sed restringendum contendit dotalem illius cumulum ad sc. 200. juxta novissimum exemplum Rosæ Arcangeli, suamque petitionem, eumque solvendum ex summa scutorum 422., quæ pio operi debet ipsius Theodoræ pater.

ter . Propriam deinde tuetur petitionem ex iisdem rationibus, ex quibus obtinuit ejus soror parem cumulum scutorum 200. die 29. Januarii 1791. , illudque , paupertate carens , potissimum urget , quod sibi tanquam consanguineæ debetur subsidium dotale jure actionis, & sic etiam diviti , *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *sub num.*9. Num vero in concursu aliarum consanguinearum paupeɾum, EE. Vestræ decernent . Suam quidem ipsa suadere nititur relativam paupertatem : sed opponitur Vicarius Generalis , qui testatus fuit anno 1791., quod illius parentes *inter præstantiores , ac locupletiores Provinciæ recensentur* .

Quo ad Nazzariam denique Monetti hæc utique, si credendum est Defensori Angelæ Arcangeli , destitit a petitione subsidii ob ejus dissoluta sponsalia ; & in hoc supposito consequi non deberet præmaturum cumulum , ut *in Firmana Subsidiorum Dotalium* 31. *Maii* 1766. *ad II. Dubium* . At de adhuc vigentibus sponsalibus testatur Vicarius Generalis , eaque fortasse a suis deducendis juribus abstinet præ paupertate; ob quam tamen mereri posset gratiam , nisi ei , aliisque Oratricibus obstaret reliquarum puellarum præjudicium Præter Oratrices enim , aliæ sunt *supra decem* consanguineæ puellæ nubiles , vixque , teste Vicario Generali ad elapsum annum superextabant scuta 50. , & debitorum nomina in scutis 477. Deliberandum ergo, num *modus omnino sit adhibendus in harum dotium distributione , ne tot adolescentulæ certum deinceps capiant detrimentum* , ut idem monet Vicarius Generalis . Quidam Oratricibus favent consanguinei ; sed non omnes sunt , quorum puellæ subsidium petere valent .

Dubia sunt .

I. An , & in qua summa concedi debeat cumulus dotium Theodoræ Monetti in casu &c.

II. An , & in qua summa concedi debeat cumulus dotium Angelæ Arcangeli in casu &c.

III. An , & in qua summa concedi debeat cumulus dotium Nazzariæ Monetti in casu &c.

Ad I. Affirmative pro scutis 150. excomputandis cum debito patris .

Ad II. Affirmative pro scutis biscentum .

Ad III. Affirmative pro scutis 150. excomputandis cum debito petri Pauli Monetti .

NE-

NEPESINA MEDIÆ ANNATÆ. Quum parochialis Ecclesia S. Sebastiani oppidi Flaviani reputaretur olim Collegiata, ejus idcirco Archipresbyter, Canonici duo, & Beneficiati immunes semper fuerunt a solvenda Nepesinæ Cathedrali media annata ad formam Constitutionis *Pius & Misericors* Benedicti XIII., de qua *in appendic. ad Concil. Roman.* Primus omnium se ad illius solutionem obligavit anno 1777. hodiernus ejusdem Ecclesiæ Archipresbyter Jacobus Andora; absolutisque deinde per EE. Vestras assertis Capitularibus a celebratione Missę Conventualis ob defectum collegialitatis *in Nepesina Missæ Conventualis* 16. *Maii* 1789. *ad I. Dubium*, parem superiore anno 1793. emiserunt obligationem Sacerdos Paulus Biondi provisus de Canonicatu, & Sacerdos Laurentius Pangallozzi de Beneficio. Ne vero ad indebitam fortasse procedat exactionem, ab EE. Vestris postulat Capitulum Cathedralis, num reipsa præfatus Archipresbyter, Canonicus, & Beneficiatus assumptam adimplere teneantur obligationem; & a suo Nepesinus Episcopus abstinens voto, jura dumtaxat exponit Partium, licet favere potius videatur Cathedrali. *Sess. 24. cap. 12 de Reform.*

Suam Beneficiati tuentur immunitatem ex consuetudine, rejudicata, propriaque Ecclesiæ indigentia. Ex consuetudine, quia nunquam eorum decessores ab edita *Benedictina*, ab anno scilicet 1726., mediam solverunt annatam Cathedrali. Ex rejudicata; nam die 14. Martii 1744. absolutus fuit Canonicus Antonius Valvassonius ab illius solutione, ut *in lib. Decret.* 94. *pag.* 158. Et ex indigentia proprię Ecclesiæ; dum graves urgent ejus reparationes, quę illud prælationis quodam jure merentur subsidium, quod fabricæ suæ causa postulat Cathedralis. Hęc altera ex parte suam fundat intentionem in *Benedictina*, quæ jus tribuit consequendi mediam annatam ex *Canonicatibus, & Beneficiis tam residentibus, quam non residentibus, & simplicibus sitis extra Ecclesias Collegiatas*, ideoque comprehendit Beneficia Ecclesiæ S. Sebastiani, quæ Sacræ Congregationis judicio destituta est collegiali qualitate. Contrariam negligit consuetudinem, quum respiciat tempus opinatę collegialitatis; & ad rem non pertinere ait decretum Sac. Congregationis anni 1744., nam absolutus fuit Valvassonius a solutione mediæ annatę, non favore Cathedralis, sed ipsius tunc assertæ

Collegiatę S. Sebastiani, eo quod incumberet ejus fabrica Duci Flaviani patrono. Atque ex hac demum patroni obligatione, assertam ceteroquin necessitatem excludit reparandi propriam Ecclesiam, ad quam non tenentur Beneficiati.

Deliberandum igitur.

An Archipresbyter Andora, Canonicus Biondi, & Beneficiatus Pangallozzi teneantur ad solutionem mediæ annatæ in casu &c.

Affirmative.

Sess.21. cap.7. & Sess.25.cap. 9. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI CAPELLANIÆ. Suppresso de anno 1650. ex Apostolicis Literis Innocentii X. Cœnobio PP. Minorum Conventualium sub titulo Sancti Sebastiani in oppido Lupiani, duæ anno 1653. ex illius reditibus scutorum tunc sexaginta circiter erectæ fuerunt de mandato Congregationis particularis amovibiles Capellaniæ; reservato Jure eligendi Capellanos Episcopo Civitatis Castelli, iisque imposito onere conservandi cum Cœnobio Ecclesiam; docendi viritim grammaticam, & sacramentales excipiendi confessiones; applicandi Sacra Cœnobio adnexa ad numerum 186., & celebrandi in ejus Ecclesia diebus Dominicis, & Festis absque applicatione. Quum progressu autem temporis præ montuosa prædiorum Cœnobii positione, neglectaque per amovibiles Capellanos illorum cultura, decrevissent reditus ad scuta circiter 36., & alter in oppido inductus esset Ludimagister, Sacra idcirco hæc Congregatio facultatem Episcopo concessit anno 1741. deputandi in posterum unum Capellanum, qui adimpletis Missarum oneribus, coadjuvare teneretur Parochum oppidi in cura Animarum; atque ita ad nostram servatum est ætatem.

Aliud

Aliud modo est incommodum ; nam gravi indigent reparatione Ecclesia S. Sebastiani , ædesque adnexæ , impensa nempe scutorum circiter centum , cui par non est Capellanus , licet aucti sint Capellaniæ reditus ad scuta 44. . Religionis tamen impulsu , nedum Eques Franciscus Montini ex Marchionibus Borbon del Monte , ad quem pertinet oppidum Lupiani , reparare pollicetur Ecclesiam , & ædes intra biennium , sed annua etiam despondet scuta octo in perpetuam illarum manutentionem , dummodo tribuatur sibi , suisque successoribus in familiari primogenitura jus præsentandi Episcopo duos Sacerdotes , ex quibus eligat Capellanum , & Episcopus , qui supplicem in id ad EE. Vestras dedit libellum , maxime utilem in sua informatione , & omnino admittendam censet propositionem *præsentandi mihi , meisque successoribus tres Sacerdotes , ex quibus Capellanus eligatur* ; eoque facilius admittendam , quia petitum jus præsentandi *nihil certe minuit episcopale jus , quod etsi liberum , exerceri tamen nunquam expedivit , nisi favore Sacerdotis patronis feudi accepti , ac benevisi* .

Jus nominandi ad Beneficium , vel Capellaniam acquiritur per donationem , *Piton. de controv. patron. allegat.* 49. *num.* 45. , dummodo dimidia saltem dos constituatur , *can. nemo Ecclesiam de consecrat. dist.* 1. , *Vivian. de jurepatr. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *sub num.* 4. , *Fargn. eod. tract. part.* 1. *can.* 5. *cas.* 7. *num.* 19. . Illud ergo mereri non videtur Marchio Borbon del Monte , qui ultra sumptum scutorum centum in reparationem Ecclesiæ S. Sebastiani , & adnexarum ædium , vix præexistenti doti Capellaniæ annui reditus scutorum 44. addere quotannis pollicetur scuta octo . Eoque magis , quia de Capellania agitur reservata Episcopis Civitatis Cavelli pro tempore , ac nedum propterea hodierno Antistiti , qui Marchioni favet , sed ejus quoque itererit successoribus , ne ex libera fiat patronalis , *Fargn. de jurepatr. part.* 3. *can. unic. cas.* 1. *num.* 32. , *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 13. *num.* 142. , & 152. . Hanc porro Antistes ipse servare posset libertatem , si ob non redundantes Capellaniæ reditus , suo ipse ære tamquam patronus repararet Ecclesiam , ædesque adnexas , ad præscriptum *Sacri Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*

Qui offert vero reparationem , dotisque augmentum , Do-

minus est oppidi Lupiani ; & episcopale jus conferendi Capellaniam, *etsi liberum, exerceri tamen nunquam expedivit, nisi favore Sacerdotis patronis feudi accepti, ac benevisi*; ideoque absurdum non esset ei concedere jus nominandi Capellanum tamquam benefactori, ad quem Episcopi in liberis collationibus absque oblato beneficio respexerunt; quum jurispatronatus concessio sit gratiosa, *Piton. de controv. patron. allegat.* 47. *numer.* 35., *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 68. *num.* 1., & *disc.* 86. *num.* 6.. Et hoc etiam notandum, quod res non est de jure nominandi unicum Sacerdotem, sed duos juxta obligationem Marchionis, & *tres* juxta informationem Episcopi, ex quibus liceret Episcopo eligere Capellanum, penitusque idcirco collationis jus non amitteret.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit concedendum jus nominandi in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

ASCULANA. Permisit Sacra hæc Congregatio venditionem domus Capellaniæ Tibaldeschi favore illorum de Prætarolis, pretiumque scutorum 650. investiri mandavit in stabilibus. Propositis enim Dubiis I. *an sit locus venditioni domus*, & quatenus affirmative, II. *an investiendum sit ejus pretium in stabilibus, seu potius in censibus, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis*; respondit die 21. Junii 1788. ad I. *affirmative juxta votum Episcopi*, ad II. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. Proposuerat Episcopus solutionem fructuum compensativorum in scutis quatuor pro quolibet centenario quousque fieret investimentum, atque monuerat, quod quum fructus illi summam attingerent scutorum 26., & annua domus pensio fuisset scutorum 18., dubitari non posset de utilitate alienationis *in casu, quo annui reditus investimenti in posterum faciendi correspondeant fructibus compensativis*.

Ob

Ob difficultatem conficiendi investimentum in stabilibus, plures inter emptores, & Clericum Vincentium Ventura possessorem Capellaniæ ortæ fuerunt quæstiones, quæ stipulationem retardarunt instrumenti. Sed obtulerunt tandem Prætarolii tot Loca MM., quot oblatum æquarent pretium scutorum 650., declaravitque Sacra Congregatio die 16. Julii 1791., *Loca MM. cameralia non vacabilia esse investimentum ad instar stabilium*. Atque in exequutionem hujusce rescripti præfixit Asculanus Episcopus Capellano terminum quindecim dierum ad stipulandum instrumentum venditionis domus *favore RR. DD. Aloysii, & Antonii fratrum Pretaroli pro pretio oblato scutorum* 650. *cum onere solvendi fructus compensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario & anno, donec tamen & quousque per dd. emptores non fuerint libere propriis expensis resignata tot Loca MM. S. Petri favore dictæ Capellaniæ cum reservatione fructuum favore ejusdem Clerici Ventura Rectoris, ejusque successorum*. Gravatum vero se censuit Capellanus (autumabat enim, tot præstanda esse Loca MM., quot æquarent in reditu compensativos fructus scutorum 650.) provocavitque idcirco ad A.C. Sed remissa Causa ad Sacram Congregationem per decretum Emi Præfecti Signaturæ Justitiæ, infrascriptum modo disputatur Dubium.

Nulla profecto est quæstio de oblato investimento in Locis MM., quum hæc habeantur pro stabilibus, tum ex sententia *Cenc. de cens. cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 13., *Card. de Luc. de regal. disc.* 43. *num.* 2., *Constant. de Loc. MM. disc. unic. art.* 1. *sect.* 4. *num.* 120., cum ex rescripto Sacræ Congregationis 16. Julii 1791., sed versatur contentio circa illorum quantitatem. Certum emptores debere ajunt domus pretium in scutis 650. ex rescripto 21. Junii 1788., illudque ex posteriori rescripto 16. Julii 1791. in Locis etiam MM. investitum. Satis ergo obligationi suæ facere concludunt, si id in sorte Locorum MM. præstent, quod debent. Ex sua immo mora in accipiendis Locis MM. post sententiam Episcopi, lucrari ajunt Capellanum: nam ob imminutum in dies illorum pretium, major nunc ad æquandum pretium domus tradenda est eorumdem quantitas. Ceterum inito calculo ostendunt, Loca MM. sex, & centes. 13. ad rationem scutorum 106. pro quolibet, quanti

nunc

nunc ad summum æstimantur illa S. Petri, annua reddere scuta 18. & ob. 39., & sic quid supra pensionem domus. Opus vero non esse, ut illorum reditus respondeat fructibus compensativis, quum horum conventio fuerit temporaria, quousque justum scilicet non traderetur investimentum.

Urget altera ex parte Capellanus rescriptum ipsum 21. Junii 1788. ad I. Dubium, nempe *Affirmative juxta votum Episcopi*. Quandoquidem Episcopi votum erat parandi Capellaniæ reditum respondentem fructibus compensativis per ea verba = *in casu, quo annui reditus investimenti in posterum faciendi correspondeant fructibus compensativis* = (per dubitativam tamen dictionem *in casu*) Nedum vero per traditionem Locorum MM. in sorte scutorum 650., ea non haberetur utilitas, sed esset etiam Capellania in damno; nam detractis strenis solvi solitis pro quolibet Loco in depositaria Camerali; nec non stipendio exactoris, sumptibusque transmissionis pecuniæ ad Capellanum, annui superessent dd. Locorum fructus in scutis 17. 61., juxta calculum ipsius Capellani; minores certe pensione domus, contra mentem Sacrę Congregationis.

In quæstionem igitur venit.

An, & quot Loca MM. sint resignanda in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. cap. 4. & sess. 25. cap. 9 de Reform.

RECINETEN. PAROCHIÆ. Causa hæc sub judice remansit in præcedenti Congregatione 12. Julii per rescriptum *iterum proponatur*. Vestræ nunc reproponitur deliberationi.

An, & quæ nominatio sustineatur, seu potius sit locus novæ nominationi, prævia legitimi temporis præfixione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Septembris 1794. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ASCULANA.

An, & quot LL. MM. sint resignanda in casu &c. *Ses. 25. cap. 11. de Reform.*

Affirmative, & esse resignanda tot Loca Montium cameralium, quot currenti pretio æquent summam scutorum 650., & amplius.

RECINETEN. PAROCHIÆ.

An, & quæ nominatio sustineatur, seu potius sit locus novæ nominationi, prævia legitimi temporis præfixione, in casu &c. *Sess. 21. cap. 4. & sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Sustinendam esse nominationem favore Brandoni, & amplius.

CAMERINEN. MATRIMONII. Octennio concubuit Nicolaa Ruiti cum ejus viro Joanne Mattei, a mense nempe Septembris 1781, quo ei nupsit, ad mensem Septembris 1789., quo litem hanc instituit. Post talem igitur concubitum, impotentiæ postulavit virum coram Vicario Generali Camerini: sed re per examen conjugum, septimam ex parte actricis manum, corporumque inspectionem mature cognita, definitive Vicarius *Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrimon.*

rius Generalis pronunciavit die 30. Julii 1792., non constare de nullitate matrimonii, ideoque *Nicolaam Ruiti teneri, & obligatam esse præstare præfato Mattei suo viro obsequia matrimonialia, & ad id cogendam esse opportunis juris remediis*. Huic vero non acquiescens sententiæ, Causam Ruitia prosequitur in hac Sacra Congregatione.

Ad absolutam probandam impotentiam viri, quæ matrimonium dirimit, *ex cap. quod sedem de frigid., & malefic.*, satis arbitrantur Defensores Ruitiæ, quod post cohabitationem triennalem illæsa permaneat virginitas mulieris, ut sentiunt *Reiffenstuel. in jus canon. lib. 4. Decretal. tit. 15., Ursaya discept. eccles. 7. num. 41. tom. 6. part. 1., Rot. ad ornat. Card. de Luc. tom. 2. lib. 14. decis. 11. num. 56.*, satisque hujusmodi probationem censent ad dissolvendum matrimonium, per *Text. in cap. laudabilem de frigid., & malefic., Bouchier della dissoluz. del matrim. num. 104.*. Certa autem affirmant virginitatis signa ex *cap. causam matrimonii 15. de probat., & Wier. observ. lib. 1. pag. 939., Heister. compend. anatom. pag. 81., Welselt. lib. obstetric. part. 1. pag. 28., Ruisch. thesaur. anatom. lib. 3. tom. 2. theor. 5. num. 56., Scuring. in muliebr. lect. 2. cap. 5. §. 9., & seqq.*. Atque hinc ad rem inferunt, multo minus de absoluta Joannis Mattei impotentia, ac de dissolutione dubitandum matrimonii post octennem, inutilemque cohabitationem cum adhuc virgine uxore, ad tradita per *Rot. in citat. decis. 11. sub num. 56. ad ornat. Card. de Luc. tom. 2. lib. 14.*

Toti igitur sunt in demonstranda Ruitię virginitate. Aliquid sane de hac loquuntur medici, chirurgi, obstetrices, quæ illius muliebria de mandato Judicis inspexerunt. Extrajudicialis etiam est peritia medici, & chirurgi lauretani, qui ante institutam litem, impotentem dixerunt virum, virginem uxorem; & disertatio tandem aliorum quatuor judicialium peritorum, qui corpus explorarunt viri, & ex judicialibus peritiis mulieris exploratam affirmant ejus virginitatem. Tanti autem præfati Defensores faciendam contendunt virginalem hunc Ruitię statum, post triennem non modo, sed octennem exactam cohabitationem, ut in dubia etiam impotentia viri, ad dissolutionem matrimonii attendi mereatur, *Sanch. de matrim. lib. 7. quæst. 108. num. 5.*, *Pichler. in lib. 4. Decretal. tit. 10. num. 8.*. Eo magis,

quia

quia solemne accedit ejusdem Ruitiæ juramentum de non consumato matrimonio; iteratæ in id conquestiones apud Confessarios; septimaque propinquorum ejus manus.

Quamvis de cetero non requirant Canones inspectionem corporis viri, sed unius mulieris, ut *in cap. causam 7. de probat.*, *& in cap. laudabilem de frigid.*, *& malefic.*, ea tamen expleta ex inveterata praxi, de qua testatur *Buochier della dissoluz. del matrim. pag.* 43., perfecte excitare non potuerunt periti brevissimum Joannis Mattei penem, licet omnia adhibuissent remedia artis. Illud etiam Defensores Ruitię in eodem Mattei notant vitium, quod aquosum emittere consueverit semen genitale, ad generationem prorsus ineptum, idque imperfectæ junctum copulæ, quæ ex intactis fere Ruitiæ muliebribus periti desumunt, matrimonii consummationem excludat, secundum *Zacch. quæst. medic. legal. tom. 2. lib. 9. tit. 1. quæst. 1. num.* 8., *&* 9., *Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 21. num.* 5., *& lib. 7. disp.* 92. *sub num.* 7.

Hæc summatim sunt, ex quibus Ruitia solutionem auguratur matrimonii non consummati, vel ad generationem inepti. Adversus eam vero consistit Defensor matrimonii, queriturque primum, quod in processum obtruderit Ruitia extrajudiciales testes, disertationes, diatribæ phisiologicæ, *&* similia, contra formam *Benedictinæ*, ac spreta protestatione Defensoris matrimonii a camerinensi Curia deputati, ne scilicet procederetur, *nisi servatis de jure servandis, ac testibus formiter repetitis cum interrogatoriis, quæ omnino dare intendit*. Hinc ad merita descendens Causæ, onus in Ruitiam actricem refundit demonstrandi in ejus viro veram, realem, perpetuam, insanabilem coeundi impotentiam, ad *Text. in cap.* 2., *& tot. tit. de frigid.*, *& malefic.*, *de Just. de matrim. lib. 2. cap. 2. num.* 34., *& seq.*, *Argenvellier, apud Constantin. tom. 5. vot. ult.* §. 15.. Alias enim locus non est dissolutioni matrimonii, juxta *cap. ex literis de probat.*, *& cap. licet de testib.*, *Rugler. de matrim. quæst. 2. cap. 5. §. 2. n.* 1148., *Sanch. eod. tract. lib. 7. disput.* 103. *num.* 7., *& seq.*, *& Rot. in Romana Nullitatis Matrimonii* 25. *Junii* 1781. §. 3. *cor. R.P.D. de Bayane*.

Nedum autem assertam impotentiam ab extrinseco, sed ab intrinseco etiam excludit. Extrinsecus porro inve-

risimile dicit, quod ferre voluerit Ruitia impotentem virum per octennium, ut per *Text. in cap. 1. de frigid. & malefic.*, observant *Jo. Andr. ibid. num. 4.*, *Pirrinch. in lib. 4. Decretal. tit. 15. sub num. 14.*, & *S. Joan. a Capistran. super 5. decretal. tit. de pœnitent.*, & *remiss. num. 230.*, seramque idcirco impotentiæ querelam suspectam esse, *Barbos. in cap. 1. de frigid.*, & *malefic. num. 6.*, *Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 106. num. 1.*, & *Rot. apud Zacch. quæst. medic. legal. decis. 22. n. 11.* & 15., Intrinsecus vero argumenta sumit potentiæ ex confessione conjugum, & judicialibus relationibus peritorum, qui eorum corpora explorarunt.

In responsione siquidem ad *quintum* interrogatorium fatetur Ruitia, flaccidum non fuisse penem viri in actu coitus, licet non semper emitteret semen. De perfecta vero matrimonii consummatione ab initio, frequentique deinde copula jurat ejus vir, cujus prævalet fides, per *Text. in cap. super eo, de eo, qui cognov.*, *cap. accepisti de frigid.*, & *malefic.*, *ibiq. gloss. verb. probari*, *cap. continebatur de dispensat. impuber.*, & *can. si quis acceperit 33. quæst. 1.*. Remque confirmant periti. Qui corpus enim inspexerunt viri, de fortitudine testantur in qualibet illius parte, ac de extenso pene *in tutte le sue dimensioni*, dum eum concitarunt. Et quamvis ob dissipatam venerem, de continua dubitent erectione, absolutam tamen, perpetuamque excludunt impotentiam. Qui muliebria autem tentarunt Ruitiæ, signa notant virginitatis exclusiva, uno excepto medico Serra, qui illam vult incorruptam.

Chirurgus enim Orazj vidisse ait *il ligamento membranoso rilassato, la chironda un poco flaccida, . . . l' imene lasso, ma non diviso, o lacerato*; atque ex his signis aliquam admittit, licet imperfectam defloration̄em. Medicus item Laurentj deprehendit *l' imene alquanto lasso, ma privo di caruncule*, & distinguendo inter phisicam, & moralem virginitatem, admittit in Ruitia phisicam, seu visibilem, & dubitat de morali, quam non lædit subtilis penis introductio. Et Chirurgus alter tandem Ricchi testatur etiam de hymene *abbassato, e molle*, & non judicat de virginitate *con indubitata, ed innegabile certezza, perchè un pene sottile può introdursi senza cambiamento, o lacerazione dell' imene*. Una vero ex obstetricibus intactam affirmat Ruitiam, licet ejus muliebria *sint un pochetto dilatate*; & altera fatetur tenuem

nuem lacerationem nymphæ, imperfectam mentulæ penetrationem, facilemque digiti introductionem absque patientis dolore, ita ut neque asserere valeat Ruitiam omnino virginem, neque perfecte corruptam.

Actum ergo, inquit matrimonii Defensor, de asserta Ruitiæ virginitate, de qua talia deponunt judiciales periti; neque in nostro themate dubitandum, quin absque magna muliebrium læsione, perfecte consumari potuerit matrimonium a Joanne Mattei, qui eorumdem peritorum testimonio, mentulam habet brevem, valdeque subtilem, ut observant etiam *Sanch. de matrim. lib. 2. disput. 21. numer. 2., Zacch. quæstion. medic. legal. lib. 4. tit. 2. quæst. 2. num. 28., & seqq., & lib. 9. tit. 3. quæst. 3. num. 4.*. Quod vero sequutus non fuerit consumationis effectus per conceptionem fœti, unam ex hoc desumi ait impotentiam generandi, sive ob sterilitatem mulieris, sive ob infœcundum semen, quæ matrimonium non dirimit, *Zacch. quæst. medic. legal. lib. 3. tit. 1. quæst. 7. num. 1., & seqq., & sub num. 16., Pont. de matrim. lib. 7. cap. 60. num. 3.* Ceterum per extrajudiciales testes probat, fassam Ruitiam fuisse abortum.

Quæritur itaque.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Negative.

EUGUBINA MANSIONARIÆ. Querebatur die 5. elapsi Aprilis, *an, & cui sit danda institutio*, & Sacra hæc Congregatio respondit, *institutionem dandam esse Cajetano Paffi*. Iterum modo, eodem certante Paffio, & Clerico Jo. Baptista Macconi, proponitur Causa; perpensisque novis eorum scriptis, deliberare dignentur Emi Patres. *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

MOLEN. LEGATI PII. Legavit anno 1758. Franciscus Maria Bianchi *scudi trecento investiti in tanti capitali di censi, o in denaro contante al Padre Parroco, che sarà pro tempore nella Chiesa di San Francesco di Paola* (Oppidi Lugi) *accioche da esso, e dagli altri Religiosi Chierici Regolari delle Scuole Pie, che qui stanzieranno, colla metà de frutti, che si ricaveranno da esso capitale, o capitali, mi siano celebrate tante Messe nel giorno anniversario della mia morte, le quali tasso secondo la disposizione della tassa romana in ragione di bajocchi 16. 4. per ciascheduna . . con questo che per la Messa del Padre Parroco, che voglio sia cantata in detto giorno, gli si diano paoli dieci . . l' altra metà di essi frutti . . dovrà esso Padre Parroco distribuirla a quei Sacerdoti unicamente della detta Parrocchia di S. Francesco di Paola, i quali sono più frequenti al servizio di detta Chiesa . . cioe con detta metà di frutti far celebrare da detti Preti tante Messe a bajocchi 16. 4. l' una in detta Chiesa, detratti bajocchi 40. per le campane, e cera, e bajocchi 5. per l' Accolito che assisterà*. Eo autem, ineunte anno 1764., defuncto, pium opus per aliquot annos adimpleri fecit ipsius heres Joannes Evangelista Azzaroli Bianchi, retenta summa legata. Anno tandem 1770. solvit Parocho, & Patribus Scholarum Piarum scuta 70. in computum legati; alia scuta 100. anno 1773., & reliqua 130. sequenti anno 1774., acceptamque pecuniam identidem occuparunt Religiosi in censibus cum fructu scutorum sex, & dimidii in singula centum.

Nullum legatarii in primis & secundis tabulis de recepto in se assumpserunt periculum capitalis : sed in tertio instrumento anni 1774. perpetuo liberarunt heredem & hereditatem ab onere legati, illudque ipsi de licentia eorum Provincialis susceperunt per hæc verba = *li MM. RR. PP. come sopra capitolarmente congregati assolvono, e perpetuamente liberano il predetto Signor Giovanni Evangelista Azzaroli Bianchi, e l' eredità del fù Signor Dottor Bianchi dal peso di detto legato, la soddisfazione del quale assumono in se, mediante anche la facoltà, ed approvazione del M. R. P. Leonardo Targioni della Concezione, attualmente Preposito Provinciale del loro Ordine delle Scuole Pie nella Provincia di Toscana, come da detta facoltà ed approvazione apparisce a piedi del memoriale, che tutto original-*

palmente mi si dà ad effetto d'inserirlo nel presente istromento. Declararunt insuper, quod *l' adempimento del legato, e pia disposizione sudetta da quì in poi resterà obbligo passivo della summominata Casa delle Scuole Pie, e de Padri sudetti, e successori in essa*; seque idcirco, suosque successores obligarunt *al perpetuo adempimento di detto legato*, nec non *di evizione generale, e speciale, e di legittima difesa in forma*.

Ad hanc deinde advertentes gravissimam obligationem, cessarunt post nonnullos menses ab exequutione legati, & urgere ceperunt heredem, ut promissam remitteret evictionem, vel traditum resumeret capitale, ejusque onera adimpleret. Questus contra fuit heres apud EE. Vestras de inadimplemento legati, petiitque anno 1776., ut ad officium cogerentur Religiosi; ac remissis precibus ad clar. mem. Cardinalem Baudi imolensem tunc Episcopum pro informatione & voto, *non retardata interim celebratione Missarum, etiam quo ad præteritum ad formam dispositionis Testatoris*, censuit ille, moderandam esse obligationem Patrum ad tramites juris, *interim tamen non retardata satisfactione Anniversariorum, & Missarum tam decursarum, quam decurrendarum, facta & admissa protestatione, quod per hujusmodi satisfactionem nullum exinde intelligatur irrogatum præjudicium dicto Collegio, ejusque successoribus circa acceptationem, & perpetuam manutentionem dicti legati*. Proponenda erat Causa *citatis interesse habentibus*: at supersederunt Partes ad hæc tempora, & nedum ab anno 1775. adimpletum non est legatum, sed sub otioso etiam sunt deposito sortes duplicis census, altera nempe scutorum 100. restituta mense Junio 1775., altera scutorum 130. mense Martio 1784., nec non fructus percepti ante hujusmodi restitutiones, & ex tertia adhuc fructifera sorte scutorum 70.

Anno tandem 1791. Sacram hanc adiit Congregationem qui romanam moderabatur Scholarum Piarum Provinciam, formiterque renovavit instantiam pro relaxatione evictionis assumptæ a Patribus Collegii Iugensis, vel abdicatione capitalis, ejusque fructuum, ex quibus cogi deberet heres præterita, & futura onera adimplere. Auditis autem Partibus in scriptis, retulit hodiernus Emus Episcopus imolensis, quod *scuta tercentum dabant annuatim, libera a taxa super census*

Lu-

Lugi imposita (juliorum quinque pro quolibet centenario) *scuta decem & octo , & sic annis decem & septem , quot effluxerunt ab anno* 1774. *inclusive* (quo suspensa fuit exequutio legati) *usque ad Februarium anni* 1791. , *ex scutis* 300. *debuissent provenire scuta* 306. *Sicuti vero hoc annorum decursu extincti fuerunt duo census , videlicet unus scutorum* 100. *mensibus sexdecim a suspensione satisfactionis legati , & alter scutorum* 130. *annis decem ab ipsa suspensione , neque hi duo census unquam huc usque investimentum habuerunt ratione evictionis , & solum remansit usque ad Februarium* 1791. *census scutorum* 70. , *hinc fructus percepti constituunt summam scutorum* 170. 51. 8. , *& detractis expensis remanserunt scuta* 147. 48. 6. *Hinc apparet , existere in depositum ex capitali scutorum trecentum scuta* 230. , *ex fructibus perceptis scuta* 147. 48. 6. , *& in totum constituitur summa scutorum* 377. 48. 6.

At suum votum in hæc aperuit verba : *Instrumentum diei* 26. *Februarii* 1774. *videtur nullum defectu facultatum Apostolicarum quoad evictionem , & onus Domui religiosæ impositum pro perpetua satisfactione legati . Legatum vero natura sua videretur subjacere Ordinario ex quo Testator disposuit & ordinavit , scuta* 300. *consignanda esse Parocho S. Francisci de Paula , & non jam Patribus Scholarum Piarum , aut eorum Domui religiosæ , & satisfactionem legati voluit , & vult adimplendam esse pro una medietate a Parocho , & Religiosis Scholarum Piarum , & pro medietate altera a Presbyteris Parochiæ S. Francisci de Paula , servatis conditionibus in suo codicillo a se præscriptis . Quapropter præmissis omnibus , ceterisque mature consideratis , videretur dicendum , declarandos esse Patres Scholarum Piarum , eorumque Domum religiosam liberos , & liberam ab omni vinculo evictionis , & oneris passivi satisfaciendi legato .*

Et inde aut heres Joannes Evangelista Azzaroli Bianchi retro recipit summam scutorum 300. *in numerata pecunia , & fructus perceptos , & depositatos , cum onere adimplendi legatum juxta mentem Testatoris , tam tam de præterito , quam de futuro dependenter ab Ordinario ; aut ipsa summa trecentum scutorum cum fructibus perceptis consignetur Congregationi compositæ*

ex Parocho S. Francisci de Paula, Religiosis Sacerdotibus Scholarum Piarum, & Presbyteris Parochiæ S. Francisci de Paula, & hæc sortem capitalis investiat, administret, & curet annualem satisfactionem legati dependenter ab Ordinario, & absque ulla communicatione cum Domo religiosa Scholarum Piarum, ejusque bonis; ideoque ad hunc effectum, & pro bono regimine talis Congregatio administratores, & capserium constituat, & libros necessarios efformet. Quid autem agendum sit de fructibus deficientibus ob capitalia restituta, & a Patribus Scholarum Piarum non amplius in census activos constituta, ne præjudicia evictionis incurrerent, facile percipient EE. Vestræ ex foliis, quæ transmitto.

Quo ad primũ ex infrascriptis Dubiis urget heres solemnem evictionis promissionem per instrumentum anni 1774., datamque fidem servandam contendit ex *leg.* 1. *ff. de pact.* Maxime quia contractum inierunt Religiosi cum approbatione eorum Provincialis. Valide enim assumunt Regulares de licentia ipsorum Generalis, vel Provincialis perpetua Missarum onera ex decretis Sacræ Congregationis *de celebr. Miss.*; relatis in Constit. Urbani VIII. *cum sæpe* 21. Junii 1625., & confirmatis ab Innocentio XII. in Constit. *nuper* anni 1697., recteque idcirco obligari posse videntur ad perpetuam accepti fundi conservationem. Accedit ejusdem contractus observantia, dum arbitrio suo occuparunt Religiosi in censu reliquam etiam summam legatam scutorum 130., quam sub promissione conservationis capitalis, & evictionis acceperunt.

Sustinet contra Scholarum Piarum Provincialis, solvendos esse Patres Collegii Iugensis ab obligatione evictionis, non obstante stipulatione anni 1774., quia obligationem illam assumere noluerunt, non debebant, nec poterant. Noluerunt, quia stipulari voluisse censentur instrumentum anni 1774. ad formam præcedentium, in quibus nullum omnino legitur evictionis verbum, quasi ipsis non advertentibus, addita fuerit illius promissio in posteriori. Non debebant, quia legatum non reliquit Testator Domui religiosæ, sed Parocho, & quia nulla assumptæ obligationis compensatio; nam dimidii fructus capitalis legati partiendi quidem erant inter Parochum, & Religiosos, sed cum

onere

onere Missarum, reliqui inter Presbyteros Parochiæ. In his porro terminis assumpta videri posset evictionis obligatio sine causa, contra *leg. fin. ff. dol. mal. except.* Non poterant denique, ob promissam evictionem, quæ species est alienationis, absque Beneplacito Apostolico, *Olea de cess. jur. tit. 2. quæst. 1. num. 5., & seqq.*

Favere quidem posset Collegio, quod non sibi, sed Parocho relictum fuerit legatum. Sed Parochi forsan nomine respexit Testator ad Collegium, quum non constet de separato illius patrimonio, & ad Collegium potius legatum pertinere declaraverint Religiosi per stipulationes annorum 1770. 1773. & 1774., & Provincialis per licentiam stipulandi ejusdem Collegii nomine. Quin excipere posse videantur Religiosi de addita evictionis clausula præter ipsorum intentionem. Huic namque assertioni auctoritas prævalet publici instrumenti, *Rot. coram Olivat. decis. 155. num. 39.*, ac ipsorum Religiosorum factum, qui amice cum herede egerunt de remittenda evictionis promissione, & sic assumptam obligationem implicite admiserunt. At vero si vires expendantur promissæ evictionis, haud fortasse consistunt. Acceptatio siquidem legati pii cum determinato capitali, accipientem de jure non obbligat ad præstandam ejusdem capitalis evictionem; eoque minus ubi juxta casum nostrum, hujusmodi obligationem non injunxit Testator. Promissio ergo videri posset sine causa, ideoque ex hoc capite, magisque ex defectu Beneplaciti Apostolici, nulla. Atque hinc ponderandum, num æqua sit Religiosorum propositio de moderando instrumento anni 1774. per deletionem evictionis, præter quam in casu propriæ culpæ, & sub obligatione retinendi scripturam legati pii separatam ab illa Collegii.

Quatenus autem eis obstet instrumentum anni 1774., hoc saltem postulat Provincialis, ut reddere valeant capitale & fructus heredi cum onere adimplendi legatum quo ad præteritum, & futurum: eaque forsan est hujusce petitionis ratio, quod ab initio fere reddere velle declaraverint Religiosi acceptum capitale, vix nempe accepta reliqua summa legata scutorum 130., quodque propterea teneretur heres, re quodammodo integra, ac modo etiam illud resumere teneatur, ut voluntatem Testatoris per alios adimpleat. Viriliter alte-

ra

ra ex parte resistit heres, eo quod ex tributo sibi arbitrio prestandi legatum in pecunia numerata, jam per solemnem stipulationem solvit scuta 300., & à sua liberatus fuit obligatione, veluti per rem judicatam, *gloss. fin. in leg. licet §. fin. ff. naut. caup.*

Nisi sustineatur evictionis obligatio per Religiosos assumpta, nec sit concedenda facultas dimittendi capitale, ejusque fructus in manibus heredis, deliberandum secundo, a quibus, & quomodo adimpleri debeat legatum quo ad futurum. Ex testamento siquidem confectio investimenti, ejusque administratio, & implementum onerum pertinere viderentur ad Parochum, nam reliquit Testator legatum *al P. Parroco che sarà pro tempore nella Chiesa di San Francesco di Paola*. Proponit vero Emus Episcopus Congregationem compositam *ex Parocho S. Francisci de Paula, Religiosis Sacerdotibus Scholarum Piarum, & Presbyteris Parochiæ S. Francisci de Paula, quæ sortem capitalis investiat, administret, & curet annualem satisfactionem legati juxta præscripta a Testatore, dependenter ab Ordinario, & absque ulla communicatione cum Domo religiosa Scholarum Piarum, ejusque bonis*: nec fortasse immerito; legatum enim tangit interesse Parochi, Patrum, & Sacerdotum Parochiæ, ac melius per eorum omnium Congregationem implebitur, & servabitur.

Agitur tertio de investimento capitalis scutorum 230. existentis sub deposito. Qui juxta primam hujusce Dubii partem conficere debeant investimentum, à resolutione pendet secundi. Quomodo fieri debeat, hic deliberandum. Ex decretis Sacrę Congregationis *de celebrat. Miss.*, ab Urbano VIII. confirmatis, fieri deberet *in bona stabilia fructifera, vera, non autem ficta, ut sunt census*: sed illud Testator permisit *in tanti capitali di censi*; nec raro Sacra hæc Congregatio idoneum censuit hujusmodi investimentum pro celebratione Missarum, dummodo fieret cum Locis piis, & Communitatibus, ut omissis antiquioribus, *in Camerinen. 24. Novembris* 1787., & *in Romana 5. Junii* 1790. *utrobique ad I. Dubium*.

Ad quartum de refusione fructuum capitalis non investiti scutorum 230., notandum in genere, Testatorem demandasse perennem Missarum celebrationem ex fructibus legati capitalis, impliciteque idcirco perpetuum voluisse ejusdem capitalis investimentum, ita ut re-

fundere debeant fructus scutorum 230., quorum culpa sub otioso tot annorum depositu fuit maxima hæc pars capitalis. Num vero ad hujusmodi refusionem teneantur Religiosi, vel heres, hoc est quærendum. Tribuendum videretur neglectum investimentum Religiosis, qui post acceptum legatum, investitam pecuniam, & adimpleta per aliquod tempus onera, absque culpa negligere non poterant novum investimentum scutorum 230. priusquam per decretum Sacræ Congregationis ab hac obligatione solverentur. Maxime quia in remittendis precibus Bianchi pro informatione, addidit Sacra Congregatio de anno 1776. clausulam *non retardata interim etiam quo ad præteritum celebratione Missarum ad formam testamenti*, & nedum Religiosi non paruerunt, sed ad annum etiam siluerunt 1791.

Altera ex parte animadverti meretur, causam negiecto investimento dedisse heredem impugnando deletionem evictionis, neque ex testamento, neque ex jure debitæ. Hac porro stante contradictione abstinere debebant Religiosi in administratione legati, onerumque adimplemento, ne absque Beneplacito Apostolico ratam haberent evictionis promissionem. Quamquam evadere potuissent evictionis damnum investiendo pecuniam cum protestatione, *quod nullum exinde intelligatur irrogatum præjudicium dicto Collegio, ejusque successoribus circa acceptationem, & perpetuam manutentionem dicti legati*, ut consuluerat clar. mem. Cardinalis Bandi. Quo ad summam denique pro non perceptis fructibus refundendam, deliberare dignentur Emi Patres, num refundi debeat à tempore extinctionis censuum, licet statim, ut passim contingit, novum confici non potuisset investimentum; & ad tempus recursus ad Sacram Congregationem, per Religiosos facti anno 1791., vel ad hodiernam diem; & num sint statuendi in scutis sex cum dimidio pro quolibet centenario juxta primum investimentum, & adhuc vigentem censum scutorum 70., seu potius in scutis quinque, quanti nunc reddunt census in Romandiola, vel ad taxam legalem scutorum quatuor.

Ad quintum denique circa adimplementum legati quo ad præteritum, ii certe ad hoc tenentur adimplementum, quibus juxta secundum Dubium incumbet futurum. Difficultas est in statuenda quantitate fructuum, ex quibus celebrandæ erunt Missæ, & Anniversaria. Si

quis

quis damnabitur ad refundendos fructus capitalis non investiti, addenda erit illorum summa fructibus exactis, & depositis in quantitate scutorum 170. 51. 8., illudque dumtaxat deliberandum, num detrahendæ sint expensæ per Religiosos factæ in scutis 23. 3. 2., scutis nempe 13.50. pro solutione taxæ impositæ super censibus, de qua testatur hujusce taxę exactor; scutis 3. 80. pro decremento nummorum aureorum ob illorum revocationem ad monetalem officinam, juxta depositionem Rectoris Collegii Iugensis; & scutis 6. 48. 2. pro instrumentis extinctionis censuum, aliisque sumptibus factis in Cancellaria episcopali. Hujusmodi sane expensarum causæ fuerunt necessariæ.

Quæritur itaque

I. *An, & quomodo sustineatur instrumentum acceptationis legati Bianchi anni* 1774., *seu potius restituendum sit capitale, ejusque fructus heredi cum omnibus oneribus in casu &c.*

Et quatenus negative in omnibus.

II. *An, a quibus, & quomodo sit adimplendum dict. legatum quo ad futurum in casu &c.*

III. *An, a quibus, & quomodo sit investiendum capitale scutorum* 230. *existens in deposito in casu &c.*

IV. *An, qui, & in qua summa refundere debeant fructus ejusdem capitalis pro rata non investita scutorum* 230. *in casu &c.*

V. *An, a quibus, & quomodo sit adimplendum legatum quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative à Patribus Scholarum Piarum ad formam testamenti Francisci Bianchi, & successivi instrumenti.

Ad III. Affirmative à Patribus Scholarum Piarum in bonis stabilibus tutis, & securis.

Ad IV. Fructus capitalis non investiti scut. 230. deberi à Patribus Scholarum Piarum à die restitutionis capitalium ad taxam legalem.

Ad V. Affirmative à Patribus Scholarum Piarum ad formam fundationis, detractis expensis in summa liquidanda ab Emo Episcopo.

Sess.25. cap.4. de Reform.

APUANA REDUCTIONIS MISSARUM. Postulavit Marchio Aloysius Dosi in Congregatione 15. Decembris 1792. reductionem Missarum quatuor, quibus ex testamento Francisci Coppini quotidie gravatur, tum ratione paupertatis, cum ob assertum hereditariæ suæ portionis tenuem reditum: sed ad Dubium, *an & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*, rescripserunt EE. Vestræ, *negative*. Pars enim hereditatis Coppini, a familia Dosi possessa, in apuanis consistit scutis 16788. 03., quæ licet juxta præsentem ejusdem monetæ valorem, *scuta* constituant romana 5109. $\frac{1}{3}$, longe tamen majorem de tempore conditi testamenti attingebant summam. Simplicia siquidem scuta apuana 16788. 03. romana erant scuta 15089. 50., ea vero, quorum ratione divisa fuit hereditas, de juliis scilicet 14. pro quolibet, scuta 23503. Attento autem valore monetæ de tempore conditi testamenti, juxta declarationem Sacrę Congregationis in altera *Apuana Reductionis Missarum* 24. *Novembris ejusdem anni* 1792. *ad 1. Dubium*, multum unius & alterius capitalis reditus superat onus Missarum; nam pro quaternis Missis quotidianis annua requiruntur scuta 144. 80., reditus vero scutorum 15089. 50. attingit ad taxam legalem scuta circiter 603., & reditus scutorum 23503. ad scuta ascendit 814. Hæc porro reditus exuberantia, ac defectus etiam inventarii impedimento fuerunt reductioni.

Instantiam modo renovat Dosius, ac per formalem allegationem suadere contendit, nullatenus sibi defectum obstare inventarii, diversumque ineundum esse hereditarii capitalis, ejusque reditus calculum, eumque talem, ut æquam reddat Missarum reductionem. Vitio sane verti non posse autumat prioribus heredibus, a quibus causam habet, quod non confecerint inventarium, tum quia ab eo liberavit Testator uxorem, cui usumfructum reliquit bonorum stabilium, & domesticæ supellectilis cum substitutione Hospitii peregrinorum ad proprietatem, tum quia consistebat reliqua hereditas in censibus, & creditis, de quibus inventarii loco fuit instrumentum divisionis inter heredes. At ponderandum, num ex ipsa liberatione usufructuariæ

à con-

a confectione inventarii inferri potius debeat contraria heredum universalium obligatio, quos æque Testator non liberavit; & num instrumentum divisionis censuum, & nominum dumtaxat debitorum, supplere valeat inventarium, quod ad formam institutionis confici debuisset de omnibus aliis *beni, ragioni, azioni presenti, e future*, ideoque nedum de censibus, & nominibus debitorum, sed de juribus etiam, & actionibus, ac de rebus pretiosis, ad quotidianum usum non destinatis, aliisque de jure non comprehensis in supellectili relicta usufructuariæ, ad *Text. in leg.* 1. 2. 3., & 6. *ff. de supell. legat.*, *Voet. in Pandect. lib.* 33. *tit.* 10. *de supell. legat. n.* 1., & 2.

Omnino autem Orator statuendam censet hereditariam suam portionem in scutis romanis 5109. juxta præsentem valorem monetæ apuanæ, quum tanti reipsa valeant bona, quæ possidet ex hereditate Coppini; allegatque in id resolutionem Sacræ Congregationis *in cit. Apuana Reductionis Missarum* 24. *Novembris* 1792. Ejus vero intentioni hæc ipsa adversatur resolutio; nam in eodem legato Coppini, de quo agitur, attendendum statuit Sacra Congregatio valorem apuanæ monetæ de tempore conditi testamenti. Ad Dubium sane, *an, & in qua moneta sint solvenda apuana scuta* 40. *in casu &c.* respondit, *affirmativè in moneta currenti juxta valorem currentem scutorum* 40. *de tempore conditi testamenti*. Iterumque expendi poterunt, quæ in Folio illius Causæ super hoc notata fuerunt articulo.

At imminutos urget censuum fructus, auctamque Missarum eleemosynam. Census, ut ipse asserit, reddebant de tempore conditi testamenti scuta octo in singula centum, & sic ex capitali scutorum 5109. $\frac{1}{3}$ annua percipiebantur scuta quatuorcentum circiter, longe superiora onere Missarum, quarum eleemosyna erat obolorum quinque pro qualibet. Nunc bona familiæ Dosi in locum extinctorum censum subrogata, vix reddere possunt scuta tria, ita ut capitale scutorum 5109. $\frac{1}{3}$ summam dare valeat scutorum 153. 35., seu scuta 8. 55. supra summam scutorum 144. 80., quæ ad præsentem re-

requiruntur eleemosynam pro quotidianis Missis quatuor. Redundans autem hæc summa scutorum 8. 55. nec par est stipendio administratoris bonorum, vacuusque propterea excederet Dosius, cujus familiæ Testator potissimum consulere voluit. Num hic vero admittendus sit calculus, EE. Vestræ decernent. Non probat sane Dosius, quantum reipsa reddant bona subrogata in locum censuum, sed opinioni innixus Vicarii Capitularis, statui posse affirmat illorum reditum in scutis tribus pro quolibet centenario. Calculum insuper ducit super capitali scutorum 5109. $\frac{1}{3}$ juxta præsentem valorem monetæ apuanæ, non ad valorem de tempore conditi testamenti. Et hoc tamen non obstante, redundantiam admittit reditus in scutis 8. 55., qua concurrente denegari solet Missarum reductio, ut *in Brigantien.* 25. *Junii* 1791.

Si res de cetero intimius scrutetur, diversa etiam considerari debet ratione Missarum onus, quo Dosius gravatur. Æque ab Initio divisa fuit hereditas Francisci Coppini inter Franciscum Antonium Blancardi, & uxorem Nicolai Dosi, obtigitque cuique portio scutorum 14788. 03. de juliis 14. pro quolibet monetæ apuanæ cum solidali onereMissarum sex in singulos dies. Suum Blancardus transtulit Missarum trium onus in Dosium per solutionem scutorum 4800., reliqua sibi retenta hereditaria portione. Propriam vicissim portionem liberavit Dosius onere duplicis Missæ, solutis in hanc causam scutis 2800. Patribus Carmelitis. Ex quotidianis ergo Missis quatuor, quæ Dosio incumbunt, tres proveniunt ex contractu cum Blancardo, nec facile propterea sunt reducendæ, ex regula Sacræ hujus Congregationis, de qua præsertim *in Borgomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728. Et si lęsum se censet Dosius in accepto capitali scutorum 4800., adversus ipsum agere poterit Blancardum, qui reliquam habet portionem obligatam. Pro unica vero Missa, qua gravata est propria Dosii portio, remanet ei capitale scutorum 11088. 03., detractis nempe ab eadem portione scutis 2800. solutis ut supra Patribus Carmelitis, seu capitale scutorum 4000. circiter monetæ romanæ, cujus fructus ad rationem etiam scutorum trium pro quolibet cente-

nav

nario, scutorum est 120. longeque onus superat unius Missæ.

Deliberandum igitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & preces amplius non recipiantur.

URBEVETANA ADMINISTRATIONIS. Conjuges Joseph Brunelli, & Virginia Perioni sibi anno 1695. universalem scripserunt heredem Sodalitium Fabrorum lignariorum Urbis Veteris, ut ex hereditariis fructibus celebrari curaret in ejus Ecclesia S. Josephi *per le anime nostre ogni anno quella quantità di Messe, che sarà giudicata dall' Ordinario*; additaque lege, quod pro hujusmodi celebratione eligere deberet *un cappellano perpetuo con quella provisione, che sarà giudicata conveniente, secondo il frutto de beni, che si troveranno dopo la nostra morte; qual provisione, e recognizione da darsi al detto cappellano vogliamo che parimente venga dichiarata dall' Ordinario coll' assistenza, e parere di alcuno degli infrascritti esecutori testamentarii .. colla dovuta, e giusta riflessione da aversi anco verso la sudetta Chiesa*. In hac igitur erigenda capellania taxavit anno 1698. urbevetanus Antistes numerum Missarum 160. annuumque stipendium scutorum 22., & in primum capellanum nominarunt Sodales Sacerdotem Bartholomeum Bartolozzi, qui plures per annos Missas celebravit, accepto ab illis stipendio. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quum progressu autem temporis negligenter Sodales administrarent bona capellaniæ, & morosi etiam essent in solvendo stipendio, supplicavit idcirco capellanus Bartolozzi Sacræ huic Congregationi pro facultate administrandi ea bona ex se ipso, & pro illorum assignatione capellanis successoribus, ablata Sodalibus administratione; & Sacra Congregatio per rescriptum diei 20. Decembris 1732. commisit Episcopo, *ut veris existen-*

stentibus narratis, facultatem assumendi administrationem supradictorum bonorum capellaniæ, de qua agitur, citra tamen reductionem oneris Missarum, & cum obligatione agendi pro recuperatione aliorum bonorum contra quos de jure, & prout de jure, pro suo arbitrio, & conscientia Oratori gratis impertiatur. Rescriptum hoc exequutus fuit Episcopus die 8. Januarii sequentis anni 1733. & in tribuenda Bartolotio administratione, reservavit ei jura adversus Sodalitium pro stipendiis non solutis, mandavitque, *ut Missæ, quæ a die 30. Augusti 1732. usque adhuc non fuerint celebratæ, omnino ab Universitate prædicta infra mensem celebrentur sub poena mandati executivi*; utque *per instantem pro usu sacrarum supellectilium spectantium ad prædictam Universitatem, quatenus ipsis utatur, persolvatur obolus unus pro qualibet Missa.*

Atque ita servatum est ad obitum grandævi Bartolotii. Collata autem capellania clerico Paulo Rosati, Sacræ Congregationis auctoritatem imploravit Sodalitium, ut administrationem vindicaret; suumque votum hodiernus Emus Episcopus in hæc aperuit verba = *Putabam ego, & adhuc opinor, anno 1732. sapientissimam hanc Congregationem eatenus capellano tunc temporis indulsisse bonorum administrationem, quatenus de suo credito pro annualitatibus decursis satisfieret, ceu per speciem immissionis ex interdicto Salviani; numquam vero intellexisse, Confraternitatem jure hereditario, & patronatus privare, dum Paulus Rosatus haud alterum titulum jusque habet, quam simplicis capellani ab eadem Societate electi, & uti talis exigendi ab illa annua scuta viginti duo. Si enim bona hereditaria majorem fructum reddant, non mihi arbitrandum, quod ad utilitatem capellani, qui certo debet esse stipendio contentus, plus illud cedere intellexerit S. Congregatio; non vero Societatis heredis, & ob id bonorum dominæ, & patronæ capellaniæ, sive beneficii. Proindeque, ni fallor, in eam inclinarem opinionem, quod Confratres redintegrandi forent ad possessionem bonorum cum onere eidem solvendi annua scuta 22. capellano, & huic adimplendi celebrationem Missarum 160. annuatim, in omnibus, & per omnia ad formam decreti erectionis beneficii, sive capellaniæ; aliamque obligationem adjungerem, quod*

in

in singulos annos, & Societas, & capellanus de adimplemento respective docere teneantur eorum Ordinario.

Ut se foveat capellanus in administratione bonorum, paucis notat, ea semel ab hac S. Congregatione privatum fuisse Sodalitium ob negligentem eorumdem bonorum curam; quod debuit, & licuit ex *cap. tua nobis, de testam*; eoque minus retractari debere rescriptum anni 1732., ejusque diuturnam executionem, quia consensum præstiterunt Sodales consignationi bonorum capellano, quasi displicere amplius nequeat quod semel placuit, ex *cap.* 21. *de regul. jur. in sexto*. Neque vera censet interpretationem illam prefati rescripti, quod concessa nempe fuerit administratio capellano, ut de non acceptis satisfieret stipendiis. Si mens enim S. Congregationis declarari potuit ex exequenti decreto Episcopi, concessa non videtur administratio pro satisfactione crediti, pro quo reservavit Episcopus capellano jus agendi adversus Sodalitium.

Urgent altera ex parte Sodales dispositionem Fundatorum capellaniæ, qui onus imposuerunt Sodalitio præstandi capellano stipendium taxandum ab Episcopo, eique per consequens administrationem permiserunt bonorum: adduntque factum Episcopi, qui in erectione capellaniæ administrationem tribuit Sodalitio; & successivam observantiam ad annum 1732. Ad hodiernum vero capellanum extendendum non esse contendunt illius anni rescriptum, utpote limitatum ad personam decessoris capellani Bartolozzi. Quamvis enim hic administrationem pro se suisque successoribus postulasset, eam tamen Sacra Congregatio ipsi dumtaxat concessit, nulla facta mentione successorum, quos idcirco comprehendere noluisse censetur, juxta *cap.* 40. *de offic. Judic. delegat.* Ponderandum etiam rogant, quod non concurrunt amplius circumstantiæ illæ non soluti stipendii, & malæ administrationis bonorum, ex quibus olim Sacra Congregatio Sodalitium privavit jure administrandi. Jam enim decessor capellanus consequutus fuit stipendia, & si veteres Sodales fuerunt in administratione negligentes, tales non sunt hodierni, vel tales esse non poterunt, si juxta votum Emi Episcopi, rationem quotannis reddere cogantur Ordinario. Illudque

etiam accedit, quod nil aliud consequi debet capellanus ex erectione capellaniæ, quam annua scuta 22., & si quid ultra ex bonis percipitur, pertinet forsan ad Sodalitium, cui etiam Fundatores per institutionem in heredem consulere voluerunt.

In quæstionem igitur venit.

An, & cui competat administratio in casu &c.

Affirmative juxta votum Eminentissimi Episcopi, & amplius.

Sess. 21. cap. 7. & 11. de Refor.

SMINIATIS. Adeo parochialis Ecclesia, ædesque parochiales S. Mariæ nuncupatæ *di Bassa* ex inundantibus madent aquis fluminis Arni, ut novis in eminentiori loco opus sit illarum ædificiis. Scuta ad id periti judicio requiruntur 2200. circiter; sed pares non sunt Parochiæ reditus sumptui. Opus igitur despondet dives quidam Parochianus, dummodo unicum ei cedatur Parochiæ prædium stariorum 82. $\frac{1}{4}$, & juxta Peritum ex officio deputatum valoris scutorum 3759., annuique reditus scutorum 112.; sub obligatione etiam præstandi congruam Parocho in annuis scutis centum. Oblationem hanc commendat Parochus, oratque pro Beneplacito Apostolico, ut contractum ineat. At S. Miniati Episcopus a suo abstinet voto, ac de necessitate tantum referens construendi novam Ecclesiam, domumque parochialem, relationem exhibet integerrimi periti super difficili melioratione prædii, *che essendo in tante diverse partite, ed in lontananza dalla casa del Contadino, con farlo lavorare ad una sola famiglia, come è seguito fin ora, non può sperarsene il prodotto, del quale sarebbero suscettibili quegli effetti, se fossero meglio lavorati.*

In cessione prædii, de quo agitur, concurrere videtur necessitas, & utilitas Ecclesiæ, ex quibus permittitur alienatio *in cap. fin. de reb. Eccles. non alien.*, *in clement.* 1., *& extravag. ambitiosæ eod. tit.* Necessitas quidem; nam opus est novis ædificiis, & impares sunt

Pa-

parochiales reditus gravissimo sumptui. Utilitas vero, quia per oblatam congruam scutorum centum decrescerent reditus Parochi in annuis scutis duodecim [quæ forsan præstiturus etiam erit oblator, si ad id per rescriptum EE.Patrum cogatur] sed altera ex parte lucraretur Parochus in novis ædificiis capitale scutorum 2200. Difficilis accedit cultura prædii, fructuumque augmentum donec prædium illud erit penes Parochum, ut refert peritus; & si quæ fieri valent meliorationes, gravem requirunt impensam, in qua suam oblator reponit utilitatem.

Agitur contra de privanda Parochia unico, quod possidet, prædio, & de convertendo Parocho beneficiato in pensionarium personæ sæcularis. Dimittendum namque esset prædium non per emphyteusim, sed per liberam cessionem sub reservatione congruæ. In casu insuper retardatæ solutionis non haberet Parochus, unde viveret, unde litem ageret cum cessionario; & annorum decursu deficere etiam possent cessionarii substantiæ, & in quæstionem adduci oblata pensio, licet super cedendo fundo specialis reservaretur hypotheca. Taxati præterea fuerunt reditus prædii in scutis 112. non ex reali fructuum perceptione per decennium, ut moris est, sed arbitrio periti in scutis tribus pro quolibet centenario; facileque reditus ipsi augeri possent per simplicem mutationem culturæ, si prædium scilicet colere amplius non faceret Parochus ab uno colono. In his porro terminis ea forsan *in* cessione non est Ecclesiæ utilitas, quæ prima apparet facie; ideoque denegari deberet Beneplacitum, ut *in Ariminen. Venditionis* 15. *Septembris* 1792. *ad. I. Dubium*.

At fieri nequeunt necessaria ædificia ex reditu Parochiæ, & per creationem passivi census in sorte scutorum 2200., maxima ejusdem reditus pars erogauda esset in solutionem fructuum, qui ad taxam legalem scuta attingerent 88., neque ulla foret spes restituendi sortem. Haud tamen constat, alia ad perficiendum opus deficere media, a *Sacro Concilio Tridentino* præscripta *in sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* Fortasse enim sunt Ecclesiæ Patroni, vel Beneficiati, vel divites sunt Parochiani in subsidium obligati, qui operis sumptum ex parte saltem expleant.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

I. *An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

Et quatenus negative;

II. *An, & quomodo sit consulendum novæ constructioni Ecclesiæ, & domus parochialis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. decret. de observan. & evitan. in celebr. Miss., & sess. 23. cap. 1. de Reform.

CASSANEN. MISSÆ CONVENTUALIS, ET PRO POPULO. Sex in receptitia Casalis novi Ecclesia sunt Beneficiati, quorum unus Archipresbyteri nomine principalem habet Animarum curam, reliqui eum adjuvant. Non inserviunt choro; sed annuus eis incumbit onus simplicium Missarum 485., aliarumque 93. cum cantu, quibus ex consuetudine accedit quotidiana Conventualis pro Benefactoribus in genere. Certus vero ex censibus cuique est reditus ducatorum circiter viginti, qui tamen ob frequentes inexactiones, aliisque de causis, non raro ad ducata reducitur quindecim; incertus ex funeribus, & adventitiis Missis cum cantu, ducatorum circiter sex. Ob hanc igitur redituum tenuitatem EE. Vestris supplicat Archipresbyter pro reductione quotidianæ Missæ Conventualis ad unam hebdomadalem per turnum: & hæc in summa refert Cassanensis Vicarius Generalis; receptitiam nempe, non collegiatam esse Ecclesiam; applicari Conventualem ex consuetudine; nullamque haberi notitiam Benefactorum, vel Constitutionis, quæ obliget ad illius applicationem. Nedum autem ex his, redituumque tenuitate, receptitio favet Clero, sed reductionem etiam proponit Missæ pro Populo, quam celebrare tenetur Archipresbyter uti Parochus, eo quod vix supra alios Beneficiatos percipit ipse ex stola carolenos viginti, aut triginta. Ac refert postremo, nullum præter Beneficia-

ciatos esse interesse habentem, quem audiret; Beneficiatos vero reductionem urgere.

Conventualem Missam prescribit *Encyclica* Benedicti XIV. *cum semper oblatas* in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; ideoque ab illius applicatione immunis videri posset Ecclesia Casalis novi, quæ testimonio Ordinarii simplex est receptitia. Maxime, quia nulla est benefactorum memoria, ac nulla ejusdem Ecclesiæ Constitutio, quæ Conventualem imponat. At urget consuetudo, cujus nec indicatur initium; nam sub §. 22. *Encyclicæ* mandat Benedictus XIV. in fortioribus terminis secundæ & tertiæ Missæ Conventualis, *ut qui idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent*. Quærendum autem, num sit saltem locus reductioni. Eadem ipsa profecto obest consuetudo, ne concedatur. Quotidie enim Beneficiati applicarunt hactenus Conventualem cum eodem, quem nunc habent, reditu, nec facile reducitur, quod diu adimpletum est, ut *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. Sed Vestram fortasse meretur æquitatem tenuitas Beneficiorum; dum certi, & incerti cujusque reditus nec summam attingunt ducatorum triginta, quam tamen Sacra hæc Congregatio ad concedendam Conventualis reductionem existimat tenuem *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. Dub.*, *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751. In similibus porro terminis reducta fuit Missa Conventualis ad dies festos *in Placentina* 30. *Julii* 1785.

Ardua magis res est quo ad Missam pro Populo. Ejus quoque reductionem exigerent tenues reditus Archipresbyteri, & gravia ejus onera. Paucos namque supra reliquos Beneficiatos percipit carolenos, & præter Missas illis communes, principali gravatur cura Animarum fere sexcentum. Qua de re, juxta relationem Ordinarii, celebrationem per aliquod tempus intermisit Missæ pro Populo. Verum reductioni hujus Missæ recepta adversatur regula, quod illam applicare teneatur Parochus ratione officii, non reditus, ex *Sac. Concil. Tridentino sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*, *Benedict. XIV. in ead. Encycl.* cum semper oblatas §§. 4., & 5., & *de Synod. diœces. cap. fin. num.* 4. & *seqq.*,

& *Suç.*

& *Sac. Congr. in Neocastren. Missæ pro Populo ad I. Dub.* 26. *Januarii* 1771.

Hæc ipsa ratio obligationis celebrandi pro Populo ratione officii, cautum reddere debuisset Archipresbyterum, ne muneri deficeret, eique propterea obesse posset, ne absolutionem consequeretur a celebratione, quam sciens prudens omisit. Veniam tamen mereri posset ob non diuturnam omissionem, gravemque ipsius indigentiam, & tenuem Parochiæ reditum, ut *in Albinganen.* 20. *Julii elapsi anni* 1793. *ad II. Dubium*.

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ pro Populo quoad futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 22. Novembris 1794. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SANCTI MINIATIS.

I. *An, & quomodo sit concedendum beneplacitum in casu &c.* *Sess. 21. cap. 7. & 11. de Refor.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit consulendum novæ constructioni Ecclesiæ, & domus parochialis in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta modum, nempe assignato fundo libero arbitrio Episcopi pro congrua Parochi scutorum 112.

Ad II. Provisum in primo.

CASSANEN. MISSÆ CONVENTUALIS, ET PRO POPULO. *Sess. 22. decr. de observ., & evitan. in celebrat. Miss., & sess. 23. cap. 1. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ pro Populo quoad futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad dies festos per turnum.

Ad II. Negative ad formam Constitutionis fan. mem. Benedicti XIV. *Cum semper*.

Ad III. Affirmative.

CI-

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI CAPELLANIÆ. Valerius Augustinus Salvatori heredem scripsit anno 1692. Capellam dicatam S. Antonio Patavino in Ecclesia inferiori Cathedralis Tipherni *con quei pesi, ed obblighi però di Messe, che parerà, e piacerà, e saranno dichiarati dal Signor Canonico Florido mio fratello*; voluitque, *che si nominasse la prima volta Cappellano il Signor Canonico Ippolito Novelli, e dopo la sua morte uno di Casa Andreocci*. Reque vera fundavit anno 1694. Canonicus Floridus Capellaniam Missarum hebdomadalium quatuor, ejusque doti bonorum omnium hereditariorum fratris summam de proprio addidit scutorum 900. *per poi ottenere da Monsignor Vescovo di detta Città di Castello l'erezione della medesima Cappellania nel miglior modo possibile colle dichiarazioni, ed altro, come si dirà*; ad quem effectum in procuratorem constituit Canonicum Novelli. Hæc autem in instrumento hujus fundationis ad rem adjecit pacta, nempe = *Che la sudetta Cappellania debba essere puramente laicale juspatronato di esso Signor Canonico, e delli suoi eredi, e successori, alli quali appartenghino in perpetuo le nomine libere di tutti, e singoli Cappellani* = *Che a Monsignor Vescovo di Città di Castello pro tempore spetti l'erezione di detta Cappellania senza alcuna minima subordinazione alla Dataria Apostolica, nè s' acquisti jus al detto Monsignor Vescovo di conferire detta Cappellania come Beneficio ecclesiastico, nè tampoco d' istituire il nominato* = *Che detto Cappellano, o Cappellani siano amovibili ad nutum, & ad libitum di detto Signor Canonico Florido; e suoi successori, etiam sine causa.*

Negleta erectione, Capellaniam apprehendit Canonicus Novellius primo nominatus, aliaque disposuit Canonicus Floridus testamento anni 1699. Distinguendo siquidem juspatronatus activum a passivo, reliquit activum Blasio Righi, ejusque descendentibus masculis ex masculis, & in subsidium fœminis, earumque descendentibus: passivum illis, qui inter descendentes ipsos clericali saltem initiati essent tonsura, in hæc verba = *In futuro li Cappellani da nominarsi si scelgano dalli discendenti in perpetuum dal Signor Biagio Righi mio erede, ancorchè semplici chierici, quali possano far celebrare da altri Sacerdoti coll' elemosina a loro arbitrio.* Deficientibus vero descendentibus Righi, *o essendo incapaci per difetto di età*, activum tribuit Capitulo Cathedralis Tipherni, passivum uni ex Canonicis.

Ca-

Canonico Novelli primo Capellano successit anno 1716. per literas Vicarii capitularis tiphernatis Canonicus Andreocci, ac post eum sine canonica institutione Petrus sen. Catrani descendens a Blasio Righi. Hic autem ad retinendam Capellaniam cum designata uxore, quæsivit ab hac Sacra Congregatione, num esset laicalis, & in conjugali retineri posset statu. Sed ad dubium, *an Capellania, de qua agitur, sit mere laicalis, ita ut retineri possit ab Oratore in statu conjugali*, prodiit die 24. Aprilis 1751. rescriptum, *affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius*; ac vigore hujusce rescripti missus fuit in possessionem Capellaniæ Sacerdos Dominicus Catrani, qui cum Petro ejus fratre certaverat. Simillimus nunc est casus. Post decennem enim possessionem Capellaniæ *Sanctissimo* supplicavit elapso anno 1793. clericus Franciscus Catrani pro dispensatione eam retinendi in statu conjugali, quem amplecti decreverat. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, ejus instantiæ contradixit Sacerdos Petrus jun. germanus ipsius frater; favit Episcopus.

Ex verbis namque fundationis laicalem dixit Capellaniam, quodque *nulla unquam facta est hujus Capellaniæ canonica erectio; unde nullum spirituale jus, nullaque ecclesiastica qualitas impressa unquam fuit bonis huic Capellaniæ suppositis, quæ idcirco in sua laicitate remanentia, omnibus & singulis publicis oneribus, æque ac cetera laicalia bona, fuerunt semper obnoxia*. Rescriptum 24. Aprilis 1751., utpote editum *ex jure*, statum non facere arbitrabatur contra Oratorem, qui *non contentiosam, sed gratiosam eligens viam, Apostolicam dispensationem implorat, ac indultum pro retentione hujus pii legati in statu conjugali*. Testatus insuper fuit, *vires patrimonii Oratoris impares omnino esse ad ejus congruam manutentionem, onerumque matrimonialium sustentationem. Post siquidem patris obitum deterior longe nimis facta est Oratoris conditio, matre patrimonium improvide administrante, pluribus alienatis bonis, gravique contracto ære alieno, in quorum sequelam diversis reperiuntur litibus involuti, imo concursu creditorum jam a pluribus annis divexati ambo fratres Petrus Catrani, & Franciscus orator, cui propterea detractis omnibus, matris nempe adhuc superstitis in Monasterio alimentis, & sororis monialis livello,*

litiumque expensis pro sua virili, ne vix quidem superest, quod ad simplicem sui ipsius exhibitionem est necessarium in cælibatu, ideoque longe minus quod necessarium esset in statu conjugali, quem ipse unus, Petro unico fratre jam Sacerdote, amplecti valet, prout decet ad propagandam familiam, quæ inter familias nobilis Consilii hujus Civitatis recensetur, arctissimoque consanguinitatis vinculo cum aliis viris nobilibus primi gradus idem Orator est conjunctus.

Retulitque postremo de Petro jun. illius fratre, & passive etiam vocato, quod *medietate assis patrimonialis a fratre divisus potitur. & quia in casu quod Orator conjugalem statum amplecteretur, ad ipsum devolveretur Capellania, juxta Sacræ istius Congregationis resolutionem anni 1751., hinc dispensationi expresse dissentit.* Atque EE. Vestris definiendum reliquit, *num rationabilis, nec ne censeri debeat hujusmodi dissensus, seu potius rationi consonum sit, quod illa potiri permittatur, qui graviora matrimonii onera est subiturus.* Hac accepta informatione, Causam EE. Vestræ ablegarunt ad Folium *citata Parte*: sed impatiens moræ, uxorem duxit Orator die 18. Maii hujus anni, & die 30. sequentis Junii immissus ab Episcopo fuit Petrus jun. in possessionem Capellaniæ. Egit hinc Orator coram R.P.D. Auditore, & Emo Præfecto Signaturæ Justitiæ pro circumscriptione possessionis: at remissa ad Sacram ipsam Congregationem instantia *cum facultate circumscribendi*, secundum in id additum est dubium alteri super dispensatione retinendi Capellaniam in statu conjugali.

Urget Orator laicalem Capellaniæ qualitatem ex illis fundationis verbis *puramente laicale*, aliisque relatis in enarratione facti, & ex *affirmativo* Sacræ Congregationis responso ad primam partem Dubii resoluti anno 1751., nempe *an Capellania, de qua agitur, sit mere laicalis*; & inde concludit, talem Capellaniam, cujus capaces sunt laici, infantes, & fœminæ, *Rigant. ad regul.* 58. *Cancell. num.* 54., & *Sac. Congregatio in Urbevetana* 12. *Decembris* 1784., retineri etiam posse in statu conjugali, *Rot. in Zamoren.*, *seu Salamantina Capellaniæ* 26. *Junii* 1750. §. 6. *coram Caprara*, & Sacra Congregatio *in Romana Capellaniæ* 12. *Julii* 1721. Eo magis quia hujusmodi retentionem petit per Apostolicam dispensationem, & ex justa causa paupertatis;

tis, de qua testatur Episcopus, ut in his terminis decrevit Sacra Congregatio *in Segobien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dubium*. Neque sibi idcirco obesse ait resolutionem anni 1751., quum tunc ageretur *ex jure* de prælatione inter nupturum Clericum, & Sacerdotem, nunc *ex gratia* retinendi Capellaniam in statu conjugali. Quo vero ad possessionem Petri jun., eam omnino circumscribendam contendit, utpote captam pendente Causa in hac Sacra Congregatione, & ipso non citato, ut in re ceteroquin exploratissima firmat *Constant. vot.*458. *num.*3.

Sustinet contra ejus frater, rem esse de Capellania Ecclesiastica ob volitam a Fundatore canonicam illius erectionem, licet ex negligentia forsan patronorum non expletam, *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 2. *numer.*11., *Piton. de controv. patron. allegat.*31. *num.* 9. Et hoc posito autumat, ea Franciscum ipso jure, ipsoque facto per contractum matrimonium cecidisse, *Lotter. de re benefic. lib* 3. *quæst.* 26. *num.* 61., *Gonzal. super regul.*8. *Cancell. de mens. & alternat. gloss.* 15. *num.* 43. Beneficiatus enim contrahens matrimonium, tacite renunciare censetur Beneficio, *Sanch. de matrim. impedim. lib.*1. *disput.*13. *num.*4. Difficultas vero stat in supposito; nam Capellaniam voluit Fundator *puramente laicale*, eamque Sacra Congregatio laicalem declaravit anno 1751. in responsione ad primam partem Dubii. Ne illa tamen permittatur conjugato, urgere posset distinctio inter juspatronatus activum, & passivum. Laicalis enim Capellaniæ qualitas appellare videtur nominantem, non nominatum, quem Fundator voluit Clericum, ad ecclesiasticam nempe, non ad uxoriam militiam initiatum: neque repugnat, quod una eademque Capellania de libera sit collatione laici, & debeatur ecclesiastico, *Cæs. de Grass. decis.* 114. *de præben. per tot.* Qua fortasse de causa *negative* respondit Sacra Congregatio ad secundam partem Dubii propositi anno 1751., denegavitque Petro sen. retentionem Capellaniæ, licet laicalis, in statu conjugali; idoneo præsertim inter passive vocatos existente ecclesiastico Dominico, ut modo etiam Petrus jun. existit: antiquiores in id sequuta resolutiones in *Reatina Capellaniæ* 9. *Februarii* 1715. *lib. Decret.* 64. *pag.* 387., *in Romana* 20. *Septembris* 1727.

Quod conjugato Francisco non deberi censet Sacerdos

Petrus ex jure, neque concedendum contendit per dispensationem. Vergeret namque hujusmodi dispensatio in ejus præjudicium, quum is tanquam idoneus ecclesiasticus, quæsierit jus ad Capellaniam per matrimonium fratris vacatam. Concedi profecto non solet gratia dispensationis in præjudicium Tertii ad Beneficium vocati, *Ferrar. in Biblioth. legal. verb. dispensatio num.*22., *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 71. *num.*14. *& seqq.*, *Monacell. formul.* 7. *in supplem. ad tom.*3. *tit.*2. *num.*109. *pag.* 144. Commiseratione vero dignas non esse monet voluntarias fratris angustias, dum plurium testimonio pares neglexit nuptias, congruasque dotes, ut vili nuberet puellæ ad pompam dotatæ. Spernique tandem debere assertam nullitatem possessionis Capellaniæ per ipsum captæ post nuptias fratris, tum quia eam absorbet bonum ejus jus, tum quia ex stylo Curiæ Episcopalis Tipherni, qui in altera etiam servatur Perusiæ, ad Beneficium vacatum ob contractum matrimonium immittitur alter vocatus absque citatione Beneficiarii conjugati.

Dubia sunt.

I. *An sit locus dispensationi pro retentione Capellaniæ in statu conjugali, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro gratia in casu &c.*

II. *An sit locus circumscriptioni in casu &c.*

Ad I. & II. Negative & amplius.

*Sess.*21. *cap.*7. *de Reform.*

PLACENTINA SUSPENSIONIS ONERUM. Ad ampliandam plateam primarii Templi Placentiæ, demoliri fecit anno 1544. clar. mem. Cardinalis Marinus Grimani, tunc Galliæ cispadanæ Legatus Apostolicus, collegiatam & parochialem Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ, ædesque Canonicorum, quę meliorem illius partem occupabant. Providere tamen non potuit Capitulo de altera Ecclesia ob concessum sequenti anno

no 1545. *a Paulo III.* Ducatum Parmæ, & Placentiæ Petro Aloysio Farnesio in feudum. Modo igitur celebrare debuit Capitulum Divina Officia, curamque exercere Animarum in una, modo in altera Ecclesia, ac in privatis etiam ædibus, donec anno 1576. translatum fuit ad Parochialem S. Michaelis Archangeli, ea occasione sui ..essam, in qua sub proprio S. Joannis Evangelistæ titulo existit: & constat ex Præposito, Canonicis tresdecim, Præbendariis residentibus novem, aliisque duobus simplicibus.

Si præbendam excipias Præpositi, quæ annua, deductis oneribus, attingit scuta 95., tenues sunt reliquę Canonicorum; nam aliæ in scutis consistunt duobus, tribus, aut quatuor; aliæ a scutis decem ad scuta gradatim ascendunt viginti sex; & una omnium maxima scutorum est 42. Ex distributionibus vero, anniversariis, & incertis, æque Præposito, singulisque Canonicis scuta obveniunt circiter 25. 66. Plerique ex Præbendariis residentibus non excedunt reditum scutorum octo; tres scuta percipiunt 13. 16. 27. Uni tandem ex simplicibus Præbendariis sunt scuta octo, alteri 21. 66.

Annuæ Canonicis, & Prępposito incumbunt Missæ 1451., a respectivis illorum præbendis detractæ; Præbendariis 1515., quæ proprium, & distinctum habent reditum. Aliæ 2174. pertinent ad Capitulum cum distincto pariter fundo: & aliæ 299. ad Sodalitium SS̄mi Sacramenti in eadem Ecclesia collegiata erectum, cui onus etiam est expositionis Sanctissimi qualibet feria sexta cum annuo sumptu scutorum circiter 14. Quæ Capitulo igitur, Capitularibus, & Sodalitio incumbunt Missæ, ad numerum ascendunt 5439.. Si alię vero addantur 461. parochiales, anniversariæ, & officiorum particularium, summa Missarum omnium est 5900. Activus Capituli status in annuis consistit scutis 975., superatque in scutis circiter decem passivum, stipendium nempe Missarum 2174., quibus gravatur Capitulum; chorales distributiones; inservientium salaria; & utensilium sumptum. Status vero activus Sodalitii scutorum 78. 16. superatur a passivo in scutis quinque, quibus supplent eleemosynæ.

Jam vero antiquissimum collegiatæ Ecclesiæ ædificium, quod extructum fertur anno 378. a S. Savino Episcopo, minatur ruinam, pluribusque de causis incommodum est,

est, nec reditus Capituli, Capitularium, & Sodalitii pares sunt novæ illius constructioni, quam Peritus a placentino Episcopo deputatus necessariam dicit cum impensa scutorum 6500. EE. igitur Vestris supplicant Capitulum, & Sodalitium pro suspensione expositionis Sanctissimi, & Missarum, exceptis parochialibus, anniversariis, & officiorum, quousque cumulari valeat summa ad perficiendum opus necessaria, in quam Præpositus, Canonici, & Prębendarii conferre pollicentur annua scuta 50. durante suspensione: atque instantiæ favet Episcopus. Ex transmisso enim catalogo reddituum, onerumque, quorum præmissa est relatio, *mediocris reditus* affirmat Præposituram, *ceteras vero præbendas, una vel altera dempta, nimis esse tenues, & omnes honesto congruoque Beneficiariorum victui omnino impares; & Capitulum, ac Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti nihil pro ædificanda Ecclesia posse conferre.*

Alia investigasse ait media a Sacro Concilio Tridentino præscripta: *verum ne illa quidem* [sunt ejus verba] *in datis circumstantiis juvare possunt. Capitulum, quod est Ecclesiæ patronus, nil suppeditare potest. Parochiani plerique familiaris rei angustia premuntur: ab opulentioribus, qui pauci sunt, aliquid subsidii sperare quidem licet, sed ad datam contributionem eos cogere, pluribus de causis non expedit. Non sunt hic Ecclesiæ, ad quas illa S. Michaelis suppressa, Capitulum, & Parochia transferri possint. Beneficiarii, qui ab Ecclesia aliquid modicum percipiunt, annua scuta quinquaginta rependent, nec jure plus exigi ab ipsis posse videtur. Per census impositionem oppido suppleri non potest; quandoquidem Capitulum, & Sodalitas SS. Sacramenti nec annuos fructus solvere, nec unquam in posterum censum redimere possent.* His autem propositis difficultatibus censet, quod *unicum medium memoratam Ecclesiam ædificandi est petita per Oratores temporaria Missarum suspensio, & conversio pecuniarum, quæ pro eleemosynis Missarum essent eroganda, in necessarias ædificationis expensas.*

Atque ita ponit calculos: *Ascendunt illæ* (Missæ) *ad* 5900. *Ex ipsis Oratores retinere moliuntur annuas quadringentas sexaginta & unam, atque rogant, ut suspendantur reliquæ* 5439. *Quum igitur manualis eleemosyna hic hodie sit solidorum nostratum quadraginta*

quin-

quinque, nempe obolorum duodecim, dempta sesquidecima similis oboli parte, si benigne concessa fuerit postulata suspensio, habebuntur hinc pro Ecclesiæ ædificatione annua sc.644. 09. Hisce addantur annua sc. 50., quæ solituri sunt Oratores: addantur item scuta 14., quæ hodie impenduntur pro expositione SS. Sacramenti singulis sextis feriis, & habebitur quotannis summa scutorum 708. 09. Quare data suspensione petita per annos novem, & menses sex, emergeret summa scutorum 6726. 85 $\frac{1}{2}$, quæ licet aliquanto excedat summam ab Architecto enunciatam, omnibus tamen necessariis impensis forte non sufficiet; quum experientia teste, ædificiorum impensæ summam semper superent ab Architectis præjudicatam.

Hinc sub fide Periti necessitatem confirmat renovandi Ecclesiam, quæ *vere angusta nimis, humida, graveolens, sacris functionibus, Beneficiariis, & Parochianis admodum incommoda est.* Suumque denique votum in hæc aperit verba: *Quapropter censeo, a Sacra ista Congregatione benigne Oratoribus concedi posse efflagitatam suspensionis gratiam ad annos novem, & sex menses, ut præmisi; ea tamen adjecta lege, ut Capitulum a primo suspensionis anno usque in perpetuum celebrare debeat gratis Anniversarium pro illis omnibus, quorum fuerint suspensa suffragia; atque ita quidem, ut singuli tum Canonici, tum Præbendarii, qui sine justa causa hujusmodi Anniversario non adfuerint, solvere teneantur Capitulo eleemosynam manualem per tempora hic currentem unius Missæ celebrandæ in prædictorum suffragium.*

De necessitate reædificandi Ecclesiam testatur Peritus ab Episcopo deputatus; nam ei *non possono adattarsi rimedj di riattazione; nè tampoco si potrebbe levare l'umidità, nè il fetore, che tramandano di continuo i sepolcri, i di cui volti, e selciati sono dalla medesima inzuppati; il che incomoda non solo li Signori Canonici per ufficiare, ma il Popolo ancora, che interviene al Divino servigio; e viepiù maggiore ancora risulta l'incomodo per essere la Chiesa, stante la sua ristrettezza, incapace di contenere tutti li Parrocchiani: ed in occorrenza delle funzioni non sono tre soli Altari sufficienti per soddisfare alla celebrazione delle Messe, specialmente in suffragio de' Parrocchiani defonti.* Notandum ta-

tamen quod sacra fecerunt decessores Capitulares in præsenti Ecclesia a duplici sæculo & ultra, ab anno nempe 1576., quo ad eam translata fuit Collegiata, neque de iis unquam questi fuerunt incommodis, quæ notat modo Peritus, & quibus fortasse peritioris arte cum parciori sumptu occurri posset.

Quoties vero permittendum sit novum ædificium, deliberare dignentur EE. Vestræ de impensa, quę ad insignem ascenderet summam scutorum 6500. Quantum ex informatione Episcopi, & catalogo per eum transmisso desumi licet, peculiares fabrica Ecclesiæ non habet reditus. Reliqua omnia media *à Sacro Concilio Tridentino* designata in *sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* vel deficiunt, vel Episcopo teste, graves patiuntur difficultates. In his sane terminis æquam censuit Sacra Congregatio suspensionem Missarum *in Velitterna Suspensionis Missarum* 18. *Septembris* 1790. *ad I. Dubium*. Si hoc ipsum concedere placeat in nostro themate, deliberandum insuper est de tempore, & modo suspensionis tum Missarum 5439., cum expositionis Sanctissimi feria sexta. In id vero habent Emi Patres ex informatione Episcopi, unde modum, & tempus decernant. At hoc advertant, quod sunt in Parochia S. Michaelis Archangeli, seu S. Joannis Evangelistæ opulentiores, a quibus secundum Episcopum, *aliquid subsidii sperare licet*. Et quamvis *ad datam contributionem eos cogere, pluribus de causis non expediat*, ab iis tamen per pias insinuationes obtineri forsan posset, quod consequi vetant circumstantię per coactionem. Omnia enim prius tentanda videntur, quam diu Missarum institutores suffragiis privare: nisi difficilis censeatur voluntaria contributio, quæ nec facilis esset coacta.

Quęritur itaque.

An, & quomodo sit locus suspensioni onerum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, dummodo inveniatur redemptor operis ad formam Petitiæ, prævia etiam affixione Ædictorum.

FA-

FAVENTINA IRREGULARITATIS. Rixante sub die 9. Octobris 1791. Clerico Matthæo Rossi cum Joanne Baptista Nani, partem in rixa assumpserunt respectivi illorum fratres, Clericus nempe Barlaamus, & Stephanus Rossi ex una, Antonius Nani ex altera; tradiditque Matthæus igneam ballistulam ejus fratri Barlaamo, qui Antonium Nani cum ea interemit. Post annum ab hoc patrato homicidio detrusus fuit in carcerem Matthæus, suoque crimine in tradenda ballistula convictus, damnatus est per quinquennium ad arcem. Verum obtenta remissione Partis, composito Fisco, & pecuniaria Locis piis soluta pœna, nono carceris mense absolutionem, & libertatem habuit; sub pœnali tamen præcepto *de non offendendo Partes renuntiantes*, & *de non transeundo per latifundium abeis laboratum*. Supplicat modo pro dispensatione ab irregularitate; & sub fide ejus Parochi refert faventinus Episcopus, quod *eo abhinc tempore laudabiliter se habuit, Sacramentis frequenter accessit, Ecclesiæ suæ parochialis servitio adstitit. Hinc ejus mores ad præsens apparent, quales Ecclesiasticum decent*; quodque constitutus est in ætate annorum 23., & minoribus ordinibus, ejusque *Ecclesia parochialis pro oneribus Missarum adimplendis Sacerdotibus indiget, qui etiam ecclesiasticis intersint functionibus*. Prudenti autem remittit EE. Patrum judicio, *an hac vitæ ratione post complicitatem in patrato facinore, & Sacerdotum inopia in Parœcia, in qua idem Matthæus commoratur, petitam gratiam mereatur*. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Per traditionem sane igneæ ballistulæ, eam Orator habuit partem in homicidio, quæ satis fuit ad contrahendam irregularitatem, nam *irregularis est Clericus, si pugil ab eo datus adversarium ejus occidit*, ut exornando *Textum in cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell.*, notat *Fagnan. in lib. 5. Decretal. num. 1.* Hujusmodi vero irregularitas ex ea est specie, quæ difficilem reddit dispensationem: nam homicidium mediate commissum a Matthæo per traditionem ballistulæ voluntarium est, ejusque auctor simplex est Clericus, cui quam maxime adversatur Sacrum *Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. de reform*; ut scilicet *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit*. Brevitas accedit temporis a commisso delicto. Quamvis enim lapsum ab eo sit triennium, quod cum emendatione vitæ satis ad concedendam di-

spensationem censent *Abb. in cap.* 21. *num.*2. *de accus. Antonell. de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6.*num.* 17., a dimissione tamen Oratoris e carceribus paullo excedit biennium, quod fortasse non sufficit ad obliterandam memoriam delicti, ut requirit *Fagnan. loc. cit. num.*35. Illudque etiam notandum, quod adhuc est Orator sub præcepto *de non offendendo*, & *de non transeundo* per prædium Familiarium occisi.

Ei altera ex parte prodesse possent emendatio vitæ, Partis & Fisci satisfactio, & indigentia Sacerdotum in parochiali illius Ecclesia *pro oneribus Missarum adimplendis*, sacrisque functionibus. Hisce profecto, & similibus de causis indultum fuit Clerico *in Jamen. Irregularitatis* 14. *Decembris elapsi anni* 1793. Maxime quia licet Orator convictus fuerit crimine, vulgata tamen est apud ejus concives opinio ipsius innocentiæ, itaut ejusdem promotio ad Præsbyteratum nulli esset scandalo; proprio teste Parocho in hæc verba: *avanzandosi il Chierico Matteo Rossi all' ordine del Presbiterato, non ne verrà per questo nel Popolo scandalo, ed ammirazione, perchè a tutti è manifesto, che lui veramente all' atto dell' omicidio non si trovò presente.*

Proponitur itaque deliberandum.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

*Sess.*22. *de observ. & evitan. in celebr. Miss. & cap.*6.*de Reform.*

SUTRINA MISSARUM. Canonicatum fundavit anno 1611. Joannes Baptista de Paulis in Collegiata Ecclesia Anguillariæ cum onere, ut *Canonicus teneatur residere in Terra Anguillariæ, Missasque celebrare, in Choro canere, & facere omnia ea, ad quæ alii Canonici dictæ Ecclesiæ tenentur; & completa hebdomada obligata juxta consuetum præfatorum aliorum Canonicorum, in tota alia sequenti hebdomada quotidie Missam pro ipsius Testatoris anima celebrare debeat, & sic saltem quindecim Missas pro quolibet mense, computata hebdomada juxta consuetum aliorum Canonicorum obligata, ei-*

eidem celebrare contigerit. Mos olim erat reliquis Canonicis celebrandi singulis etiam diebus ferialibus per turnum Missam conventualem pro Benefactoribus, licet interessent Choro diebus tantum Dominicis, & festis; ideoque possessores Canonicatus de Paulis iis mensibus, quibus eis contigebat turnus, applicare consueverunt Missas septem pro Benefactoribus, reliquas octo pro Testatore. Hoc ipsum ad hæc tempora fecerunt post reductam etiam Conventualem ad dies festos: sed decrevit nuper in Sacra Visitatione Sutrinus Episcopus, ut in posterum ex numeroMissarum quindecim pro anima Testatoris tot minuerentur, quot in hebdomada applicari deberent pro Benefactoribus; facta tamen hodierno Canonico Vincentio Zoppetti potestate adeundi Sacram hanc Congregationem pro declaratione Dubii, ac etiam pro absolutione quo ad præteritum.

Hanc igitur declarationem, & quatenus opus, absolutionem postulat Canonicus Zoppetti, suumque votum Episcopus quo ad utramque instantiam in hæc aperit verba: *Testatoris mens pro mei ingenii tenuitate mihi clarissima videtur. Ipse jussit, ut Missas quindecim saltem singulis mensibus celebraret Canonicus, & ideo voluit, comprehendi in descripto numero hebdomadam, ad quam quisque ex Canonicis tenebatur, quia in hebdomada Missæ omnibus diebus applicabantur pro Benefactoribus. Semel ac inde hujusmodi applicatio restricta fuerit ad dies tantum festos, cessat proinde ratio, ex qua motus fuit Testator in computanda hebdomada pro præscriptis Sacris quindecim quolibet mense. Hactenus quo ad futurum: quo vero ad præteritum, dubitari certe nequit de Oratoris bona fide, qui nihil aliud egit, nisi vestigia suorum Decessorum premere.*

Rectum, nec ne sit argumentum Episcopi quo ad futurum, EE. Vestræ decernent. Quælibet certe pro pia Missarum causa sumenda est interpretatio, *Bordon. de legat. piis cap.* 1. *num.* 125., *Staiban. centur.* 1. *resol.* 18. *num.* 10., & *ibid. in observ. num.* 14. Animadverti tamen posset, quod dum comprehendere voluit Testator in numero Missarum quindecim hebdomadam, ad quam tunc Canonicus tenebatur, eum pro sua anima voluisse censetur illarum numerum, qui detractis quotidianis Missis pro Benefactoribus, superesset; neque hæc idcirco determinata voluntas amplianda videtur ex futura, atque inopinata hebdomadę variatione; quum

nunquam ea feratur ad incognita, ad *Text. in leg. 23. ff. de acquir. heredit.* Ita profecto intelligenda est dispositio, *ut versari potuit in animo Testatoris tum cum testamentum obsignavit*, ut inquit *Rot. cor. Riminald. decis. 547. sub num. 20.*

Quo vero ad præteritum; bona utique fides, de qua testatur Episcopus, mereri posset Oratori absolutionem ab omissa celebratione Missarum pro numero respondente reductis Missis pro Benefactoribus, ut censuerunt EE. Vestræ *in Congregationis Olivetanæ 7. Maii 1791. ad II. Dubium*. At dubium ipsum, quod de futura nunc Missarum celebratione proponitur, monitum facere potuisset Oratorem ad exquirendum Superiorum oraculum, ubi primum Canonicatum obtinuit; & hæc in eo notari valet omissio, ne in casu, quod juxta votum Episcopi quo ad futurum damnetur, absolutionem, sine ullo saltem Missarum supplemento, consequatur, ut *in Alben. 24. Martii 1792.*

Proponitur itaque.

I. An, & quot Missæ sint celebrandæ quo ad futurum in casu &c.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione qua ad præteritum in casu &c.

Ad I. Affirmative juxta decretum Episcopi.
Ad II. Affirmative celebrato aliquo Missarum numero arbitrio Episcopi.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

FERETRANA IRREGULARITATIS. Dignum EE. Vestræ in Congregatione die 5. elapsi Aprilis censuerunt Clericum Josephum Belzoppi dispensatione ab irregularitate, quam ex opinione contraxerat homicidii, & die 9. ejusdem mensis benigne *Sanctissimus* annuit pro gratia. Exequi tamen renuit Feretranus Episcopus Apostolicum dispensationis Breve veluti subreptitium, & obreptitium, Vestramque in id imploravit Clericus auctoritatem. Quæ Antistes ille notabat subreptionis, & obreptionis capita, in sua refert informatione per hæc verba: *In Brevi legitur orta tantum infamia ob ejus cæ-*

cæ-

cerationem [nempe Oratoris] *absque eo quod fiat mentio de ejus dimissione sub fidejussione, a qua nunc absolutus, eo quod tantum non fuerit repertus culpabilis, quæ verba non innuunt ejus innocentiam. Inculpabilis etenim in foro judiciario quis declarari potest ob deficientiam probationum, licet revera reus fuerit ad sensum criminalistarum; cujus rei taciturnitas aliquod in me vere effecit dubium, eique patefeci ad sui regulam, atque ut de hoc etiam verificationem quoquo modo explere potuisset.*

Rursus *fallit Orator, quod in mea obsequentissima relatione documentum Archipresbyteri S. Marini* [de ejus vita & moribus] *meum fecerim. Illam sub datum pridie idibus Novembris transacti anni legere Emi Patris dignemini, & videmini, me tantum Archipresbyteri documentum, ab eodem mihi expeditum, aliis uniisse, nilque de iis loquutum fuisse; uti erant, reliqui judicio EE. Vestrarum. At dato etiam, quod meum fecerim, in Brevi legitur, quod ipse Orator verificet, ut a tempore illius dimissionis e carceribus usque ad præsens sanctam duxerit vitam. Non sufficit igitur documentum Archipresbyteri prædicti; nam Orator pluribus annis moram fecit extra Rempublicam, & præsertim Vericuli. Docere itaque debet ejus sanctam vitam ductam in iis locis, in quibus moratus fuit.* Additque, se *de illius moribus plenam non habuisse ab aliis fidem. Otiosus semper videtur, huc illucque ambulans, & absque habitu nigri coloris, & cum Archipresbytero de hoc conquestus pluries fui. Emendatum nunc testatus est Archipresbyter ipse.*

Hac Oratori ostensa informatione, propositis ipse occurrit difficultatibus. Subreptitium dici non posse ait Apostolicum Breve ob non expressam ab ejus extensore dimissionem e carceribus *cum præcepto de se representando*, & successivam absolutionem ob non *repertum culpabilem*; dum utramque ipse exposuit circumstantiam in precibus ad Summum Pontificem, utramque exposuit in hac Sacra Congregatione, ut ex Folio 15. Martii præteriti. Præter optimum vero testimonium Archipresbyteri S. Marini de ejus vita & moribus, similes exhibet attestationes Archipresbyterorum SS. Petri, & Thomæ, nec non Capellani curati S. Andreæ Vericuli, quorum in parochiis sexennio moratus fuit. Atque ex pluribus aliis tandem testibus, iteratisque attestationibus Archipresbyteri S. Marini probat, versatum

satum semper fuisse cum probis Ecclesiasticis, honestisque laicis; ac præ gravi, qua ob suam retardatam promotionem ad Ordines laborat paupertate, adhibere debuisse *tempo prima una sola giubba di colore, ma smorta, e molto lacera, non avendone altra nera simile più confacente, avendo nel rimanente sempre vestito da Prete*. Quod *non ha dato mai alcuna ammirazione, giacche non solo i Preti di campagna, come il Belzoppi, ma la maggior parte anche de Sacerdoti di questa Città* [S. Marini] *portano una giubba di colore modesto quotidianamente*. Si documenta autem ista Episcopo exhibuisset, exequutionem fortasse obtinuisset Brevis; quum ita ille suam concludat informationem: *In omni ejus parte igitur Apostolicum verificet Breve, aliaque synodalia exhibeat documenta, & statim, quod cupit, obtinebit*.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres:

An sit exequendum Breve Apostolicum in casu &c.

Affirmative, exhibitis tamen Episcopo documentis, de quibus in novis precibus.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

PIENTINA CESSIONIS. In Villa nuncupata *Amorosa* pientinæ Diœcesis antiquissimum est Oratorium Nativitatis B. M. Virginis; illudque episcopales Visitationes annorum 1725. 1751. & 1755. extructum referunt circa annum 1500. a nobili viro Nicolao Piccolomineo in commodum Populi absque ulla Beneficii forma, & modo ad nobilem pertinere familiam Pannilini. Subest Parocho S. Luciæ oppidi senalongensis, cui ex reditibus ipsius Oratorii incumbit onus manutenendi cum annuo stipendio scutorum triginta Capellanum ad nutum amovibilem, qui Sacrum absque applicatione in eo faciat diebus festis, Evangelium exponat, christianam Doctrinam edoceat pueros, & Parochi vices gerat. Onera autem hæc perpetuo transfundere statuit hodiernus Parochus Joseph Mazzi in familiam Pannilini uti patronam, cum cessione bonorum Oratorii, & juris nominandi Capellanum, supplicavitque EE. Vestris pro facultate; & non acquiescens rescripto *non expedire* diei 5. elapsi Aprilis, iteravit preces, quæ justis tandem

dem de causis remissæ fuerunt ad Archiepiscopum senensem pro informatione & voto.

Hic igitur de acceptatione retulit Equitis Julii Pannilini; de consensu Capellani Oratorii, & pientini Episcopi; ac censuit, *annuendum supplicationi Sacræ Vestræ Congregationi porrectæ a prædicto Parocho Mazzi, quia in evidentem suæ Ecclesiæ utilitatem hujusmodi cessio summopere redundat, quum ex bonis cedendis minime retrahi possint fructus, qui oneribus sustinendis, & honorario Capellano solvendo sint sufficientes, ut videri potest ex alligato calculo nobis exhibito ex parte DD. de Pannilinis*, in quo annua impensa manutentionis Capellani, Oratorii, sacræque supellectilis in scutis constituitur 40. 80., reditus vero bonorum, de quorum cessione agitur, in scutis 17. 89. 2. $\frac{1}{2}$, juxta relationem peritorum; ita ut major sit impensa in scutis 22. 90. 2 $\frac{1}{2}$. Deficiebat fundatio Oratorii. Ejus igitur loco exhibuit Orator attestationem Cancellarii episcopalis pientini, qui illam autumat consumptam flammis, quibus infestus Gallorum exercitus Pientiam, ejusque archivia incedit anno 1557., sed ex posterioribus Visitationibus episcopalibus (quarum potissimæ annorum 1725. 1751. & 1755. seorsim exhibentur) & formali examine testium anni 1623. refert, *che la detta Chiesa è stata sempre considerata, e si considera anche al presente di patronato dei laici, e segnatamente dei nob. Signori Piccolomini del Mandolo, la superstite de quali fu la Signora Ippolita maritata nella nob. famiglia Pannilini di Siena in oggi rappresentata dal Signor Cav. Giulio, e fratelli Pannilini, nella casa de quali passò cum universitate bonorum il patronato di detta Chiesa dell' Amorosa coll' onere di mantenere, conforme hanno sempre mantenuta la predetta Chiesa tanto nella fabbrica, che nei utensili.*

Quamvis enarrati incendii causa fundatio deficiat Oratorii, ex Visitationibus tamen pientinorum Antistitum, testiumque examine anni 1623. de laicali constat illius patronatu apud familiam Pannilinam. Unus profecto ex modis probandi juspatronatus sunt Visitationes Episcopi, quibus judiciales etiam adstipulantur testes, *Fargn. de jurepatr. part. 5. can. 12. cas. 1. num. 15., Garz. de Benefic. part. 5. cap. 9. sub num. 89., Rot. apud Vivian. de jurepatr. decis. 26. num. 12. vers. & primo ponderatæ fuerunt Visitationes.* Quatenus itaque admittant EE. Vestræ hujusmodi juspatronatus, quod

al-

altiorem requirere posset indaginem, quum jus præsertim nominandi Capellanum sit penes Parochum, de proposita deliberandum erit cessione. Hæc utique juxta Pannilinorum calculum, quem ad EE. Vestras misit senensis Archiepiscopus, utilis esset Parocho oratori, ejusque successoribus; nam per cessionem bonorum annui reditus scutorum 17. 89. 2 $\frac{1}{2}$ perpetuo levarentur sumptu scutorum 40. 80., quem in se susciperet familia Pannilina; ideoque ob talem utilitatem permittenda videretur ex *can. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. *cap. ut super* §. *fin. de reb. Eccles. non alienan.*, & decretis Sac. Congregationis *in Maceraten. Beneplaciti* 26. *Augusti* 1780., *& in Ravennaten. Legati* 25. *Aprilis* 1789. *ad* 1. *Dub.*

Res contra est de subiiciendo juri laicorum Capellano curato; valdeque propterea timendum esset, ne remitteret sub iis ex diligentia, quam modo adhibet sub Parocho, sub cujus *directione* est, teste Archiepiscopo; quodque magis urget, illorum esset pensionarius. Talis insuper non videtur cessionis utilitas, qualis ex calculo Pannilinorum apparet. Si enim credendum est Cancellario episcopali pientino, onus manutentionis Oratorii, & sacræ ejus supellectilis incumbit Pannilinis. Detrahi ergo debet ex statu passivo duplex partita scutorum in unum 5. 10. pro eadem manutentione; & sic compendium Parochi consisteret in scutis 17. 80. 2$\frac{1}{2}$. Si altera vero ex parte ratio habeatur parochialis juris nominandi Capellanum, quo se suosque successores per cessionem privaret Parochus, magis fortasse æstimandum est, quam assertum illud compendium.

Deliberandum itaque.

An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

VITERBIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Erat olim in collegiata Ecclesia S. Mariæ Barbarani Capellania annui reditus scutorum triginta sub titulo SS. Rosarii, onusque Capellano incumbebat Missæ qualibet feria secunda, quarta, sabbatho, & diebus festis, nec non recitandi Rosarium Marianum feria quarta, sabbatho, & diebus Dominicis, ac benedicendi aquam lustralem singulis sabbathis. Anno tandem 1686. erecta

fuit

fuit ejusmodi Capellania cum eodem reditu in Canonicatum, aliudque veteribus additum onus interessendi *Choro, & aliis functionibus, quibus assistere solent alii Canonici dictæ Ecclesiæ.*

Hæ autem sunt canonicales functiones, juxta attestationem Decani, Camerarii, & Secretarii Collegiatæ. I. tenentur Canonici *in tutte le feste di precetto assistere alla Messa cantata, o sia conventuale, e vespero.* II. *nelle solennità assistere ai primi, e secondi vesperi, ed alla Messa priorale, e debbono pararsi chi da Diacono, e chi da Suddiacono, tanto ne vesperi, che Messe cantate.* III. *dire per turno la Messa prima all' aurora, ed ultima sul mezzo giorno ne giorni festivi.* IV. *intervenire all' Offizio, e Messa cantata nella notte di Natale.* V. *in tutta la quaresima assistere alla compieta: i venerdì di Marzo alla Processione, che si fà per il Paese: all' Offizio delle tenebre nella Settimana Santa, ed a tutte le altre funzioni, che in detta Settimana sogliono farsi.* VI. *nella solennità del Corpus Domini intervenire alla Processione che si fà tanto nel detto giorno, come nell' ottava; come anche recitare l'Offizio Divino nel Coro, e cantar la Messa in tutti i giorni della medesima ottava.*

Septimo insuper *nella commemorazione de Defonti assistere al primo vespero, al matutino, laudi, e Messa cantata de requiem.* VIII. *dopo i secondi vesperi del giorno di tutti i Santi processionalmente andare a cantare il vespero de Defonti nelle altre tre Chiese di questa Terra.* IX *intervenire alle tre Processioni, che si fanno nell' anno si nel giorno di S. Marco, che ne giorni delle Rogazioni, la prima e terza Domenica di tutto l' anno, cioè del Sagramento, e del Rosario, e ad altre Processioni, che cadano nell' anno sudetto.* X. *processionalmente portarsi nelle Chiese rurali, che sono quattro, tutto che siano anche ben lontane dal Paese, ed ivi assistere alle Messe cantate, che una volta l' anno si celebrano ne giorni del respettivo Titolare di detta Chiesa.* XI. *fare sei, o sette Novene all' anno in mancanza dell' Arciprete.* Et XII, *tandem il Canonico di terza erezione* (possessor nempe Canonicatus erecti ex Capellania) *oltre tutti li sopra cennati obblighi* (*mancando ai quali, viene egualmente puntato, che gli altri*) *è altresì tenuto a recitare nella medesima Collegiata il Rosario tutte le Domeniche, mercordì, e Sabbati dell' anno.*

Consistit fundus canonicalis prębendę, de qua agitur, in quibusdam prædiolis, & censibus, quorum nonnulli ob

debitorum decoctionem periere. Hac de causa hodiernus Canonicus Aloysius Mastini EE. Vestris supplicavit anno 1778. pro reductione Missarum; reque ob defectum fundationis Canonicatus hactenus suspensa, eamdem modo renovat instantiam, cui reliqui favent Canonici, dummodo servetur servitium Chori, & recitatio Rosarii. Emus autem viterbiensis Episcopus ex decenni calculo refert, canonicalem Oratoris præbendam annua nunc attingere scuta viginti octo: nonnullos ex censibus periisse *antequam idem Orator præbendam obtineret*: quæ sunt prædiola, alia jam in emphyteusim concessa, congrueque alia locata, ita ut nil ultra præsentem eorum pensionem sperari posset ex emphyteutico canone: Missarum onera omnes fere absorbere reditus præbendæ, & Oratorem insuper gravari Choro, & recitatione Rosarii ter in hebdomada. Atque hinc demendas censet Missas, *quolibet die lunæ, & sabbatho celebrandas, firmis remanentibus reliquis omnibus ab Oratore adimplendis, ut usque ad præsens adimplevit ad formam legis fundationis*.

Multa profecto Oratori tum ex antiquiori institutione Capellaniæ, cum ex erectione Canonicatus incumbunt onera, quorum in antecessum facta est mentio; eisque fortasse non respondet emolumentum scurorum 28. Locus idcirco esse posset illorum reductioni ad æquitatem, *Monacell. formul. 19. tit. 20. part. 1. num. 25.*, & *Sacra Congregatio in Viterbien. Reductionis Onerum 8. Maii 1784.*. Deliberandum tamen esset, num reliqua potius reduci deberent onera, quam Missæ, ut *in Montis Falisci Reductionis Missarum 17. Decembris 1791.* Maxime quia præter servitium Chori, & recitationem Rosarii in Ecclesia Collegiata, de quibus tantum soliciti videntur ceteri Canonici, quædam alibi explentur reducibiles functiones, ut in enarratione facti.

Verum ponderare dignentur Emi Patres, Oratorem accepisse Canonicatum post jam imminutam præbendam, valdeque de cætero tenuem esse imminutionem à scutis 30. ad 28. Facile profecto reduci non debent onera, quæ sciens prudens cum presenti accepit reditu, juxta decretum Sacrę Congregationis *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum 23. Januarii 1790.*

A Vestra igitur pendet deliberatione.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 6. Decembris 1794. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PIENTINA CESSIONIS. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

An, & quomodo ſit concedendum Beneplacitum Apoſtolicum in casu &c.

Negative & amplius,

VITERBIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in casu &c.

Negative,

ROMANA SUSPENSIONIS MISSARUM. Collegiatam olim Eccleſiam SS. Cosmæ, & Diamiani, adnexasque ædes in Foro boario concessit Julius II. Cœnobitis tertii Ordinis S. Francisci *cum omnibus privilegiis, honoribus, & oneribus, præcipue choro assistendi, sacras Eccleſiæ functiones peragendi, & animarum ſalutem promovendi*; & hujusmodi concessionem sub iisdem conditionibus confirmavit Xistus V. Gravata estEcclesia annuis Missis circiter4203.,quarum aliæ antiquæ fundationis, aliæ ex recentioribus legatis, aliæ ex contractu cum ipsis Religiosis. Ad hæc, aliaque implenda onera viginti novem inCœnobio sunt Individui, *Sess. 25. cap. 3 de Regular., & cap 4 de Reform*

Sacerdotes nempe viginti, Laici octo, & Bajulus sæcularis.

Ad reparandum cujusdam amissæ litis damnum, aliosque explendos necessarios sumptus, contraxerunt Religiosi ab anno 1763. ad annum 1787. de licentia Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium alienum æs scutorum 2705. in passivis censibus, & alienarunt annis 1788. & 1791. Loca MM. 10. 13. centes. Hactenus tamen annuum neglexerunt depositum scutorum 164., in redintegrationem Locorum Montium, ærisque alieni dimissionem imperatum, illudque Superior Cœnobii neque in posterum præ exuberantia status passivi fieri posse exposuit Sacræ huic Congregationi. Activus porro Cœnobii, & Ecclesiæ status annua attingit scuta 2876, passivus scuta 3151. Huic malo occurrendum existimabat sive per reformationem religiosæ Familiæ, sive parcendo superfluis expensis, sive per suspensionem dimidii oneris Missarum ad decennium. Primum tamen reprobabat modum eo quod dempto Patre Generali, ejusque Secretario, & Procuratore Generali, senibus, aliisque impeditis, nec decem pro necessitate superessent Choristæ. Leve subsidium autumabat secundum, quum superfluæ expensæ non excederent annua scuta 70. Ac unam idcirco probabat Missarum suspensionem, pro qua EE. Vestras exoravit.

Huic instantiæ Eminentissimus favit Protector. Justis siquidem factis detractionibus, novem tantum ex viginti Sacerdotibus superesse confirmavit, qui res agere valerent Divinas; ideoque minuendam non esse religiosam Familiam, *nisi quis forte a veteri SS. Cosmæ, & Damiani templo sacras functiones, & Divinum cultum, Sacramentorumque administrationem tollere proposuerit, & non modo religiosi Ordinis institutum, sed ipsam voluerit Ecclesiæ fundationem evertere, quæ Collegiata olim erat, a Canonicis colebatur, quibus Cœnobitæ tertii Ordinis S. Francisci a Summis Pontificibus Julio II., & Xisto V. suffecti fuerunt, sub iisdem tamen oneribus, & obligationibus.* Eoque minus id permittendum esse, ne privaretur *Fori boarii plebs uno hoc ad pietatis opera incitamento*. Originem hinc exponens Missarum, quibus Cœnobium gravatur, earum præsertim, quæ ad annuum numerum sexaginta procedunt ex contractu cum Joanne Baptista Felpa, ita suum ape-

aperuit votum. *Itaque digni Oratores, dignaque infelix Cœnobii conditio videtur, cui adjutrices porrigantur manus, Missarumque obligationes pro medietate ad decennium relaxentur. Isthæc medietas attingit numerum Missarum 2101. circiter; deducta tamen Felpæ stipulatione, deductisque omnibus unius tantum Missæ legatis: neque enim fas esse videtur, ut cujusque benefactoris memoria obliteretur.*

Per hujusmodi autem Missarum suspensionem, reique familiaris parsimoniam, quæ annua dare potuisset scuta 70., nedum æquari censuit introitus exitusque rationes, sed aliquid etiam redundaturum fore. Atque in hæc conclusit verba: *Quum stabile fixumque manere debeat, ut quotannis deponatur summa a Sacra Congregatione imperata scutorum 164., quæ quidem in exitus calculatione jam adscripta sunt, illud etiam præcipiendum censerem, ut quotiescumque ex confecta pecunia aliquis census extinguatur, aut quid Locorum Montium acquiratur, omne compendium addatur deposito, quo facilius, celeriusque ad dissolutionem totius æris alieni perveniatur. Atque ut hæc fideli semper committantur executioni, palamque etiam fiat, an alia forte aperiatur depositi augendi ratio, obitu ex gr. alicujus Religiosi, ejusque etiam spolio, & peculio, aut accessione novi alicujus pii legati, ac beneficii, adigendi videntur omnes, quotquot in rerum administratione jus partemque habituri sunt, ad reddendam singulis annis gestorum rationem, indicta pœna suspensionis ab officio, atque ademptionis activi passivique suffragii.* Idemque sentiit in suo voto Procurator Generalis Ordinis. Verum proposita per Summaria Precum instantia in Congregatione 21. Aprilis 1792., rejecta fuit per rescriptum *lectum ad instantiam*, Supremum Religiosi adierunt Solium; sed prolixis eorum precibus ad Sac. ipsam Congregationem remissis, infrascriptum modo proponitur Dubium.

Justa sane de causa alienasse censentur Religiosi Loca Montium, & alienum quoque æs contraxisse; dum utrumque de licentia fecerunt Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium. Ex activo item, & passivo Cœnobii statu per eos exhibito, dubitari nequit de exuberantia passivi in annuis scutis 275. Religiosæ ergo succurrendum Familiæ, ne deficiat; idque non immerito fieri posset per flagitatam suspensionem Missarum,

ut

ut in Velitterna Suspensionis Missarum 18. *Septembris* 1790. *Ad primum Dubium* . Potissimum , quia facile provideri nequit aliunde. Rei enim familiaris parsimonia , quæ in annuis consisteret scutis 70. , satis non est ad opportunitatem . Reformatio vero religiosæ Familiæ minueret , juxta Eminentissimum Protectorem , Divinum cultum in antiquissima Ecclesia SS. Cosmæ , & Damiani , plebemque privaret Fori boarii *uno hoc ad pietatis opera incitamento* .

Magis altera ex parte consentanea est *Sacro Concilio Tridentino* Familiæ reformatio ; nam præcipit *Sancta Synodus sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.*, *ut in Monasteriis, & domibus tam virorum , quam mulierum , bona immobilia possidentibus , vel non possidentibus , is tantum numerus constituatur , ac in posterum conservetur , qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum , vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari* , Nec multum fortasse per hujusmodi reformationem detraheretur servitio Ecclesiæ . Satis enim censet , Eminentissimus Protector pro chorali servitio Sacerdotes novem . Si ex Sacerdotibus ergo viginti soli reformarentur quinque , jam detractis P. Generali , Procuratore Generali , Provinciali , & Secretario , non novem modo , sed undecim superessent Sacerdotes , pro quibus ex Laicis novem sufficientes etiam essent septem . Atque hæc non magna reformatio æquilibrium restitueret Cœnobio , nam pro alimentis Sacerdotum quinque requiruntur juxta statum passivum scuta 140. ad rationem scutorum 28. pro quolibet, & pro duobus Laicis scuta 120., & sic in unum scut. 260. . Additis autem scut. 70. , quæ cumulari possunt parcendo sumptibus , haberetur summa scutorum 330. , majorem ea , qua indiget Cœnobium .

Deliberandum itaque :

An , & quomodo sit providendum rei familiari Cœnobii SS. Cosmæ & Damiani Urbis in casu &c.

Dilata ;

ORIO-

ORIOLEN. In erigenda insigni Collegiata S. Nicolai Civitatis de Alicante statuit Clemens VIII. cujusque Canonici præbendam in hispanicis libris decem, ceterosque reditus librarum circiter 400. quotidianis assignavit distributionibus. Communicavit autem Capitulo privilegia, prærogativas, indulta, quibus fruebantur Cathedrales Valentiæ, Oriolis, Segobriæ; & Collegiatæ Xativæ, & Gandiæ valentinæ Diœcesis. Recens aucta est primæva dotatio in aliis libris 90., sed pluribus de causis, quas mox audient Emi Patres ex ore Episcopi oriolensis, vacationum ampliationem postulant Capitulares a bimestri ad trimestre cum perceptione distributionum, aliorumque redituum: exemplo oriolensis Cathedralis, cui similis concessa fuit gratia in Congregatione 14. Januarii 1782. Normam sumi non posse ait Episcopus ab observantia aliarum Collegiatarum suæ Diœcesis, quum sint nullæ. De summa fere testatur Canonicorum inopia præ redituum tenuitate, ita ut necessario plerique sequantur, ut vivant, *parentes, vel consanguineos suos in absentia, dum de fructu frumenti, vini, & ordei, in quibus multiplicati sunt, colligendo, secessus varios per annum coguntur arripere*. Excessivum memorat regionis calorem in æstate, qui ad similes urget absentias, quibus non desunt opes. Atque exposci refert indultum de consensu Capituli; illudque & ipse exoptat. *Sess.24.cap.12 de Reform.*

A quo inductæ fuerint tempore bimestres vacationes Canonicorum de Alicante, non constat; sed initium fortasse habuerunt ab ipsa erectione Collegiatæ. Ex dispositione igitur *Sacri Concilii Tridentini sess.24. cap.12 de reform.* servanda videretur hujusmodi consuetudo; nam in permittendis trium mensium vacationibus excipit illarum Ecclesiarum constitutiones, *quæ longius servitii tempus requirunt*. Gratiam tamen merere possent Oratores tum ex tenui canonicatuum reditu, ut *in Alexandrina Servitii Chori* 1790., & *in citata Oriolen.* 14. *Januarii* 1792., cum ob insalubritatem aeris ex calore æstivo, ut *in Vercellen. Servitii Chori* 19. *Junii* 1790., & *in Plocen. Servitii Chori* 19. *Februarii* 1791. Attento potissimum exemplo oriolensis Cathedralis, cujus indulta, prærogativas, privilegia communicavit Clemens VIII. Collegiatæ de Alicante (quæ tamen erant tempore erectionis) & attenta finiti-

timarum Cathedralium consuetudine, ad quam etiam respexit Sacra Congregatio *in dicta Oriolen.* 14. *Januarii* 2792.

Quatenus autem prorogandæ sint vacationes, deliberandum insuper erit de perceptione distributionum, & redituum. Qui a choro siquidem vacationum tempore absunt, privantur distributionibus, etiamsi in morbum inciderint, secundum *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. licet de præben. num.* 149., non item præbendis, quæ ab illis sint distinctæ, ut in nostro themate; ex *Sacro Concilio Tridentino sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.*, *Girald. in jus Pontific. part.* 1. *ex lib.* v. *Decretal. tit.* 5. *de magistr. sect.* 787. Res vero est de distributionibus tenuissimis, quæ neque cum præbendis ad congruam sufficiunt Canonicorum sustentationem.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sint ampliandæ vacationes in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi facto verba cum Sanctissimo.

Sess. 25. *cap.* 13 *de Regular.*

SUTRINA. Plures in oppido Capranicæ per Canonicos Collegiatæ S. Joannis quotannis fiunt publicæ supplicationes, singulis nempe feriis sextis Martii in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi, & dolorum Beatissimæ Virginis, quæ supplicationes nuncupantur de pœnitentia; nec non in Rogationibus, solemnitate Corporis Christi, festisque S. Marci, & S. Terentiani Protectoris oppidi, eisque sæcularis, & regularis interest Clerus. Uni Religiosi Conventuales a diuturna interessendi consuetudine, quoad supplicationes mensis Martii nonnullis abhinc annis recesserunt; & urgente nuper Capitulo, ut eos ad officium revocaret, hæc objecerunt. I. scilicet interesse amplius non debere supplicationibus de pœnitentia, eo quod adimplere neglexerint Canonici correspectivum pactum interessendi ipsorum choro in festivitatibus Sanctorum Laurentii, Francisci, & Antonii patavini. II. quod in sup-

supplicationibus Corporis Christi, & S. Protectoris propriam tibicines, non illam Capituli precedere teneantur Crucem. III. quod in supplicationibus generalibus Divi Marci, & Rogationum, qua die eorum Ecclesiam de more adit Capitulum, ad ipsos prælative competant præcentio antiphonæ, & orationis recitatio. His omnibus vero obsistit Capitulum, additque inconveniens illud, quod inordinate Religiosi, dimissaque Cruce ad suam accedant Ecclesiam in supplicationibus S. Marci, Rogationum, & Corporis Domini, ueque eam orandi causa ingrediantur.

Re ad EE. Vestras per Capitulum delata, rationem ex ore ipsius Capituli exponit Sutrinus Episcopus, cur cogi debere videantur Religiosi ad interessendum supplicationibus de pœnitentia, quod nempe hujusmodi supplicationes *causam & bonum publicum spectent, & revera cadant sub dispositione S. Concilii Tridentini sess. 25. cap. 13. de Regular., ubi Regulares invitatos cogi posse decernitur ad interventum, juris etiam remediis.* Secundo Religiosorum postulato, opponi ait consuetudinem Loci, Diœcesis, & ipsius Urbis, *ubi præ cæteris in casu simili dum infra octavam Corporis Domini procedunt Capitulum Divi Marci, & Patres Minores de observantia, æque ac alibi tibicines incedunt, & personant ante Crucem Capituli*; & ab hanc comprobandam consuetudinem observat, quod *si eos, qui fidibus canunt, non incongrue comparari liceat cum voce canentibus, quæstionem ritualiter diremisse videtur Gavantus cum Merati part. 4. rit. 12., dum ait = cantores, seu musici, si adsint, procedant ante Crucem secundum cæremoniale Episcoporum; quod tamen intelligendum videtur de musicis, qui non sunt beneficiati, neque etiam de gremio Ecclesiæ, aut Clerici (quæ verba nonnisi ad Crucem Cleri sæcularis referri queunt) sed laici quamvis cottis induti; nam si sint clerici, aut beneficiati, convenientius videtur, ut est usus communior, ut procedant immediate post Crucem = Semel ac igitur huic dispositioni accedant etiam consuetudo & observantia, incongrua profecto videtur contentio PP. Conventualium.* Circa præcentionem denique antiphonæ, cantumque orationis, favere videtur Religiosis, qui suum jus mutuantur a regula funerum, quæ ad eos deferuntur, *nec propterea huic præeminentiæ in Ecclesia propria quidquam detrahit simplex matricitas*

honoris, quam lubentes admittunt penes Collegiatam, ejusque Capitulum. Inconveniens vero præterit inordinati Patrum accessus ad Collegiatam.

De singulis quoque quæstionibus in suo voto agit Procurator Generalis Conventualium. Memorat quo ad primam non adimpletum per Canonicos pactum interessendi eorum choro in festivitatibus SS. Laurentii, Francisci, & Antonii; & conciliarem dispositionem *in cit. sess.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* de supplicationibus intelligit pœnitentiæ, quæ extraordinarie fiunt pro publica calamitate, non item quæ statis diebus in annos celebrantur, ut sunt illæ in feriis sextis Martii. De loco tibicinum decernendum ait ex consuetudine, quæ varia est ubique, & *ex decreto diœcesani Antistitis, qui post vexillum, vulgo = Basilica = locum præfatis instrumentorum modulatoribus præfixit.* De ordinato testatur Patrum accessu cum elata Cruce ad Ecclesiam Collegiatam, eorumque ingressu in illam, una excepta supplicatione S. Protectoris, in qua abstinent ab ingrediendo ob angustiam Ecclesiæ, Populique frequentiam. Et servandum denique censet solitum quo ad autiphonam, & orationem; additque, quod *ritus, quem nostrates servant, in suis respectivis Ecclesiis servant & Parochi, ut ipsi fatentur instantes*, quodque idcirco *utrisque ritus hic permittendus, aut utrisque inhibendus est.*

Ne interesse cogerentur Conventuales supplicationibus de pœnitentia, non parum certe urgere possent inadimplementum correspectivi pacti de interessendo eorum festivitatibus, & conciliaris dispositionis limitatio ad supplicationes extraordinarias. Uno enim ex correspectivis sublato, necesse est tollatur & alterum, *Polit. de regal. dissert.* 9. *num.* 19. *tom.* 5. Lex vero correctoria libertatis non extenditur de casu ad casum, *Merend. controv. jur. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Notandum tamen, quod de asserto non docetur pacto; & de limitatione dispositionis conciliaris nullus allegatur *Doctor*. Ex decretis immo Congregationis particularis habitæ anno 1628. de mandato *Urbani VIII.*, de quibus *Pignatell. consult.* 222. *tom.* 1., interesse debent Regulares supplicationi Corporis Christi, Rogationibus, *ac quibuscumque aliis publicis, & consuetis supplicationibus*, non obstantibus privilegiis, consuetudinibus, præscriptionibus, ut notant etiam *Ferrar. verb. processio num.* 14.,

Bar-

Barbos. de Epic. part. 3. *allegat.* 78. *num.* 14., *Card. de Luc. in Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* Num supplicationes autem in feriis sextis Martii, de quibus hic agitur, simplicem respiciant devotionem, vel tanquam *de pœnitentia*, causam, & bonum publicum, EE. Vestræ decernent.

Innuit Procurator Generalis decretum Episcopi de processu tibicinum ante vexillum Collegiatæ nuncupatum *Basilica*, eique consentaneam affirmat observantiam. Quamvis vero assertum prætereat decretum Sutrinus Antistes, eo tamen cum observantia supposito, id profecto statueret, quod petunt Canonici; quum ubique locorum, ac præsertim in Urbe, Capitulorum vexilla immediate præcedant Capitulares, ut Regularium Cruces Regulares. Atque ex ritu etiam videtur, ut laicorum cantorum instar, præcedant tibicines Crucem Cleri sæcularis, secundum *Gavantum* citatum ab Episcopo, *Pignatell. consult.* 90. *num.* 1., *& seq. tom.* 4., & decreta Sac. Congregationis Rituum *in Urbevetana* 20. *Novembris* 1610., *&* 17. *Januarii* 1611., *& in Vigilien.* 8. *Octobris* 1650. Ceterum per quatuor testes de visu probat Capitulum, tibicines semper processisse *immediatamente dopo li PP. Conventuali, prima della Croce del Clero secolare.*

Circa præcentionem antiphonæ, & cantum orationis in Ecclesia Conventualium, competere videretur præcedentia Capitulo Collegiatæ veluti dignori, *leg. honores* 7. *ibiq. gloss. ff. de decur.*, *Contelor. de præcedent. num.* 3. Quum nullam contra jurisdictionem habeat simplex Collegiata in Ecclesia Regularium, ei idcirco cedere non debet Prælatus regularis jus exercendi proprias functiones, juxta declarationes Sacræ Congregationis Rituum relatas per *Barbos. de Paroch. part.*3. *cap.*29. *num.* 81., *& seqq.* Ad differentiam Capituli Cathedralis, quod unum constituit corpus cum Episcopo, & ratione Episcopalis jurisdictionis, quam habitualiter habet, actuque Sede vacante exercet, in Ecclesiis etiam Regularium præcedit, *Card. de Luc. de præeminent. disc.* 22. *num.* 6., *& seqq.*

De ordinato tandem processu ad Ecclesiam collegiatam, & adoratione Crucis occasione supplicationum, conveniunt Patres, & merito; nam ordinatum processum exigit Ecclesiasticæ functionis decor; adorationem Crucis præscribit *Rit. rom. tit. de process. Corporis Christi*, & Sac. Rituum Congregatio *in Siracusana* 6. *Septembris* 1636. *apud*

Pignatell. consult. 46. num. 32 tom. 3. Discrepant tamen in facto; nam per os Procuratoris Generalis Ordinis utrumque semper adimplevisse affirmant, excepta supplicatione S. Protectoris ob angustiam Ecclesiæ, Populique concursum.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. An PP. Conventuales oppidi Capranicæ interesse debeant supplicationibus, quæ fiunt per Capitulum Collegiatæ singulis feriis sextis Martii in casu &c.

II. An, & quo loco procedere debeant tibicines in supplicationibus in casu &c.

III. An, & cui competat præcentio antiphonæ, & orationis recitatio in Eclesia Conventualium, cum ad eam accedit Capitulum Collegiatæ in casu &c.

IV. An, & quomodo occasione dd. omnium supplicationum procedere debeant Conventuales ad Ecclesiam collegiatam, eamque ingredi in casu &c.

Ad I. Affirmative.
Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi.
Ad III. Affirmative juxta votum Episcopi.
Ad IV. Affirmative ad formam soliti.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

SENOGALLIEN. TAXÆ SEMINARII. Licet ad reparandum, ampliandumque senogalliensis Seminarii ædificium, diu suspensum fuisset illius exercitium, multum tamen contrahi debuit alienum æs. Ad hoc igitur dimittendum, imposuit Emus Episcopus elapso anno taxam scutorum trium in singula centum, donec opus fuisset, super omnibus Beneficiis, Piisque Locis Civitatis, & Diæcesis, comprehensa Episcopali mensa. Ab hac immunes esse autumant taxa Capellani quidam Civitatis Montis Bodii, qui a fundatore Francisco Fisico nuncupantur *di Fisico*, onusque habent hebdomadalium Missarum quatuor ad Altare Divi Blasiii in Pa-

Parochiali Ecclesia S. Crucis ejusdem Civitatis; suamque tuentur immunitatem ex laicali Capellaniarum qualitate, quam testamento anni 1698. in hæc Fundator expressit verba = *E perchè io non intendo, ne voglio in nessun conto, che le sopradette Cappellanie &c. si abbiano mai a chiamare ecclesiastiche, voglio, e dichiaro, che siano sempre laicali perpetue, in maniera che non ricerchino instituzione, e confermazione de Signori Superiori Ecclesiastici, ma siano sempre nominazioni* = nec non ex illarum amovibilitate, quam ipsi desumunt ex tributa nominanti Capellanos facultate, quod *trovando qualche Cappellano, o altro che tiene i miei beni col peso di Messe, che non abbia intieramente adempito all' obbligo de suoi Sacrificii, possa privarlo, e conferire ad altro la Cappellania.*

Hisce igitur de causis Vestram implorant auctoritatem: sed eorum instantiæ adversatur Emus Episcopus. Haud enim ipsis prodesse ait laicalem Capellaniarum qualitatem, quia *nulli dubium subest, quin Concilium Tridentinum cap.* 18. *sess.* 23. *Beneficia quæcumque etiam regularia, etiamsi jurispatronatus cujuscumque fuerint, etiam exempta, in hujusmodi taxæ solutione comprehendat. Consonat in id ipsum Constitutio Benedicti XIII., quæ incipit*, creditæ nobis, §. 1. *quum itaque*; & *ea ipsa Instructio* [data per Sac. Congregationem Episcopis die 30. Martii 1726.] *quam idem Capellani renuentes pro se citant, in Bibliotheca Ferraris relata verb. Seminarium* § 3. *num.* 12., *debitam a Capellanis laicis Seminarii taxam confirmat.* Amovibilitatem vero appellat *chimericam, idealemque*; *nam ex particula testamenti di Fisico, quam adnexam adjungo, clare patet, Capellanias esse perpetuas. Accedit, quod aliqui ex Capellanis, prout mihi constat, ad titulum hujusce Capellaniæ ordinati sunt, quod, nisi perpetuæ forent, fieri certe non potuisset.* Atque ita concludit: *Quocirca in ea opinione sum, Capellanos* di Fisico *hujus taxæ solutionem renuere nulla ratione posse; ideoque EE. Vestrarum jussu huic taxæ obnoxios declarandos esse arbitrarer.*

Quærendum igitur, num ex laicali Capellaniarum qualitate immunes sint Capellani omnes *di Fisico* a solutione taxæ, vel ii saltem ad eam teneantur, qui illas habent in titulum. Ad laicales porro Capellanias trahi posse videtur *Sacrum Concilium Tridentinum*, dum *in sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* mandat Episcopis, ut portionem, seu taxam Seminarii detrahant ex Beneficiis

cujuscumque qualitatis & conditionis, & quibuscumque aliis ecclesiasticis reditibus, seu proventibus: multoque magis Benedictina Constitutio *creditæ nobis*, quæ nec ab ea eximit taxa reditus Confraternitatum laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes. Quandoquidem Capellaniarum etiam laicalium reditus ex certis proveniunt fundis, & ob adnexa Missarum onera dici valent ecclesiastici, ut taxam subeant, *Panormitan. in cap. Joannes de testam. num.* 7., *Piton. de controv. patron. allegat.* 32. *num.* 1., & Sacra Congregatio *in Cassanen.* 15. *Decembris* 1736. *ad XV. Dub.*, & 30. *Martii* 1737.

Communiter altera ex parte sentiunt *Canonistæ*, eas tantum taxari per Episcopum posse Capellanias favore Seminarii, quæ erecta sunt in Beneficium ecclesiasticum; non item laicales, quæ simplici assimilantur Missarum legato, ejusque instar a conciliari eximuntur decreto. Ita *Felin. in cap. ex parte* 2. *num.* 2. *de rescript.*, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 3., *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 18. *de reform. num.* 18., *Nicol. in flosc. verb. Seminarium*, *Monacell. part.* 1. *tit.* 12. *num.* 6., *Fargn. de jurepatr. part.* 5. *pag.* 112. *num.* 13. Et quamvis *in citat. Instructione* Sacræ Congregationis subiiciantur taxæ Seminarii Capellaniæ omnes perpetuæ, & sic etiam laicales, quæ tales sint, verbis nempe illis = *le Cappellanie devono contribuire al Seminario, se sono perpetue, e si conferiscono in titulum* = ponderandum tamen, num reipsa Capellaniæ *di Fisico* sint perpetuæ, ut eas appellat Fundator per ea verba = *che siano sempre laicali perpetue* = seu potius amovibiles ex tributa nominanti facultate dimittendi præ arbitrio Capellanos negligentes. In perpetuis sane Capellaniis, ut locus sit privationi, binæ saltem præcedere debent monitiones, & sententia declaratoria, ad præscriptum *Sac. Concil. Tridentini sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

At nonnullæ Capellaniæ, de quibus agitur, collatæ sunt in titulum, Emo Episcopo teste; ideoque ex his saltem, juxta *cit. Instructionem*, solvenda videretur taxa. Notandum vero, quod suam semper Capellania laicalis retinet naturam, neque recepta in titulum patrimonii sacri, qualitatem assumit Beneficii ecclesiastici, *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 2. *num.* 24. Vetitum profecto non est, quem ad ordines promoveri cum Capellania laicali ad titulum patrimonii, secundum *Garz.*

de

de Benefic. part.7. cap.1. num.107., *Piton. de controv. patron. allegat.32. num.10.* Patrimonii enim titulus improprius est, & subsidiarius, ac circa finem inductus sæculi XII., ut ex *decretal. Alexandri III. in cap.4. de præben.*, *Girald. in jus Pontific. part.2. pag.875.*, & *Thomasin. de veter. & nov. Eccles. discipl. part.2. lib.2. cap.9. num.2.*

Vestræ igitur deliberationi proponitur.

An, & ex quibus Capellaniis sit solvenda taxa Seminarii in casu &c.

Negative quoad Capellanias de quibus agitur.

MONTIS FALISCI JUBILATIONIS. Dum labente anno 1793. vacabat adhuc episcopalis sedes Montis Falisci, EE. Vestris supplicavit pro indulto jubilationis Sacerdos Archangelus Pellegrini Collegiatæ Gradulensis Canonicus: sed visa ex rescripto *ostendatur* contraria Vicarii Capitularis informatione, cognitisque ex ea contradicentis Capituli rationibus, aliquandiu supersedit. Evecto hinc ad eam Cathedram Emo Maury, renovavit preces; ac post ea exposita, quæ opponebant primum Capitulares, & ad responsiones modo replicant Oratoris, non favet Emus Episcopus pro indulto, sed aliquantulum a chorali servitio levandum censet Oratorem. Duplicem initio a Capitularibus propositam ait difficultatem, quod res nempe esset de levi servitio Chori diebus tantum festis; ac Oratoris exemplum cum gravi sacrarum functionum indecentia, populique scandalo, tres alii grandiori, & emeriti sequi possent Canonici: ad hæc vero Oratorem respondisse, concedi solere jubilationis indultum post quadragenarium sive grave, sive leve servitium; decem alios, præter se, aliosque tres emeritos, superesse Canonicos, qui sacras cum decore explerent functiones; sibique etiam esse incommodum herniæ: atque ita modo Capitulares urgere.

Ses.24. cap.12 de Reform.

Admittunt profecto quadragenarium servitium Chori; *sed omnibus rite perpensis, non idcirco statim judicant modo expedire quæsitam hanc a Choro abdicationem.*

Ne-

Negant enim & pernegant, Oratori tribusque aliis jam emeritis hoc indulto concesso, decem superextare Canonicos, qui festis diebus absque Populi scandalo & admurmuratione, de more Choro, dum Horarum canonicarum pensum exsolvitur, & Sacrum solemne peragitur, possint interesse. Ex hoc enim numero excipiendus Prior cum quatuor coadjutoribus in Animarum cura Canonicis, quorum singuli, festis maxime diebus, excipiendis Christifidelium confessionibus vocati tum extra, tum intra Ecclesiam debent operam navare, quemadmodum jam in una Montisfalisconen. anni 1706., & rursus anni 1707. ab ista Sacra Congregatione, ut quædam controversia Priorem inter & Canonicos coadjutores Gradulenses excitata dirimeretur, declaratum est. Tres alii pariter sunt excipiendi, quorum unus, videlicet Canonicus Basilj, adeo valetudine affectus est, ut Choro jam ipso jure ineptus deprehendatur; alter, nempe Canonicus Galeotti recitationi Divini Officii ob ætatem quatuordecim annorum impar existit; tertius tandem, hoc est Canonicus Prosperuzzi studiorum causa in diœcesano absens versatur Seminario. Quamobrem calculo iterum supputato, tres tantum liberi reliqui essent, qui continuo possunt Choro adesse.

At vero, quo pacto, quæso, in posterum consuetæ solemnes Missæ cum sacris Ministris decantari; quo pacto splendor ille, ac decens majestas, quæ hactenus in sacris functionibus in hac Collegiata insigni a Paulo III. erecta constantissime perspecta est, servaretur? Conclamatum jam esset prope de tam conspicuo Divini cultus honore, qui hanc Ecclesiam finitimis etiam huc usque Oppidis perillustrem reddidit, & commendatam. Interim vero putandum ne est, Gradulensem Populum, hisce assuetum a pueritia, a clamoribus, dicteriis, offensionibus se temperaturum? Verum hernicæ dolores longa in Choro sessione exasperantur. Exasperantur potius, subjungunt, crebris forte hac illac per Oppidum circuitionibus; irritantur laboriosæ forte venationis frequentiæ quæ tamen responsionis, non accusationis, aut exprobrationis causa proferuntur.

Hisce expositis, suum votum Emus Episcopus in hæc aperit verba: *Cum necessitate, aut decore saltem Ecclesiæ Gradulensis non video, quomodo in præsentiarum absolutæ jubilationis indultum, quod tamen ceteroquin Orator æquissimo jure mereretur, componi valeat. Potius igitur exhortandus foret, ut præmii meriti dispen-*

dium

dium lubens ferat, ne Divini cultus dispendium, quod absit, consequatur. Inde sibi non tribuat Orator, sed convenientiæ cuidam & necessitati, cui aliquando serviendum esse quis ignorat? Ceterum quum nemo impedire possit justam morbo levando, quo laborat, sedulamque procurationem, temperamentum istud subit mihi justissimum, ut singulis annis per binos menses, seu autumnali tempore [exceptis Solemnitatibus primæ, & secundæ classis interim occurrentibus] impune liceat Oratori a Choro abesse, ut studiosius valetudini operam impendat.

Quadragenarium sane non impugnatur Oratoris servitium, ita ut, secundum Emum Episcopum, jubilationis indultum mereretur. Eorum namque exemplo, qui post diuturnum sæcularis militiæ servitium, perpetuo fruuntur ocio ex provida *Constantini* sanctione *in leg. 1. lib. 12. Cod. de veteran.*, in ecclesiastica etiam inductum est militia, ut a Choro vacent, qui ei per annos quadraginta servierunt; quemadmodum Sacra hæc decrevit Congregatio in *Constantien. Jubilationis* 4. *Maii* 1637. *lib. Decret.* 27. *pag.* 146., *in Calaguritana Jubilationis* 2. *Maii* 1733., *in Spoletana*, & *Reatina Jubilationis* 7. *Augusti* 1779.. Ponderandæ tamen sunt Gradulensis Capituli circumstantiæ; nam dempto Oratore, aliisque tribus emeritis Canonicis, qui facile ejus exemplum sequerentur; ac demptis insuper Canonicis septem, qui a Choro, ut Emus refert Episcopus, legitime absunt, decenter amplius expleri non possent a reliquis tribus sacræ functiones. Ubi porro detrimentum pateretur Divinus cultus, nec merita conceditur jubilatio, veluti colligitur ex *Decretali Gregorii* IX. *in cap. cum ad hoc de Cleric. non residen.*, & respondens ad *Dubia Jubilationum* censuit Sacra Congregatio *die* 24. *Septembris* 1718. *ad* IV.

Dubium est.

An, & quomodo sit concedendum indultum jubilationis, in casu &c.

Affirmative juxta resolutiones ad Dubia Jubilationum 1718. ad IV.

Sess. 22. cap. 6. de reform.

SENOGALLIEN. ONERIS MISSARUM. Per contractum, quem vocant *a godere*, pretioque scutorum 150. quæsivit anno 1719. Franciscus Baglioni a Sacerdote Joanne ejus fratre prædiolum duarum cupparum in vocabulo *la Matura*: idque ob defectum autographæ apocæ contractus, ex antiqua constat attestatione Archivistæ Arcis Contratæ *de sibi exhibita, & in actorum codicem relata apocha supradicta*, ut refert Emus Episcopus senogalliensis; atque ex testamento ipsius Francisci acquirentis, qui ita anno 1737. tum de dicto prædiolo, cum de reliquis suis bonis disposuit: *lascia per legato dell' Anima sua, che dopo la morte del Signor D. Giovanni Baglioni suo fratello, e della Signora Venanza sua Consorte, colla sua roba che resterà, si facci celebrare una Messanella Chiesa di S. Giovanni di Monte Fortino* (quæ filialis est Parochiæ S. Apollinaris Arcis Contratæ) *tutte le feste di precetto di qualsivoglia anno durante la sudetta roba, compresoci anche il terreno, che gode il sudetto Francesco da Montefortino, a tenore della poliza di 150. scudi.*

Utroque defuncto fratre Baglioni, prædiolum illud occupavit Joseph Cenci tamquam prætensus heres Sacerdotis Joannis, vendiditque deinde Nicolao Lazzari. Sacerdos interea Franciscus Faratini, cui Rector parochialis Ecclesiæ S. Apollinaris, & executor testamentarius Francisci Baglioni, celebrationem commiserat Missarum in Ecclesia S. Joannis Montisfortini, dubiam videns ob defectum apocæ contractus *a godere* vindicationem prædioli, pro qua tamen litem instituerat, & duplicem obtinuerat sententiam, illud anno 1767. per transactionem obtinuere maluit, solutis nempe præfato Lazzari scutis 28. de proprio, & adjecta ob hujusmodi solutionem lege, quod quæsitum censeretur prædiolum sibi quoad viveret, deindeque Capellaniæ cum annuo onere aliarum Missarum quinque in die festo Sancti Joannis. En verba transactionis = *cosi per tale acquisto, e sborso fatto . . . . . ingiunge alla detta Cappella, o di lui Cappellano pro tempore l' obbligo di Messe cinque annue nella sudetta Chiesa da celebrarsi nel giorno di S. Giovanni in perpetuo, altrimenti non avrebbe fatto un simile sborso del proprio*. Ab eodem anno 1767. ad hæc usque tempora celebratæ fuerunt Missæ etiam addiræ in transactione. Autumans vero hodiernus Parochus S. Apollinaris Paulus Ferri, satis ex attestatione

ne

ne Archivistæ Arcis Contratæ constare de pertinentia prædioli ad Fundatorem Capellaniæ, ac per consequens de nullitate transactionis, additique oneris Missarum quinque, EE. Vestris supplicat pro ejusdem oneris abolitione.

Hæc habet in sua informatione Emus Episcopus. *Quod ad legatum prædictum jure dispositionis Francisci Baglioni* [*contractus justitiæ secluso examine*] *terrenum ipsum pertinere dicendum sit, non impugnatur. Sacerdos Faratini uti tale cognovit, ac fassus fuit & ipse. Considerandum potius erit, an iste in terreni recuperatione, licet proprio ære peracta, præter fructuum perceptionem, sibi naturali ejus vita durante reservatum, perpetuum valeret Missarum onus adjicere. Id sapientissimum EE. VV. judicium videtur præstolari. Hoc unum addam pro parte Oratoris, quod si legatum ipsum confirmandum foret, nil se gravatum sentiret, dummodo aliis commodioribus diebus satis eidem oneri faciendi tribueretur facultas. Deficiente siquidem in ea regionis parte Sacerdotum copia, difficillimum prorsus est, ne dicam impossibile prescriptas assignato festivitatis die Missas celebrari*; quodque heredes Faratini interesse habentes, *nullam se velle partem assumere declararunt*.

Missarum onus, de quo agitur, pendet a transactione, & hęc videri posset nulla & improvida. Nulla ab eam initam absque Beneplacito Apostolico, vel ejus saltem reservatione. Improvida, quia licet deficeret apocha acquisitionis prædioli, de ea tamen constabat ex attestatione publici Archivistæ, qui de re ad proprium officium pertinente, nempe *de sibi exhibita, & in actorum codicem relata apocha supradicta*, plenam merebatur fidem, *Spad. cons.* 187. *num.* 1. *vol.* 2., *Rot. in recen. decis.* 172. *num.* 18. *part.* 17., & *cor. Dunoz. sen. decis.* 218. *num.* 9., ac satis forsan erat ad vindicandam prædiolum in judicio, uti jam per duplicem favorabilem sententiam obtinuerat Capellanus. Corruente propterea transactionis fundamento, dubia scilicet pertinentia prædioli ad Fundatorem Capellaniæ, & ipsa corruit transactio cum adjecto Missarum onere, *Ulp. in leg.* 1. *ff. de transact.*, *Barbos. in collect. ad cap.* 7. *de transact. num.* 3., *Cancer.* 1. *part. variar. cap.* 13. *num.* 38., *& Valeron. de transact. tit.* 2. *quæst.* 1. *n.* 5. Quodcumque vero fuisset jus Capellaniæ, experiri tamen debuisset in ulteriori judicio, jamque institutæ litis

sumptus in ipsam recidissent Capellaniam. Utiliter idcirco transegisse videtur Faratinus, per *Text. in cap. finem litibus, de dol. & contumac.*, & *in leg. propemodum Cod. de judic.*, valideque imposuisset annuum onus Missarum quinque super capitali scutorum 28., quæ ad rem componendam solvit de proprio; quum quisque rei suæ sit moderator & arbiter, *leg. in re mandata* 21. *Cod. mandat.*

Si autem EE. Vestræ adimplendum censeant onus impositum a Faratino in transactione, ut ab anno 1767. adimpletum hactenus fuit, de qua decisione Orator *nil se gravatum sentiret*; deliberare insuper dignentur, num sit transferenda Missarum celebratio a festo S. Joannis ad alios commodiores dies. Transigentis profecto voluntas est præcisa, nec facile propterea commutanda videtur, ex *Sac. Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.* Animadversionem contra meretur, quod *deficiente in ea regionis parte Sacerdotum copia, difficillimum prorsus est, ne dicam impossibile præscriptas assignato festivitatis die Missas celebrari.*

Dubia sunt.

I. An sit locus abolitioni oneris Missarum quinque in festo S. Joannis in casu &c.

Et quatenus negative.

II. An & quomodo sit locus illarum celebrationi in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

NOLANA IRREGULARITATIS. Dum Diaconus Petrus Speraudeo, spiritualibus peractis exercitiis, promovendus erat ad Presbyteratum, surdam anum, alta inutilique voce monitam, mense Februario elapsi anni 1793. confregit, interemitque cisio, cujus concitatos equos continere non potuit. Eum idcirco ab ordinatione rejecit nolanus Episcopus: sed hoc ad Archiepiscopalem Sedem panormitanam translato, confectoque processu, declaratum fuit a Vicario Capitulari

lari *non sine doctorum hominum consilio homicidium casuale, utpote nulla culpa, vel dolo præfati Speranzdeo patratum, ac proinde fuit ipse per absolutoriam sententiam in forma liberatus. Verum ei injunctum fuit tenore ipsius sententiæ, ut ad cautelam pro dispensatione irregularitatis Romanum Pontificem, vel alium facultatem habentem adiret*; ut Vicarius ipse in hæc refert verba.

Adiit hinc Diaconus Presbyterum quemdam, qui sacris missionibus addictus, facultatem jactabat dispensandi ab irregularitate, ab eoque obtenta dispensatione, mense Decembris ejusdem anni 1703. facultatem ab hac Sacra Congregationè impetravit Vicario Capitulari concedendi Dimissorias pro ejus promotione ad Presbyteratum, cum assueta clausula *dummodo ab Ordinario prædecessore non fuerit rejectus*, nulla tamen facta homicidii, rejectionis Episcopi, & dispensationis mentione; atque ita ascendit ad Sacerdotium, Sacrumque nonnullis mensibus fecit. Conscientiæ vero stimulis exagitatus, imploravit mense Martio labentis anni Apostolicam dispensationem, & rehabilitationem ad exercitium Præsbyteratus; resque juxta præmissam facti seriem enarrans gestas. & suo abstinens voto, hæc Vicarius Capitularis de moribus habet Oratoris: *Quo ad mores vero, & vitam, nullam Orator patitur exceptionem. Semper enim bene se gessit, nulloque, si hoc excipiatur homicidium, vel levi crimine suam famam maculavit, nullumque de se unquam scandalum præbuit.*

Triplici ex capite videtur Orator irregularis; ex homicidio nempe, ascensu ad Præsbyteratum in statu irregulari, & cum subreptitiis dimissorialibus, ejusdem Ordinis administratione. Quamvis porro operam daret Orator rei licitæ utendo in proprium commodum cisio; ex hoc tamen fortasse fuit in culpa, quod citatim ageret equos, eosque propterea ad liberandam anum continere non potuit. Contrahitur autem irregularitas per homicidium etiam præter intentionem commissum, ubi culpa præcessit casum, *Fagnan. in lib. 5. Decretal. cap. si constiterit num. 38. de accusat.* Ascendit insuper Orator ad Præsbyteratum in statu irregulari; nam Missionarius, a quo dispensationem obtinuit, si legitimam habebat dispensandi facultatem, eam tantum habere poterat a Sacra Pœnitentiaria quo ad irregularitatem

oc-

occultam ; quodque magis est , ad eum ascendit Ordinem cum dimissoriis subreptitiis , ob reticitum in hac Sacra Congregatione homicidium , & rejectionem Episcopi ab ordinatione , & ob ipsas extortas dimissorias a Vicario Capitulari , cui concedendi facultas a S. C. permissa fuit sub conditione *dummodo ab Ordinario prædecessore non fuerit rejectus*. Per hujusmodi enim illicitū ascensū ad Sacerdotium in simplicem incidisse videretur suspensionem ex *Sac. Conc. Trident. sess.* 23. *cap.* 3. *de reformat.* , sed *dicitur Ordines ministrare , qui dum est Subdiaconus ascendit ad Diaconatum , vel dum est Diaconus ad Presbyteratum , & ex isto solo ascensu fit irregularis tanquam Ordinum administrator* , ut inquit *Grass. de effect. clericat. effect.* 1. *num.* 529. , ac docet *Card. Petr. ad Constit. VII. Pii II. num.* 48. *tom.* 5. Ac reipsa tandem in accepto Presbyteratus Ordine plures per menses ministravit, novamque propterea irregularitatem contraxit , secundum *Grass. & Petr. loc. cit.*

Deliberandum itaque de ejus dispensatione, & rehabilitatione . Gratiam profecto retardare posset culpabile homicidium , petita a simplici Sacerdote dispensatio publicæ irregularitatis , a qua unus dispensare potest Summus Pontifex ex *cap. veniens , cap. cum lata , & cap. innotuit nobis , de eo qui furt. ordin. suscept.* , subreptitie insuper extortæ dimissoriales , & diuturna Presbyteratus administratio . Vacavit altera ex parte Orator dolo & culpa in commisso homicidio, dum in surda monenda anu vocem, viresque in frænandis equis adhibuit , ne illam contereret , Vicario Capitulari teste . Absolutus præterea fuit *in forma* , & nullam in moribus patitur exceptionem . Ut idem enim refert Vicarius , *semper bene se gessit , nulloque , si hoc excipiatur homicidium , vel levi crimine suam famam maculavit , nullumque de se unquam scandalum præbuit* . Hæc omnia mereri possent veniam Oratori jam ad Presbyteratum promoto , juxta *Hostien. in cap. sicut de homicid.*

Quæritur itaque .

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione , & rehabilitatione in casu &c.

INDEX

RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1794.

A

ADminiſtratio bonorum capellaniæ Brunelli, & Perioni, quam Sac. Congregatio occaſionaliter de anno 1732. conceſſit Capellano, reſtituitur Sodalitio Fabrorum lignariorum Urbis Veteris heredi juxta votum Emi Episcopi, cum obligatione ſcilicet ſolvendi eidem Capellano annua ſcuta 22. ad formam teſtamenti; & impoſito utrique reſpectivo onere reddendi quotannis Episcopo rationem adminiſtrationis, & celebrationis Miſſarum, *in Urbevetana Adminiſtrationis* 20. *Septembris pag.* 255.

Alienata domo capellaniæ Tibaldeschi favore illorum de Prætarolis, refignanda eſſe decernitur pro illius pretio ſcutorum 650. tot loca MM. cameralium, quot currenti pretio eam æquent ſummam, *in Aſculana* 20. *Septembris pag.* 239.

B

BAptiſmum collatum puero per apertum oſtium in utero matris, ob incertum aquæ tactum iterandum decernitur ſub conditione *in Sutrina Baptiſmi* 12. *Julii pag.* 165.

C

CAnonicatus adminiſtratio, atque ætatis diſpenſatio denegatur puerulo annorum ſeptem Philippo Vincentio Sanſilveſtri nominato a Com. Philippo Caracci patrono, quum ex lege fundationis habilis eſſe debeat nominatus ad intereſſendum quotidie Capitulo, Eccleſiæ, & Choro, *in Nullius Guaſtallæ Canonicatus* 31. *Maii pag.* 122.

Canonicatum potius, quem in ſecundo inſtituit teſtamento Sacerdos Joseph Porfiri tum ex ſua bonorum portione, cum ex altera prædefuncti Sacerdotis Joannis ejus fratris, quam ſimplicem capellaniam ab utroque fratre inſtitutam in primo teſtamento, erigendum eſſe decernitur. Ob libertatem enim, quam de jure habebat Joseph, revocandi quo ad ſe primam diſpoſitionem, difficilis evaſerat erectio capellaniæ ex tenui portione Joannis: eademque in utraque inſtitutione præſcripta erant Sacrificia, *in Nucerina Commutationis Voluntatis, & Tranſactionis* 5. *Aprilis pag.* 68. *ad I. Dub.*

Et approbatur tranſactio, per quam ceſſit Joseph Nosocomio S. Antonii Abbatis oppidi Saxiferrati domum ei legatam in primo teſtamento, licet ad ſe pro medietate pertineret; cum onere tamen præſtandi deſignatam habitationem Canonico pro tempore, præter annuam celebrationem Miſſarum viginti in eodem teſtamento præſcriptam: & impoſita viciſſim primo Canonico obligatione ſolvendi ex hereditate ſcuta 50., favore Nosocomii inveſtienda, *ibid. ad II.*

Canonico coadjutori metropolitanæ Eccleſiæ Urbini conceditur ex gratia facultas ſubſtituendi alterum Canonicum ad ſervitium chori, attentis peculiaribus circumſtantiis, de quibus in Folio, & juxta votum urbinatenſis Archiepiſcopi, duabus nempe vicibus ex intervallo per quindecim dies continuos ſingulis annis, *in Urbinaten. Servitii Chori* 12. *Julii pag.* 155.

Canonico Collegiatæ Anguillariæ, qui ex fundatione de Paulis celebrare tenetur menſtruas Miſſas 15., computata hebdomada obligata, ſeu Miſſa conventuali, quæ fundationis tempore erat quotidiana per turnum, præſcribitur illarum celebratio juxta decretum Epiſcopi, tot nempe ex Miſſis 15. deductis, quot nunc in hebdomada ob reductionem conventualis ad dies feſtos applicari debent pro Benefactoribus, *Sutrina Miſſarum* 22. *Novembris pag.* 274.

Canonicis Collegiatæ S. Nicolai Civitatis de Alicante, qui tenues habent præbendas, & ſub inſalubri ſunt cœlo, conceditur vacationum extenſio a bimeſtre ad trimeſtre in *Oriolen.* 6. *Decembris pag.* 287.

Capellaniæ inſtitutæ a Jacobo ſen. Bracci in Eccleſia cathedrali Montis Politiani aſſignandum eſſe præſcribitur fundum ſcutorum 2000. ad formam ejus teſtamenti: nam præter detractiones legitimæ & trebellianicæ ei competentes ex allegato per ipſius ſucceſſores fideicommiſſo

missio Octavii Sen., eam reliquit summam in libera hereditate, *Montis Politiani Capellaniæ* 20. *Maii pag.*85. *ad I. Dub.*

Ideoque denegatur etiam Missarum reductio, *ibid. ad II.*

Capellaniæ laicalis retentio in statu conjugali denegatur Francisco Catrani passive vocato in concursu Sacerdotis Petri ejus fratris, *Civitatis Castelli Capellaniæ* 22. *Novembris pag.* 264. *ad I. Dub.*

Ac denegatur etiam prætensa circumscriptio possessionis ejusdem Capellaniæ, in quam missus fuit Sacerdos Petrus absque citatione Francisci post contractum ab eo matrimonium, *ibidem ad II.*

Capellaniam instituram ab Antonio Persi in Ecclesia cathedrali reatina erigendam esse decernitur intra brevem terminum ab Episcopo præfiniendum, *in Reatina Capellaniæ* 8. *Februarii pag.*24. *ad I. Dub.*

Eaque, ad exclusionem Sacerdotis extranei per reatinum Capitulum nominati, confertur clerico Nicolao Fortunati Fundatricis consanguineo in titulum patrimonii sacri, *ibid. ad II.*

Capellano Sodalitii S. Crucis de Brixichella augendum rescribitur tenue stipendium per Montem Pietatis ejusdem oppidi, cui tanquam heredi onus imposuit Dianora a Monteveteri manutenendi in Ecclesia dicti Sodalitii *unum Capellanum*, remissa ad Episcopum Faventinum taxatione summæ, *in Faventina Capellaniæ* 21. *Junii pag.*144.

Vid. Administratio. Seminarium.

Capitulo Segoviensi permittitur cantus nonæ, vesperarum, & completorii hora pomeridiana tertia, & dimidia a die 3. Maii ad totam cujusque anni diem 14.Septembris, quum præ nimio regionis calore gravis incommodi esset Canonicis eas horas canere juxta consuetudinem hora pomeridiana secunda & dimidia, *in Segovien.* 8. *Februarii pag.* 23.

Capitulo vero insignis Collegiatæ S. Joannis Baptistæ sub titulo Baptisterii Parmæ, cui ad restituendum servitium Chori auctæ sunt distributiones ex donatione Alexandri Piazza, denegatur indultum recitandi matutinum post vesperas, & completorium præcedentis diei, quod ob frigiditatem Ecclesiæ hiberno tempore postulabat, *in Parmen.* 31. *Maii pag.* 111.

Clausuram PP. Conventualium Ferentini comprehendere declaratur hortum, quem vocant *frigidum*, intra septa Cœnobii existentem, non obstante contraria consuetudine, *in Ferentina Visitationis Sac. Liminum* 5. *Aprilis pag.* 67.

D

DOS scutorum 400. ex subsidiis Salvatoris Scandelloni, concessa nobili puellæ Flaminiæ Giorgi proximiori Testatoris consanguineæ, augetur in aliis scutis 400, ad rationem duorum subsidiorum quolibet anno, & dummodo nubat in Domino, *Veliterna Subsidiorum Dotalium* 8. *Februarii pag.*33.

Dos scutorum 700. pro qualibet conceditur tribus filiabus Comitissæ Mariæ Franciscæ de Rubeis Stella ex medietate subsidiorum Paganini liberæ collationis heredum, satisfactis prius alimentis, vitalitiis, aliisque dotium cumulis jampridem concessis; servata altera medietate de collatione Archiconfraternitatis SS. Annuntiatæ Urbis, *in Romana, seu Auximana Subsidiorum Dotalium* 15. *Martii pag.* 44.

Per rescriptum vero *habebitur ratio suis loco & tempore* differtur gratia alimentorum, & subsidii dotalis pauperiori puellæ consanguineæ annorum trium Mariæ Theresiæ de Rubeis, cujus avus menstrua habet scuta 4. in causam alimentorum ex dotalibus subsidiis Paganini, *Romana Alimentorum, & Subsidii Dotalis* 15. *Martii pag.* 44.

Dotale subsidium scutorum 25., relictum a Matthæo Consegli, quotannis conferendum præscribitur per Josephum Todini heredem ad formam testamenti, pauperiori nempe puellæ consanguineæ Arcis Nulphæ; & juxta votum Episcopi, intimato scilicet quolibet anno puellarum concursu ad valvas Ecclesiæ, *in Spoletana Subsidii Dotalis* 8. *Februarii pag.* 27. *ad I. Dub.*

Conferenda pariter esse subsidia ob defectum concurrentium non collata a condito testamento, ab anno nempe 1788., quæ sibi retinere contendebat heres tanquam caduca; comprehensis in earum collatione consanguineis nuptis post obitum Testatoris absque scientia legati, *ibid. ad II.*

Itemque futura pro iis annis, in quibus nulla erit nubilis consanguinea, vel dotem non petierit, denegata heredi eorumdem applicatione, *ibid. ad III.*

Haud vero conferenda puellis extraneis in defectum consanguinearum, ut postulabat Communitas Arcis Nulphæ, *ibid. ad IV.*

Dotale subsidium scutorum viginti relictum per Sacerdotem Silvestrum Luciani Margaritæ Bernetti ex familia non indigente, quod augeri postulabat legataria ad scuta biscentum ex aliis piis legalis ejusdem Testatoris, ut nuberet in Domino, in summa tantum decernitur legata, *in Firmana Subsidii Dotalis* 15. *Martii pag.* 43.

Dotalia subsidia relicta a Bartholomæo Lupardi sub administratione Archiconfraternitatis Sac. Stigmatum Urbis conceduntur Mariæ Barbaræ, & Mariæ Metildi Paparozzi pauperibus consanguineis Testatoris juxta votum Emi Protectoris dictæ Archiconfraternitatis, in summa nempe scutorum 300. pro qualibet, *in Romana Dotium* 31. *Maii pag.* 120.

Dotalia in subsidia erogandos esse decernitur fructus capitalis superlucrati per Sodales S. Apolloniæ Urbis ex investimento promissarum dotium, redintegrato prius ex eodem capi-

capituli fundo legati Egidj, qui decrevit in duobus Locis MM.. & deductis ex ejus fructibus expensis Sodalitii pro administratione bonorum, nec non celebrato quotannis Anniversario pro Fundatoribus, & Benefactoribus, *in Romana Subsidiorum Dotalium* 31. *Maii pag.* 126. *ad I. Dub.*

Distributionem vero dd. subsidiorum faciendam esse juxta respectivas fundationes, ad quas pertinebant dotes investitæ, pro rata scilicet fructuum capitalium ad unumquodque legatum respective pertinentium, *ibidem ad II.*

Et consulendum rescribitur SSmo pro absolutione ob factum per Sodales novum investimentum absque licentia, & in proprium creditum, *ibid. ad III.*

Dotalia subsidia legata per magnum olim Hieroso!ymitanæ Religionis Priorem Hipolytum Malaspina Monasterio S. Mariæ Magdalenæ melitensis Diœcesis pro meretricibus pœnilentibus, concedenda esse postulabant piæ fundationis Œconomi per Ordinarium ad summam necessariam pro monacatione meretricum, per illorum nempe cumulum, ut quandoque factum est Apostolica auctoritate. At Sacra Congregatio rescripsit: *recurrant in casibus particularibus, in Melevitana Subsidiorum Dotalium* 16. *Augusti pag.* 188. *ad I. Dub.*

In defectum vero meretricum concedendum esse rescribitur d. legatum Malaspina, aliudque simile Equitis Antonii Emmanuelis de Torres simplicibus stupratis: & legatum ejusdem naturæ relictum a Maria Fioccari extenditur in specie ad Olimpiam Perotta, Pasquam Attard, & Theresiam di Giorgi simplices stupratas, *ibid. ad II. & III.*

Dotalium subsidiorum de Dominis cumulus conceditur Theodoræ Monetti, Testatoris consanguineæ, in scutis 150. excomputandis cum debito ejus patris, *in Nullius Terræ Pontiani Subsidiorum Dotalium* 16. *Augusti pag.* 229. *ad I. Dub.*

Nazzariæ item Bonetti in aliis scutis 150. ut supra excomputandis, *ibid. ad III.*

In majori vero conceditur summa scutorum 200 Angelæ Arcangeli ob merita ejus familiæ erga pium opus, *ibid ad II.*

Dotis unius annuæ cumulus ex dotalibus subsidiis relictis sub administratione Archiconfraternitatis SS. Annuntiatæ Urbis per Cardinalem Benedictum Justiniani, conceditur ad summam scutorum 600. Annæ Mariæ Justiniani Fundatoris consanguineæ, ut religiosum assumat habitum in Monasterio S. Silvestri de capite, licet ad ea subsidia vocatæ sint in genere pauperes puellæ nubentes in Domino, *Romana Subsidiorum Dotalium* 12. *Julii pag.* 159.

Dotes annuæ sex, totidem scutorum pro qualibet, per heredes Francisci Viarana non collatæ ad numerum 83., & in hanc tandem collationis causam solutæ in manibus Parochi S. Jacobi Mariari superioris, applicantur parochiali Ecclesiæ in manutentionem ejus fabricæ, & sacræ supellectilis; non item summa eodem modo soluta pro Missis 3022. non celebratis, *in Novarien.* 8. *Februarii pag.* 43. *ad I. Dub.*

Et consulitur SSmo pro absolutione dd. heredum ab utraque omissione, per solutionem purgata, *ibid. ad II.*

E

Emphyteusis bonorum Sodalitii SS. Salvatoris Montis Ulmi deliberata Joanni Philippo Bartolazzi cum hortis & promptuario, in rescriptis Sac. Congregationis comprehensis, licet in edicto non expressis, confirmatur; neglectis majoribus oblationibus datis post expeditas ab illo Literas Apostolicas, in quibus reservatum est jus vigesimæ, & sextæ, *Firmana Emphyteusis* 10. *Maii pag.* 86.

Emphyteusis bonorum Nosocomii ripani deliberatur, salvo jure vigesimæ & sextæ, Com. Vincentio Recchi, qui major in termino edictorum fuit oblator, non attenta ampliori oblatione data extra terminum, & pendente lite per Antonium Boccabianca, *in Ripana Emphyteusis* 31. *Maii pag.* 111.

I

Irregularitas contracta per homicidium voluntarium remittitur post decennium Sacerdoti Philippo Magliocchini, expletis jam spiritualibus exercitiis, loco pœnæ præscriptis, *in Anglonen. & Tursien. Irregularitatis* 25. *Januarii pag.* 5.

Irregularitas facti contracta per suspicionem homicidii, remittitur post undecim annos Clerico Josepho Belzoppi, licet dimisso cum obligatione de se repræsentando, deindeque absoluto ob non repertum culpabilem, *in Feretrana Irregularitatis* 5. *Aprilis pag.* 68.

Ac demandatur executio Brevis Apostolici desuper expediti, quam Feretranus Episcopus ob non comprobata exposita denegavit; exhibitis tamen eidem Episcopo documentis, de quibus in novis precibus, exposita comprobantibus, *ead.* 22. *Novembris pag.* 276.

Irregularitatis dispensatio iterum denegatur Sacerdoti Jo. Baptistæ Piccinelli, qui homicidium a quatriennio commisit ad vindicandas contumelias & verbera, quibus Joannes Micheli affecerat illius Sororem, *in Bergomen. Irregularitatis* 21. *Junii pag.* 113.

Et denegatur etiam Clerico Matthæo Rossi, a quo igneam accepit balistulam, & homicidium commisit ejus Frater, *Faventina Irregularitatis* 22. *Novembris pag.* 273.

Jubilationis indultum elargitur Archangelo Pellegrini Canonico Collegiatæ Gradulensis ob laudabile quadragenarium servitium Chori, juxta resoluliones tamen ad Dubia Jubilationum anni 1718. ad IV. Dub., dummodo nemo

pe detrimentum non patiatur Divinus cultus. *Montis Falisci Jubilationis 6. Decembris pagin.* 295.

Juspatronatus capellaniæ erectæ in Ecclesia S. Sebastiani oppidi Lupiani conceditur Marchioni Borbon del Monte ob desponsam illius Ecclesiæ reparationem, sub lege tamen præsentandi tres Sacerdotes Episcopo, ad quem pertinebat deputatio Capellani, *Civitatis Castelli Capellania 16. Augusti pag.*234.

Vid. Canonicatus.

L

Legatum annuum pauperibus ariminensibus relictum a Marco Antonio Gisgoni, quod per rescriptum 17. Januarii 1789. denegatum fuit pro integro esse hereditatis legato Lucæ, Mariano, Nicolao, & Gertrudi de Alexandris, duodecimo gradu Testatori conjunctis, denegatur etiam pro triente, quem tantum Innocentius XII., commutata Testatoris voluntate, addixit pauperibus, *in Urbinaten. seu Ariminen. 5. Aprilis pag.*67. *ad I. Dub.*

Præter annuum tamen assignamentum, quod præfati de Alexandris obtinuerunt per rescripta Sac. Congregationis ex dicto legato pauperum, conceditur cuilibet ex quatuor filiabus Lucæ annua summa scutorum novem ex subsidiis dotalibus, pro quibus Innocentius XII. alium assignavit trientem, reliqua addicta hereditatis parte Hospitali Misericordiæ Ariminì, *ibid. ad II.*

Legatum cibariorum relictum per Hyacinthum Carosi PP. Cappuccinis Auximi in die celebrationis duplicis annui officii, consistentis in applicatione Missarum, orationum, piorumque operum Sacerdotum, & Laicorum, præstandum esse rescribitur ad taxam Cardinalis Lanfredini, Auximani olim Episcopi, in scutis nempe tribus pro quolibet officio, *in Auximana Legati 12. Julii pag.*171.

Legati pii acceptatio stipulata a Parocho, aliisque Patribus Scholarum Piarum Collegii Lugi de licentia eorum Provincialis cum promissione evictionis fundi, sustinetur; rejecta oblatione dimittendi capitale, fructus, & onera in manibus heredis, *in Imolen. Legati Pii 20. Septembris pag.*244. *ad I. Dub.*

Ideoque futurum adimplementum onerum, onusque investiendi ratam capitalis scutorum 300., in otioso deposito existentem pro summa scutorum 230., in eosdem reiiciuntur Patres, *ibid. ad II. & III.*

Damnantur item Religiosi ad refundendos fructus dd. scutorum 230. ob non factum pluribus abhinc annis investimentum, ab illorum nempe restitutione in extinctionibus censuum, & ad taxam legalem, *ibid. ad IV.*

Nec non ad implenda quo ad præteritum onera ex fructibus depositis, & refundendis, nonnullis detractis expensis, in summa liquidanda ab Emo Episcopo, *ibid. ad V.*

Legatum. Vid. Dos.

M

Mansionaria cathedralis Ecclesiæ Eugubii addicitur Sacerdoti Cajetano Paffi ejusdem Cathedralis Parocho, qui majorem habuit suffragiorum numerum in primo Capituli scrutinio, licet ob unius suffragii exuberantiam vitioso, rejecto clerico Joanne Baptista Macconi, qui eum vicit in secundo scrutinio; sed ob protestationem Paffii, & ob non latum a quibusdam canonicis suffragium, æque vitioso, *Eugubina Mansionariæ 5. Aprilis, & 20. Septembris pag.*75. & 243.

Matrimonium ab octennio contractum inter Joannem Mattei, & Nicolaam Ruiti, ob cognitam per peritos aliqualem unius potentiam, dubiamque alterius virginitatem, declaratur validum *in Camerinen. Matrimonii 20. Septembris pag.* 239.

Matrimonii rati, & non consumati dispensationem, quæ denegata fuit die 15. Decembris 1792., prævio recessu a decisis, concedendam esse rescribitur Angelæ Timoni ex novis, & concludentibus non consumationis probationibus *in Chien. Matrimonii 21. Junii, & 16. Augusti pag.* 133. & 228.

Matrimonio rato, & non consumato, per dispensationem Apostolicam dissoluto inter Marchionem Paulum Spinula, qui sui corporis recognitionem non permisit, & Marchionissam Mariam Brignole, secundas Marchio a sexennio contraxit nuptias cum Marchionissa Maria Hieronyma Mari. At post expletam de mandato Sac. Congregationis recognitione utriusque conjugis in Urbe, cognitaque absoluta Marchionis impotentia, & intacta Marchionissæ virginitate, secundum matrimonium declaratur irritum *in Januen. Matrimonii 25. Januarii, & 15. Martii pag.*2. & 46.

Media annata debetur Ecclesiæ Cathedrali Nepesinæ per Archipresbyterum Andora, Canonicum Biondi, & Beneficiatum Pangalozzi Ecclesiæ S. Sebastiani oppidi Flaviani, juxta assumptam per eos obligationem, licet nunquam ab edita Constitutione *Pius & Misericors* Benedicti XIII. soluta, *in Nepesina Mediæ Annatæ 16. Augusti pag.*233.

Mediam annatam, debitam Cathedrali reatinæ ex rescriptis Sacræ Congregationis 12. Maii 1770., & 16. Maii 1789., præstandam esse decernitur ad formam Constitutionis Benedictinæ, & resolutionis Sacræ Congregationis in Tyburtina Mediæ Annatæ 4. Maii 1754., detractis nempe ex reditu Parochialium oneribus realibus, non item personalibus, *in Reatina Mediæ Annatæ 10. Maii pag.* 90.

Missa Conventualis, quæ ex consuetudine celebratur per Archipresbyterum, & Beneficiatos

receptitiæ Ecclesiæ Casalis Novi Cassanen. Diœcesis, ob tenuitatem Beneficiorum reducitur ad dies festos per turnum, in *Cassanen. Missæ Conventualis, & Pro Populo* 22. *Novembris ad I. Dub. pag.* 263.

Missa vero parochialis servatur ad formam Constitutionis san.mem.Benedicti XIV. Cum semper, *ibid. ad II.*

Sed consulitur SSmo pro absolutione Archipresbyteri a præterita omissione, *ibid. ad III.*

Missæ quotidianæ translatio ab Ecclesia Oblatorum Novariæ ad alteram S. Lupi castri Caltiniacæ denegatur in proprium præsertim commodum condominis ejusdem castri *in Novarien. Translationis, & Reductionis Missarum* 25. *Januarii pag.* 1. *ad I. Dub.* Ac denegatur etiam ejusdem Missæ reductio ob injunctum in testamento onus assignandi capitalia sufficientia pro illius celebratione, *ibid. ad II.*

Missæ quotidianæ, & trium officiorum SS. Annuntiatæ, S. Antonii patavini, & S. Josephi, quæ per annos 145. celebrari fecerunt heredes Felicis Valcherano, denegatur reductio ex antiquiori fideicommisso Joannis Philippi Valcherani, de cujus bonis præcise non constat: maxime quia libera etiam Felicis hereditas par est oneribus, *Forosempronien. Reductionis Missarum* 5. *Aprilis pag.* 69.

Missæ antelucanæ translatio a sacra Baptisterii ædicula sub titulo S. Joannis Baptistæ ad Altare eidem Sancto dicatum in proxima Cathedrali astensi, quam ob noxium d. Ædiculæ auram, & scandala obtinuerunt Capellani beneficiati ejusdem Cathedralis *ad quatuor menses hiemales tantum*, extenditur favore holierni Capellani Bossola, ejusque successorum ad reliquum anni tempus *in Asien. Translationis Missæ* 31. *Maii pag.* 117.

Missæ annuæ quindecim per centum fere annos, licet cum intermissione celebratæ ex legato Victoriæ Onofrj, de quo ex domesticis constat commentariis familiæ Barlesi, quo ad futurum etiam servantur. Sed ob gravem paupertatem Mariæ Barlesi, ejusque sex filiorum suspenditur illarum celebratio ad decennium, celebrata quotannis unica Missa, *in Camerinen. Abolitionis Legati Missarum, & Absolutionis* 25. *Januarii pag.* 1. *ad I. Dub.* Ejusdemque paupertatis ratione consulitur SSmo pro absolutione quo ad præteritum, celebratis Missis decem pro unica vice, *ibid. ad II.*

Missæ hebdomadales quatuor, quibus gravantur Canonici Collegiatæ S. Uldarici Placentiæ ex fundatione Crollalanza, ob imminutum reditum, auctamque eleemosynam reducuntur juxta votum Episcopi, ad tot nempe annuas Missas, quot celebrari poterunt cum præsenti eleemosyna manuali ex scutis 18. 06., primitus per Fundatorem assignatis pro illarum stipendio, cum obligatione tamen celebrandi singulis diebus festis, *in Placentina Reductionis Missarum* 8. *Februarii pag.* 23.

Missæ annuæ circiter 7000., quibus gravatur Capitulum Cathedralis Emporiarum in Sardinia, licet semel ex rescripto Sac. Congregationis reductæ, iterum ob tenuitatem eleemosynæ reducuntur ad obolos 12. pro qualibet *in Ampurien. seu Emporien. Reductionis Missarum* 5. *Aprilis pag.* 68. *ad I. Dub.* Et absolvendos esse decernitur Canonicos a præterita omissione Missarum 3000. & amplius, tot celebratis Anniversariis, quot singulis respondeant Missis 50. juxta votum Episcopi, *ibid. ad II.*

Missæ hebdomadales quatuor, & altera cum cantu in festo S. Nicolai de Tolentino, quibus gravatur Franciscus Manildi ex testamento Bartholomæi ejus patris, ob gravem illius paupertatem suspenduntur ad decennium, impositio aliquo pio onere per modum suffragii arbitrio Episcopi, licet scienter alienaverit bona celebrationi obligata, *in Derthonen. Commutationis Voluntatis* 10. *Maii pag.* 93. *ad I. Dub.* Et quo ad præteritam omissionem consulitur SSmo pro absolutione, imposito aliquo pio onere pro unica vice per modum suffragii arbitrio Episcopi, *ibid. ad II.*

Missæ ultra debitum celebratæ per Collegium Beneficiatorum Cathedralis ferrarienſis ex legato Sacerdotis Bernardini Zecchini, compensantur juxta votum Emi Archiepiscopi cum Missis currentibus, *in Ferrarien. Missarum* 10. *Maii pag.* 97. *ad I. Dub.* Quod vero respondet Missis ultra debitum celebratis, & quotannis superierit futuræ celebrationi, applicatur Sacrario Collegii, peculiaribus reditibus destituto, *ibid. ad II.* Annuas autem Missas 157. taxatas a Ferrarienſi olim Archiepiscopo de Verme, detractis ad formam testamenti diebus tunc impeditis, minuendas non esse decernitur ob concessionem novorum officiorum sub ritu duplici, vel elevationem festorum a ritu semiduplici ad duplicem, *ibid. ad III.*

Missæ menstruæ sex, legatæ per Sacerdotem Franciscum de Villaggis Capitulo Collegiatæ Castri Arquaci, transferuntur renuente Capitulo ad Oratorium Conservatorii pauperum puellarum, quod erigere pollicetur in eodem Castro Sacerdos Joannes Dominicus Guarnieri Villaggi, Collegiatæ Archipresbyter, & ultimus possessor bonorum Testatoris; & commutatur in duas Missas lectas Anniversarium ab eodem Testatore præscriptum, sequuta tamen erectione Conservatorii, *in Placentina Commutationis, & Translationis Onerum* 21. *Junii pag.* 135.

Missæ celebrandæ per Canonicos Collegiatæ S. Blasii Civitatis Centi ex reditibus hereditatis Biagini ad rationem obolorum 20. pro qualibet, ob magis rigidum servitium Chori a Testatore præscriptum, licet cum distributionum augmento, & ob auctam in dicta Civitate Missarum eleemosynam, reducuntur ad taxam obolorum 30. lucran. in casu etiam infirmitatis, dummodo celebrent per alium, nec non recitato bis quolibet mense nocturno De-

functorum pro animâ Benefactoris, *in Bononien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii p.* 139.

Missarum reductio denegatur Annuntiatæ Cesaretti, Joannis Caroli Innocentii fundatoris consanguineæ, quæ licet gravata filiis octo, liberum tamen habet capitale scutorum 2270. ex illius hereditate, & annua ex fundis capellaniæ superlucratur scuta 204. Et denegatur etiam illarum reductio a tribus quotidianis ad unam antelucanam juxta votum Emi Episcopi *in Veliterna Reductionis Onerum* 8. *Februarii pag.* 24.

Capitaneo pariter Carolo Nanni Seta, qui possidet bona celebrationi Missarum obligata, licet summa demonstrative præfinita impar sit oneri, *in Fanen. Reductionis Missarum* 10. *Maii pag.* 102. *ad I. Dub.* Eique neque permittitur illarum translatio ab Ecclesia B. M. Virginis de Subsidio Montis Majoris ad Ecclesiam Collegiatam, vel alteram S. Francisci Montavii, ubi dicit canonicus Ignatius Nanni Seta ad celebrationem paratus; quum per supplementum eleemosynæ ex bonis obligatis celebrari valeant in Ecclesia designata, *ibid. ad II.*

Filiis rursus, & nepotibus Josephi Hyacinthi Marazzotti, licet pauperibus; quum præter defectum inventarii bonorum hereditariorum Juliani Bonini fundatoris, annuum ex hereditate habeant reditum oneri parem, *in Maceraten. Reductionis Missarum* 12. *Julii pag.* 163.

Iterumque Marchioni Aloysio Dosi, cui tres ex quatuor quotidianis Missis incumbunt ex contractu, & fundum ceteroquin possidet omnibus superiorem, *in Apuana Reductionis Missarum* 20. *Septembris pag.* 252.

Et Aloysio tandem Mastini Canonico Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Barbarani, qui Canonicatum accepit cum præsenti, nec tenui reditu, *Viterbien. Reductionis Missarum* 6. *Decembris pag.* 283.

Missarum suspensio ob deficientes reditus Fabricæ, tenuesque Capitularium reditus conceditur Capitulo S. Joannis Evangelistæ Placentiæ ad effectum reædificandi illius Ecclesiam juxta votum Episcopi placentini, ad annos scilicet novem cum dimidio, sub lege tamen celebrandi in perpetuum gratis Anniversarium pro iis omnibus, quorum suspenduntur suffragia, additaque conditione dummodo inveniatur redemptor operis æstimati in scutis 6500., *in Placentina Suspensionis Onerum* 22. *Novembris pag.* 268.

Missas hebdomadales duas, institutas per conjuges Franciscum, & Margaritam Polini favore pauperioris Clerici oppidi Caraffai, deindeque reductas per superstitem uxorem, quæ nonnulla alienavit prædia obligata, celebrandas esse decernitur ad formam fundationis *in Firmana Reductionis Missarum* 12. *Julii pag.* 155.

Missas celebrandas per Capitulum Ecclesiense ex contractu, deducendas esse declaratur juxta votum Emi Antonelli Relatoris, nempe ex tertia parte reditum ejusdem Capituli, attributa per rescriptum anni 1786. piis legatis, *in Ecclesien.* 16. *Augusti pag.* 188. *ad I. Dub.*

Conceditur item Episcopo Ecclesiensi facultas suspendendi celebrationem Missarum in frequentibus extinctionibus censuum, juxta votum pariter Emi Relatoris, videlicet si agatur de fundationibus, quæ taxatum habeant pro qualibet Missa fundum, ac dotem; si reditus vel defecerint, vel ita sint imminuti, ut non sufficiant ad eleemosynam manualem, vel non sit heres, vel alius, qui debeat fructus supplere, *ibid. ad II.*

Reditus insuper beneficiorum Sacristæ, Diaconi, & Subdiaconi, quorum officia sunt in usu, addicuntur celebrationi Missarum juxta votum Emi Relatoris, ita nempe, ut servata proportione ad numerum Missarum in fundatione præscriptum, serventur beneficia etiam quo ad officia, quamvis reducta. Reditus vero officiorum Magistri chori, & cæremoniarum, quæ absoleverunt, erogandos omnino esse decernitur in celebrationem Missarum, *ibid. ad III.*

Et reliqua tandem Dubia a IV. ad IX. resolvuntur juxta votum Emi Relatoris. Ad IV. nempe denegatur Episcopo facultas alienandi census Capituli absque necessitate, & venia Sac. Congregationis, licet ad erogandum pretium in stabilia. Ad V. augetur ob tenuitatem eleemosyna Missarum legati Olargia ab hispanico regali uno ad unum cum dimidio. Ad VI. reductionem Missarum solemnium, & Anniversariorum ad Missas lectas, concessam anno 1786., intelligendam esse declaratur, dummodo non sufficiant cujusque fundationis reditus uni, vel pluribus Missis cum cantu. Ad VII. approbatur assignatio fundi per Episcopum facta cuilibet legato, servata proportione ad numerum Missarum, pro quarum reductione tributa ei fuerat facultas anno 1786. Ad VIII. sub diversis conditionibus conceditur Vicario Generali, absente Episcopo, & Capitulari, eo defuncto, facultas suspendendi Missas in casu quod minuantur fructus censuum, vel extraordinariæ urgeant expensæ. Ad IX. sustinendam esse decernitur deletionem quorumdam legatorum factam ab Episcopo ex rescripto anni 1786.

O

OPeris pii Raffanelli fundus constituitur in integra summa scutorum 4618. 50. monetæ romanæ, quam Sodalitium SS. Nominis Jesu, erectum in Ecclesia S. Joannis Decollati Parmæ, uti substitutum ad hereditatem Fundatoris, per transactionem exegit pro hereditario capitali, ejusque fructibus; nec non in scutis 361. 50. fructuum superextantium ad totum annum 1793., ex quibus ob defectum Sacerdotum tot celebrari nequeunt Missæ; detractis

tractu tamen omnibus expensis litis actæ pro vindicanda hereditate in scutis 190. 50., *Parmen. Reductionis Onerum 16. Augusti pag. 187. ad I. II. & III. Dub.*

Et firmis remanentibus in futurum tribus Missis quotidianis, & annuis officiis quatuor pro Defunctis cum Sacerdotibus triginta ad formam testamenti, reducuntur functiones majoris hebdomadæ tantum, *ibid. ad IV.*

Obligationem vero adimplendi onera incipere debere declaratur a Kalendis Januarii currentis anni, *ibid. ad V.*

Atque consulendum rescribitur SSmo pro absolutione Sodalium ob depositos fructus destinatos celebrationi Missarum, & Anniversariorum, *ibid. ad VI.*

Ordo Subdiaconatus, quem Joseph Bartholomæus Claudius Monicault accepisse querebatur per metum parentum, & patrui, sed iis absentibus accepit, declaratur validus, & obligatorius ad votum continentiæ *in Valentien. Ordinis Subdiaconatus 31. Maii pag. 112. ad I. Dub.* Et denegandam esse rescribitur dispensationem ab eodem voto, *ibid. ad II.*

P

PArochia erecta ex dispositione Tiberii Cruciani in suburbana Recineti regione *di moglie vecchia*, adicitur Sacerdoti Josepho Brandoni, nominato a Dominico de Turri, inter patronos natu majore, cui Summus Pontifex facultatem tribuit nominandi, non obstante voto paupertatis emisso in extincta Societate Jesu, *Recineten. Parochiæ 20. Septembris pag. 239.*

Parocho S. Mariæ nuncupatæ *di basso* Diœcesis S. Miniatis conceditur facultas cedendi unicum ejus Parochiæ prædium diviti cuidam Parochiano sub lege restaurandi fatiscentem Ecclesiam ædesque parochiales, & assignandi fundum liberum arbitrio Episcopi pro congrua ejusdem Parochi in scutis 112., *S. Miniatis 22. Novembris pag. 263.*

Patronis assertis Oratorii Nativitatis B. M. Virginis erecti in Villa nuncupata *Amorosa* pientinæ Diœcesis denegatur cessio bonorum ejusdem Oratorii annui reditus scutor. 17. 89., & jus nominandi Capellanum, quod spectat ad Parochum S. Luciæ oppidi senalogensis, licet manutentionem desponderet Capellani, & sacræ supellectilis, pro qua requiri asserebat annua scuta 40. 80., *Pientina Cessionis 6. Decembris pag. 283.*

S

SEminarii taxam solvendam non esse declaratur ex Capellaniis mere laicalibus institutis in parochiali Ecclesia S. Crucis Montis Bodii, quæ a Fundatore Francisco Fisico nuncupantur *di Fisico*, *Senogallien. Taxæ Seminarii 6. Decembris pag. 292.*

Supplicationibus, quæ fiunt per Capitulum Collegiatæ oppidi Capraniœ feriis sextis Martii, interesse debere decernitur Patres Conventuales ejusdem oppidi, *in Sutrina 6. Decembris ad I. Dub. pag. 288.* Declaratur insuper, in supplicationibus Corporis Christi, & S. Terentiani Protectoris oppidi procedere debere Tibicines ante Vexillum Capituli juxta votum Episcopi, *ibid. ad II.* Præcentionem vero antiphonæ, & cantum orationis pertinere ad Superiorem Conventualium, cum in supplicationibus Divi Marci, & Rogationum ad eorum Ecclesiam accedit Capitulum, juxta votum pariter Episcopi, *ibid. ad III.* Ac procedere tandem debere Conventuales ordinate ad Ecclesiam Collegiatam, eamque ingredi ad adorandam Crucem ad formam soliti, cum ipsi supplicationum causa ad illam accedunt, *ibid. ad IV.*

INDEX

CONCLUSIONUM:

Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1794.

ADMINISTRATIO. ADMINISTRATOR,

Administratio bonorum capellaniæ, occaſionaliter conceſſa capellano, non extenditur ad ejus ſucceſſores, *pag.* 257. §. *urgent*.

Adminiſtrator negligens privandus eſt adminiſtratione, *pag.*257. §. *ut se*.

Nec facile poſt præſtitum conſenſum deputationi alterius adminiſtratoris redintegrari debet, *ibidem*.

ALIENATIO

Bona Eccleſiæ alienari nequeunt inconſulta Sede Apoſtolica, *pag.* 222. §. *jure*.

Nec permitti debet illorum alienatio abſque utilitate, *pag.*259. §. *agitur*.

Hac tamen concurrente facile conceditur, *pag.* 279. §. *quamvis*.

Cedere nequit Locus pius jus quæſitum, *pag.* 60. §. *quantum*.

Alienatio. Vid. Emphyteuſis.

BAPTISMUS.

Imprimit characterem, *pag.*166. §. *tunc ſane*.

In dubio validæ collationis iterari debet ſub conditione, *ibidem*.

Si absque prudenti tamen iteratur dubio, dans & accipiens evadunt irregulares, *ibidem*.

Nulla eſt collatio Baptiſmi per aſperſionem corporis materni, *pag.* 167. §. *his præmiſſis*.

Baptismus collatus per apertum oſtium in utero matris, ſecundum aliquos Theologos & Canoniſtas eſt nullus, *pag.*167. §. *at quatenus*, & *ſeq.*

Secundum alios eſt validus, *pag.* 168. §. *his*, & *ſeq.*

At ex hoc ipſo opinionum conflictu dubia redditur validitas Baptiſmi in utero matris, & fit locus illius iterationi ſub conditione, *pag* 170. §. *ſi noviſſima*, & *seq.*

BENEFICIUM.

Ex jure naturali, & Divino ſervari debent leges fundationis beneficii, *pag.* 151. §. *immutare*.

Beneficii inveſtimenta facienda ſunt in bonis ſtabilibus fructiferis, veris, & non fictis, *pag.*221. §. *de quarto*.

Et fieri etiam valent in Locis MM., quæ æquiparantur ſtabilibus, *pag.*237. §. *nulla*.

CANONICATUS. CANONICI.

Ubi par non eſt fundus erectioni canonicatus, erigi permittitur manſionaria, *pag.* 60. §. *opportunior*.

Pati non debet diuturna canonicatus vacatio, *pag.*126. §. *his*, & *pag.*130. §. *diutius*.

Si nullum Capitulo affertur incommodum per conceſſionem canonicatus ſimplici clerico, non attenditur irratinnabilis illius diſſenſus, *pag.* 124. §. *quædam*.

Et ex veriſimili mente Fundatoris canonicatus derogatur ſacerdotali qualitati, *ibidem*.

Monſtruoſum tamen eſt numerare puerum inter canonicos Eccleſiæ cathedralis, *pagin.* 125. §. *at ne*.

Atque exempla ſuſpenſionis, & adminiſtrationis pro pauperibus pueris conſanguineis, ſimplicia reſpiciunt beneficia, *ibidem*, & *pag.* 126. §. *his*.

Conſuetudo ſubſtituendi alterum canonicum ad ſervitium chori adverſatur Sac. Concil. Tridentino, *pag.*77. §. *ſolemnis*.

Ex Tridentina enim lege tenentur clerici beneficiati obire officia per se ipsos, *ibidem*.

Neque ab hujusmodi obligatione ſolvi queunt canonici per capitulares conſtitutiones, *pag.* 77. §. *nam peculiares*.

Vel immemorabilem etiam conſuetudinem, *ibidem*.

Rigidam vero hanc Tridentini diſciplinam moderata fuit Sacra Congregatio in Eugubina 15. Decembris 1605., ſub pluribus tamen conditionibus, ac dummodo præſertim frequenter non contingeret ſubſtitutio, *pag.* 78. §. *at hanc*.

Atque ex moderata conciliari diſciplina canonicis etiam coadjutoribus competere videtur facultas ſubſtituendi ad breve tempus, *pag.*153. §. *competunt*.

Nam in præeminentiis, honoribus, & privile-

vilegiis repræsentant coadjutos, *ibidem*.

Eo magis si accedat consuetudo, *ibidem*.

Quæ tendit in augmentum Divini cultus, *ibidem*.

Et licet Sacra ipsa Congregatio facultatem coadjutoribus ademerit substituendi in Casertana 26. Februarii 1650., *pag.* 153. §. *contrarium*.

Non omnibus tamen ademit, sed iis tantum, qui canonicum substituunt diversi ordinis, *ibidem*.

Canonici non residentes, & Divinis officiis non interessentes, fructus non faciunt suos, *pag.* 78. §. *quod si*.

Eis vero ob bonam fidem condonari solent fructus male percepti, *ibidem*.

Canonici. Vid. Chorus.

CAPELLANIA. CAPELLANUS.

Erigenda est capellania collativa cum designatione Ecclesiæ, vel Altaris, quum nemo privatus constituere valeat locum sacrum, vel rem spiritualem sine auctoritate Ordinarii, *pag.* 25. §. *Agitur*.

Et quanto citius fieri debet illius erectio, *ibidem*.

Necessitas erigendi, & conferendi capellaniam impugnari nequit contra enunciativam Pontificii chirographi, *ibidem*.

Hæc vero enunciativa non probat in præjudicium tertii, *pag.* 26. §. *notat*.

Lædere enim non solet Summus Pontifex jus tertii, nisi deliberate, & ex publica causa, *pag.* 59. §. *suam*.

Capellaniæ institutio, facta in reciproco testamento, revocari nequit secundum aliquos per superstitem, *pag.* 59. §. *difficile*.

Maxime post perceptum ex eodem testamento emolumentum, *ibidem*.

Ex veriori tamen aliorum sententia revocare valet superstes quo ad se reciprocam dispositionem, licet amplissimis irrevocabilitatis clausulis munitam, *pag.* 59. §. *si verior*.

Centenaria possessio Fundatoris capellaniæ non confirmat titulum nullum, *pag.* 148. §. *nimis*.

Fundatio capellaniæ, facta a filio fideicommittentis, sustinetur super detractionibus legitimæ & trebellianicæ, nisi probentur consumptæ, *pag.* 83. §. *quamvis*.

Utraque enim detractio debetur filio, *ibidem*.

Iamque impugnare nequeunt heredes Fundatoris, *ibidem*.

Pertinentia fundi ad institutorem capellaniæ probatur ex attestatione publici Archivistæ de sibi exhibita apocha acquisitionis *pag.* 299. §. *Missarum*.

Simplex Missarum onus, & amovibilitas celebrantis ecclesiasticam excludit capellaniam, *pag.* 26. §. *notat*.

Ecclesiasticam vero inducit illius qualitatem demandata erectio, licet non expleta, *pag.* 267. §. *sustinet*.

Una eademque capellania potest esse ecclesiastica quo ad nominandum, laicalis quo ad nominantem, *ibidem*.

Capellania ecclesiastica ipso jure cadit contrahens matrimonium, *ibidem*.

Beneficiatus enim contrahens matrimonium tacite renunciare censetur beneficio, *ibidem*.

Capellaniæ laicalis sunt capaces laici, infantes, feminæ, *pag.* 266. §. *urget*.

Et retineri potest in statu etiam conjugali, *ibid.*

Eo magis concurrente paupertate, *ibidem*.

Capellania laicalis in concursu laici, & ecclesiastici conferenda est ecclesiastico, *pag.* 267. §. *sustinet*.

Neque in præjudicium ecclesiastici concedenda est dispensatio eam retinendi in statu conjugali, *pag.* 267. §. *Quod conjugato*.

Missarum celebratio cum eleemosyna manuali adversatur institutioni capellaniæ in titulum, *ibidem*.

Capellania relicta Sacerdoti convenit etiam clerico, qui Sacerdotis nomine continetur, *p.* 26. §. *secunda*.

Non obstante adjectione idoneitatis, quæ probitatem respicit morum, *ibidem*.

Immo pauper clericus præferri debet Sacerdoti, *ibidem*.

Capellania laicalis suam retinet naturam etiam collata in titulum patrimonii, *pag.* 294. §. *at nonnullæ*.

Vetitum enim non est, quem ad ordines promoveri cum capellania laicali, *ibidem*.

Quum titulus patrimonii sit subsidiarius *ibidem*.

Ubi institutio capellaniæ respicit Sacerdotem celebrantem, intelligitur de Sacerdote actu, *pag.* 27. §. *recedendum*.

Melius in institutione capellaniæ interpretari nequit Sacerdotis nomen, quam ex facto, & observantia Fundatoris, *ibidem*.

Facile permitti non debet, ut capellania libera fiat patronalis, *pag.* 235. §. *jus nominandi*.

Jus nominandi capellanum non læditur, ubi incerta est persona nominantis, *pag.* 60. §. *opportunior*.

Augere non debet heres stipendium capellani præfinitum per rem judicatam, *pag.* 145. §. *cogit*.

Tenetur tamen ubi indefinitam obligationem habet ex testamento manutenendi capellanum, & pares sunt reditus hereditatis supplemento stipendii, *pag.* 145. §. *ponderandum*.

Administratio bonorum capellaniæ occasionaliter concessa capellano, non extenditur ad ejus successores, *pag.* 257. §. *urgent*.

Negligens eorumdem bonorum curam privandus est administratione, *pag* 257. §. *ut se*.

Nec facile post præstitum consensum deputationi alterius administratoris redintegrari debet, *ibidem*.

Qui fundum capellaniæ ære suo vindicavit, imponere potest novum onus super capitali impenso, *pag.* 299. §. *Missarum*.

Ut quis privari valeat perpetua capellania, requiruntur monitiones, & sententia declaratoria,

toria, *pag.*294. §. *communiter*.
Capellaniæ possessio capta non citato possessore est circumscribenda, *pag.*266. §. *urget*.
Capellania. Vid. Seminarium.

CHORUS

Servanda est consuetudo vacandi a choro infra tres menses, *pag.*287. §. *a quo*.
Ob tenuitatem tamen redituum ampliari debent hujusmodi vacationes ad trimestre concessum a S.C.T., *ibidem*.
Et ob insalubritatem aeris, *ibidem*.
Concurrente præsertim finitimarum Ecclesiarum consuetudine, *ibidem*.
Absentes a choro tempore conciliarium vacationum privantur distributionibus, *pag.* 288. §. *quatenus*.
Non item prædendis, *ibidem*.
Jubilationis indultum conceditur post quadragenarium servitium chori, *pag.* 297. §. *quadragenarium*.
Nisi Divinus cultus detrimentum patiatur, *ibidem*.
Vid. Officium Divinum.

CLAUSURA.

Inducta est ex jure ecclesiastico, *pag.* 53. §. *rationibus*.
Ideoque contraria consuetudine præscribi valet, *ibidem*.
Atque inducta est ad arcendas mulieres a Cœnobiis virorum, & viros a Monasteriis mulierum, *pag.*52. §. *Ut omnis*.
Non extenditur ad domos rusticas, & hortos a Cœnobiis disjunctos, *pag.*52. §. *cum vero*.
Ei vero subiiciuntur loca, & horti, qui intra septa Monasterii continentur, *pag.* 53. §. *verum*.
Ad Ordinarios locorum pertinet clausuram restituere, *pag.*54. §. *si vero*.
Dissentientibus etiam Superioribus regularibus, quibus non licet clausuram moderari, aut tollere, *ibidem*.
Et non obstante consuetudine, *pagin.* 55. §. *quam sane*.
Superiores tamen regulares statuere valent fines clausuræ, *pag.*53. §. *rationibus*.
Et damnanda non est consuetudo, ex qua non observantur omnino illius præcepta, *ibid.*
Mulieres ingredientes clausuram incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reservatam, & Religiosi patientes earum ingressum privantur officio, & incurrunt suspensionem, *pag.*52. §. *ut omnis*.

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

Commutari non debet pia morientis voluntas, *pag.* 96. §. *reque vera*, *pag.* 142. §. *rem*, & *pag.* 300. §. *si autem*.
Nisi justa & necessaria concurrat causa, *p.* 118 §. *sacrum*.
Justa causa est difficultas exequendi dispositionem *pag.*59. §. *si verior*.
Hoc enim casu interpretatio potius, quam commutatio est voluntatis, *pag.* 142. §. *qui instantiam*.

DISTRIBUTIONES.

Divinum augent cultum, quem alias canonici ob tenues præbendas negligerent, *pag.* 142. §. *qui instantiam*, & *pag.* 205. §. *Cum in hoc*.
Quod in distributiones confertur, excedere nequit semestrem fructum præbendarum, *pag.* 199. §. *verum*.
Et nisi hujusmodi contributio ad congruam sufficiat distributionum taxam, alia Episcopus adhibere debet remedia a Sac. Conc. Tridentino præscripta, *pag.* 209. §. *jam vero*, & *pag.*206. §. *quod si nova*.
In augmentum distributionum erogari valent mediæ annatæ, *pag.*205. §. *cum in hoc*.
Amissæ distributiones accrescunt canonicis interessentibus, *pag.*79. §. *hac porro*.
Et reddi debent perceptæ, *ibidem*.
Favore tamen fabricæ Ecclesiæ, vel pauperum, *ibidem*.
Vid. Chorus.

DOS.

Dos relicta puellæ non debetur nuptæ, *pag.* 31. §. *quatenus*, & *pag.*231. §. *prima*.
Si ejus vero petitio præcessit nuptias, integrum servatur jus petentis, *ibidem*.
Dotis legatum accipi debet de manu heredis, *pag.*29. §. *de futura*.
Annuum dotis legatum est perpetuum, *pag.* 32. §. *ne vacent*.
Deficit in uno anno, deficiente conditione, *pag.*30. §. *deliberandum*.
Caducatur favore heredis, *ibidem*.
Et deberi incipit anno sequenti, *ibidem*.
In annuis enim relictis tot sunt legata, quot anni, *ibidem*.
Eaque sumenda est interpretatio, quæ minus gravet heredem, *pag.*31. §. *ex iisdem*.
Legatum dotis relictum puellis consanguineis, extendi non debet ad extraneas, *pag.* 32. §. *ne vacent*.
Dotes caducæ iterum conferri debent, ubi respexit Testator ad pium dotationis opus in genere. *pag.*31. §. *urget*.
Dotes item devolutæ ob non contractum matrimonium, veluti ob non sequutum dotationis effectum, *ibidem*.
Dotium cumulus concedi solet pauperibus Testatoris consanguineis, *pag.*36. §. *ex ore*.
Ad congruitatem, *pag.* 161. §. *se oratrix*, & *pag.*231. §. *prima*.
Præmaturus concedi non debet cumulus dotium, *pag.*232. §. *quo ad Nazariam*.

Dotale subsidium certo puellarum generi relictum, non debetur puellæ diversi generis, *pag.*121. §. *nedum*.

Nisi agatur de consanguineis Testatoris, *pag.*122. §. *res*.

Dotale subsidium debitum jure actionis, debetur etiam diviti, *pag.*231. §. *Theodoræ*.

Circa dotalia subsidia servanda sunt pacta, *pag* 40. §. *petitioni*.

Dotalia subsidia erogari nequeunt contra formam fundationis, *pag.* 10. §. *quod attinet*.

Nec etiam in alios pios usus, *pag.* 17. §. *applicationi*.

Dotalia subsidia vacantia cumulari debent, ut pluribus deinde conferantur, *pag.*32. §. *ne vacent*.

Dotalia subsidia relicta meretricibus, iis conferenda sunt, quæ publice & palam multorum patent libidini, *pag.*184. §. *major*.

Nec facile ad alias extenditur mulieres illorum legatum, *ibidem*.

In defectum vero meretricum conferri valent simplicibus stupratis, quæ parum ab illis distant, *ibidem*.

Pauperes consanguineæ Testatoris præferri debent ad dotalia subsidia pauperibus puellis in genere relicta, *pag.*161. §. *se oratrix*.

Attentis potissimum aliarum consanguinearum exemplis, *ibidem*.

Nulla enim incertis puellis vocatis fit injuria, *ibidem*.

Ubi puellæ consanguineæ sunt vocatæ, admittuntur ad dotalia subsidia ultra decimum gradum, *pag.*162. §. *inficiatur*.

Consanguinitas non probatur ex sola identitate cognominis, *ibidem*.

Consanguineis vero æquiparantur amici, *pag.*164. §. *indulgentiam*.

Consanguinearum vocatio ad certa subsidia, earum vocationem excludit ad subsidia dotalia, *pag.*162. §. *ad excludendam*.

Indulgendum est quo ad subsidia dotalia pauperibus Fundatoris descendentibus, *pagin.* 41. §. *quatenus*.

Ad augendum subsidiorum dotalium numerum concessit quandoque Sac. Congregatio facultates investiendi dotes devolutas, *pagin.* 9. §. *Loca*.

Perpetua enim ampliorum subsidiorum dotalium utilitas præferri debet commodo unius, vel alterius dotandæ, *pag.* 184. §. *cumulo*.

Fructus capitalis subsidiorum dotalium requuntur illius naturam, & in dotalia pariter erogari debent subsidia, *pag.* 126. §. *hujus*.

ELECTIO. ELECTUS.

Electio legitime expleta facultatem adimit variandi, *pag.*74. §. *in hac*.

In minoribus vero beneficiis simplex est nominatio, *pag.*75. §. *negligendum*.

Nullum jus ante præsentationem tribuit nominato, *ibidem*.

Et retractari valet, *ibidem*.

Ad validitatem electionis interesse debent comitiis duæ capitularium partes, *pag.*74. §. *in hac*.

Ob voluntarium vero quorumdam capitularium discessum, jus eligendi consolidatur in reliquis, etiamsi duas non constituant partes Collegii, *pag.*75. §. *negligendum*.

Protestatio contra electionem, admissa cum clausula *si & in quantum*, non impedit processum ad ulteriora, *ibidem*.

In electionibus præferri debet dignior, *pag.*74. §. *in hac*.

Et electus censetur ad beneficium, qui majorem habet suffragiorum partem, *ibidem*.

EMPHYTEUSIS.

Preces nomine Locii pii pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim, præsumuntur porrectæ ab eo, cujus interest concessio, *pag.*88. §. *omnem*.

Eique idcirco non prodest gratia, *ibidem*.

Ob reticitas præsertim meliores aliorum oblatorum conditiones, *ibidem*.

Salvum est Locis piis in deliberatione emphyteusis beneficium addictionis in diem, *pag.* 88. §. *vitium*.

Perficitur deliberatio per exequutionem Literarum Apostolicarum, & ab hac incipit tempus addictionis, *ibidem*.

Antiquitus præfiniti erant auctionibus dies viginti, *pag.*89 §. *advertit*.

Modo a deliberatione dies 20. ad offerendam vigesimam, menses tres ad sextam, *ibidem*.

Et his terminis respective elapsis, fas non est offerre, neque vigesimam, neque sextam, *ibidem*.

Loco addictionis in diem non admittuntur simplices, & serotinæ oblationes, *pag.*89. §. *ponderandum*, & *pag.* 111. §. *quum Antonius*.

Nec etiam favore Fisci, & Ecclesiæ, *pag.* 89. §. *ponderandum*.

Sunt tamen, qui respui non debere censent seras oblationes Loco pio utiles, *pagin.* 88. §. *vitium*.

Reservatio vigesimæ, & sextæ simplices excludit oblationes, *pag.*89. §. *ponderandum*.

Prælatio ad emphyteusim debetur majori & meliori oblatori, *pag.*109. §. *per comparationem*.

Potius vero favendum est meliori, *ibidem*.

Declaratio superandi in aliqua summa reliquas majores oblationes, veluti incerta, non admittitur, *ibidem*.

FIDEICOMMISSUM.

Ex conditionali plurium personarum vocatione per plures distinctos gradus limitatur glossa in leg. Lucius de hered. instituen., *pag.* 70. §. *urgent*.

Et omnes idcirco in conditione positi censentur per fideicommissum dispositive vocati, *ibid.*

Ex paterno fideicommisso competunt filio detrac-

ctiones legitimæ, & trebellianicæ, *pag.* 83. §. *quamvis*.

Et super hisce detractionibus sustinetur fundatio capellaniæ, *ibidem*.

IRREGULARITAS.

Contrahitur per homicidium commissum præter intentionem, ubi culpa præcessit casum, *pag.* 301. §. *triplici*.

Per ascensum item ad Sacerdotium cum falsis dimissoriis, *ibidem*.

Verius simplex incurritur suspensio, *ibidem*.

Et per administrationem ordinis, *ibidem*.

Irregularis sit tradens arma, quibus patratum est homicidium, *pag.* 273. §. *per traditionem*.

Contrahitur quoque irregularitas facti per vulgatam opinionem delicti, *pag.* 62. §. *quamvis*.

Tollitur per absolutionem ex capite innocentiæ, *ibidem*.

Non item per absolutionem cum præcepto de se repræsentando, vel ob non repertum culpabilem, *ibidem*.

Per lapsum item temporis, *pag.* 63. §. *nonnisi*.

Atque emendationem vitæ, *pag.* 62. §. *cum autem*.

Hisce concurrentibus non raro concessa fuit dispensatio ab irregularitate facti, *p.* 63. §. *nonnisi*.

Publicæ irregularitatis dispensatio pertinet ad Summum Pontificem, *pag.* 302. §. *deliberandum*.

Irregularitatis dispensatio concedenda non est simplici Clerico, qui voluntarium commisit homicidium, *pag* 273. §. *per traditionem*.

Nec etiam si illud occulte commisit, *pag.* 62. §. *cum autem*.

Conceditur vero etiam Clerico, concurrente emendatione vitæ, & necessitate Ecclesiæ, *pag.* 274. §. *Ei*.

Biennium a commisso homicidio non sufficit ad obliterandam memoriam delicti, *pag.* 273. §. *per traditionem*.

JUSPATRONATUS.

Acquiritur per donationem dotis, *pagin.* 235. §. *ius nominandi*.

Dummodo dimidia saltem beneficii, vel capellaniæ dos constituatur, *ibidem*.

Probatur ex visitationibus, & testibus, *pag.* 279. §. *quamvis*.

Concessio jurispatronatus est gratiosa, *pag.* 235. §. *qui offert*.

Juspatronatus veluti spirituale deduci nequit in commercium, *pag.* 157. §. *suam*.

Ei competit, qui qualitatem habet fundationis, *ibidem*.

Et nominatus ab ipso, institui debet ad beneficium, *ibidem*.

Juspatronatus exercere valet egrediens a Religione, *ibidem*.

Juspatronatus delatum post ingressum in Religionem, comprehensum non est in præcedenti renunciatione Religiosi, *ibidem*.

Quamvis renunciatio retractari nequeat post dimissum religiosum habitum, *pag.* 158 §. *sibi*.

Votum paupertatis acquisitionem impedit jurium, inter quæ juspatronatus, *ibidem*.

Manet enim post egressum etiam a Religione, *ibidem*.

Non impedit tamen jurispatronatus exercitium, ut non impedit bonorum usumfructum, *pag.* 157. §. *suam*.

Juspatronatus reservatum natu majori, reservatum censetur primogenito, *pag.* 158. §. *sibi*.

Eique competit ad exclusionem senioris patrui, *ibidem*.

Facile permitti non debet, ut capellania libera fiat patronalis, *pag.* 235. §. *jus nominandi*.

LEGATUM.

Habet causam lucrativam, sibique heres retinere valet, quod supereſt adimpletis oneribus, *pag.* 101. §. *graves*.

Accipi debet de manu ferentis, *pag.* 29. §. *de futura*.

Annuum legatum est perpetuum, *pag.* 32. §. *ne vacent*.

In annuis relictis tot sunt legata, quot anni, *pag.* 30. §. *deliberandum*.

Annuum legatum deficit in eo anno, in quo deficit conditio, *ibidem*.

Et deberi incipit sequenti anno, purificata conditione, *ibidem*.

In legatis spectanda potissimum est mens Testatoris, *pag.* 173. §. *ad rectam*.

Pia legata interpretantur ex consuetudine loci, *ibidem*.

Et ex observantia heredum, *pag.* 174 §. *singillatim*.

Res pretiosæ, ad quotidianum usum non destinatæ, non comprehenduntur in supellectili legata, *pag*, 252. §. *instantiam*.

Valor pecuniæ legatæ attenditur de tempore conditi testamenti, *pag.* 253. §. *omnino*.

In legatis perpetuis acceptatio decessoris non præjudicat successori, *pag.* 174. §. *singillatim*.

Ad legatum relictum pauperibus præferri debent pauperes consanguinei Testatoris, *pag.* 49. §. *quæritur*, & *pag.* 50. §. *nisi*.

Et facile illorum favore admittitur extensio legati, *pag.* 49. §. *quæritur*.

Prælatio autem tributa illis de domo Testatoris, remotissimos quoque comprehendit consanguineos, qui nomine domus continentur, *ibidem*.

Legatum alimentorum relictum pauperibus, debetur etiam quo ad præteritum, *pagin.* 175. §. *in hoc*.

Quod legatum est in unum pium opus, converti non debet sine Apostolica auctoritate in aliud, *pag.* 59. §. *suam*.

A pio legato defenso refici debent expensæ litis, §. 180. §. *sive autem*.

Legatum. Vid. Dos.

MA-

Absoluta impotentia viri matrimonium dirimit, *pag.*240. §. *ad absolutam*.
Eam probare debet uxor agens pro dissolutione matrimonii, *pag.*241. §. *hæc summatim*.
Alias matrimonium non dissolvitur, *ibidem*.
Impotentiam viri absolutam probat virginitas mulieris post triennem cohabitationem, *pag.* 240. §. *ad absolutam*.
Eoque magis post octennem, *ibidem*.
Et satis est hujusmodi probatio ad dissolvendum matrimonium, *ibidem*.
In dubia etiam impotentia Viri, *pag.* 240. §. *toti*.
Ex receptiori autem phisicorum sententia certa existunt virginitatis signa, *pag.* 240. §. *ad absolutam*.
Licet ad cognoscendam impotentiam viri non requiratur de jure canonico inspectio ejus corporis, *pag.*241. § *quamvis*.
Fit tamen ex antiqua praxi, *ibidem*.
Immo deficiente visibili impedimento, iteratæ quandoque fuerunt recognitiones, *pagin.* 3. §. *altum*.
Ubi constat de impotentia viri ex peritis judicialibus, deferendum non est extrajudicialibus, *pag.*4. §. *quanti*.
Aquosum semen viri cum virginitate mulieris excludunt consumationem matrimonii, *pag.* 241. §. *quamvis*.
Inverisimile tamen est, quod ferre voluerit mulier per plures annos virum impotentem, *pag.* 241. §. *nedum*.
Et sera impotentiæ querela suspecta est, *ibidem*.
Juramentum viri de consumatione matrimonii præfertur contrario juramento mulieris, *pag.* 242. §. *in responsione*.
Vir habens mentulam brevem, & subtilem consumare valet matrimonium absque magna mulieris læsione, *pag.*243. §. *actum*.
Impotentia generandi non dirimit matrimonium, *ibidem*.

MEDIA ANNATA.

Debetur ex canonicatibus, & beneficiis residentialibus, non residentialibus, & simplicibus, *pag* 233. § *fuam*.
Solvenda est deductis expensis & oneribus, quæ minuunt fructus Parochiæ, *pag.*92. §. *iis*.
Et deductis etiam emolumentis, quæ parochiali non obveniunt titulo, *ibidem*.
Licet vero *Benedictina* indefinite comprehendat certos & incertos beneficiorum fructus, nec de ulla loquatur detractione, *pag.* 92. §. *notandum*.
Pro regula tamen statuit Sacra Congregatio, detrahenda esse in beneficiis curatis onera fixa & realia, non item personalia, *ibidem*.

MISSA.

Pro Missarum causa quælibet sumenda est interpretatio *pag.*275. §. *rectum*.
Trahi tamen non debet Testatoris voluntas ad incognita, *ibidem*.
Ita enim intelligenda est dispositio, ut versari potuit in animo Testatoris cum disposuit, *ibidem*.
Missa conventualis celebranda est in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, *pag.*261. §. *conventualem*.
Et servari debet consuetudo celebrandi secundam, & tertiam conventualem, *ibidem*.
Missam parochialem applicare tenetur Parochus ratione officii, non reditus, *pag.*261. §. *ardua*.
Quod destinatum est celebrationi Missarum, in alios usus etiam pios erogari non debet, *pag.* 17. §. *applicationi* & *pag.* 96. §. *neque vera*.
Ejus præsertim favore, qui sciens vendidit bona celebrationi obligata, *pag.* 96. §. *neque vera*.
Erogari tamen valent in aliud pium opus, ubi celebrari nequeunt Missæ ad formam testamenti, *pag.*142. §. *notandum*.
Bona obligata celebrationi Missarum, primævam semper retinent hypothecam, *pag.* 96. §. *neque vera*.
Missarum stipendium censetur demonstrative assignatum, ubi dispositio incipit ab onere, *pag.*104. §. *notandum*.
Illudque supplere tenetur heres ex bonis indefinite obligatis, *pag.* 71. §. *adversus*, & *pag.* 104. §. *notandum*.
Solvens capitale relictum pro celebratione Missarum sua liberatur obligatione, *pagin.* 248. §. *quatenus*.
Missæ celebratio ad certam Ecclesiam & Altare, majus requirit stipendium, *pag.*70. §. *urgent*.
Census cum Locis piis, & Communitatibus idoneum sunt investimentum pro celebratione Missarum, *pag.*249. §. *agitur*.
Celebratio Missæ sub auroram commendabilis est ob spiritualem agricolarum utilitatem, si ei præsertim addantur actus virtutum theologalium, & contrictionis, *pag.*22. §. *quatenus*.
Missæ ultra debitum celebratæ compensari debent cum celebrandis, *pag.*100. §. *urgere*.
Voluntarie tamen celebratæ, liberalis censentur largitio erga animam Testatoris, *ibidem*.
Et denegatur etiam compensatio non concurrente defectu reddituum, *ibidem*.
Magis prodest animæ Testatoris præsens Missarum celebratio, quam major illarum numerus in futurum, *pag.* 150. §. *Quo ad*.
Ubi ea vero difficilis est, fructus destinati pro celebratione applicantur fundo legati, *ibidem*.
Anniversario utiliores sunt plures Missæ, *pag.*138. §. *aliter*.
Celebrandæ sunt Missæ in Ecclesia per Testatorem designata, *pag.*148. §. *ab hujusmodi*.
Ubi circa celebrationem Missarum expresse loquitur

quitur Testator, diversum ferri non debet judicium, *pag.*101. §. *non immerito*.

Altare privilegiatum pro celebratione Missarum concedi solet Ecclesiæ publicæ, *pag.*148. §. *ab hujusmodi*.

Pro translatione Missarum requiritur justa & rationabilis causa, *pag.*118. §. *sacrum*.

Immo necessaria, *ibidem*.

Et hac deficiente causa denegatur translatio, *ibidem*.

Denegatur etiam, si incommoda est Populo, *pag.*104. §. *si ex hoc*, & *pag.*118. §. *sacrum*.

Et ab Ecclesia, in qua sepultum est Testatoris cadaver, *pag.*118. §. *sacrum*, & *pag.*137. §. *ne conceditur*.

Conceditur vero ob incommodam celebrationem Missarum in designata Ecclesia, *pag* 119. §. *despicienda*.

Et ad evitanda scandala, *ibidem*.

Eo magis ubi solicitus non fuit Testator de loco celebrationis, *pag.*138. §. *aliter*.

Idem enim Fundatori est suffragium, sive in una, sive in altera Ecclesia celebrentur Missæ, *pag.* 119. §. *despicienda*, & *pag.*138. §. *sepultum*.

Injustus dissensus Capituli Ecclesiæ, a qua transferri debent Missæ, impedimento non est translationi, *pag.* 138. §. *sepultum*.

Quandoque in tenues augendas distributiones commutantur Missæ, *pag.* 142. §. *notandum*.

Missarum suspensio conceditur ad reædificandam Ecclesiam parochialem deficientibus aliis mediis præscriptis a S. C. T, *pag.*272. § *quoties*.

Et ad succurrendum religiosæ Familiæ indigenti, *pag.*285. §. *justa*.

Potius ex S.C.T. reformari debet Religiosorum numerus, *pag.*286. §. *Magis*.

Valide assumunt Regulares perpetua Missarum onera de licentia eorum Generalis, vel Provincialis, *pag.*247. §. *quo ad primum*.

Et datam fidem servare debent fidem, *ibidem*.

Promissio tamen evictionis fundi per eos emissa sine causa, non sustinetur, *pag.* 247. §. *sustinet*.

Evictionis enim promissio species est alienationis, quæ Beneplacitum requirit Apostolicum, *ibidem*.

A præterita Missarum omissione excusat impotentia, *pag.* 65. §. *ad præteritum*, *pag.* 97. §. *consulendum*, & *pag.*262. §. *hæc ipsa*.

Atque etiam a futura, *pag.*96. §. *quamvis*.

Nemo enim obligari valet ad impossibile, *ibidem*.

Ex præsumpta quidem Testatoris voluntate, qui non permitteret, ut ad servandum legatum Missarum, filius interim, vel consanguineus periret fame, *ibidem*.

Saltem conceditur pauperi obligato temporaria Missarum suspensio, *ibidem*.

Ob bonam etiam fidem conceditur absolutio a Missis non celebratis, *pag.*276. §. *quo vero*.

Aliquo tamen juxta circumstantias præscripto Missarum numero, *ibidem*.

Missæ. Vid Capellania. Parochia. Reductio.

OFFICIUM DIVINUM.

Recitandum est Divinum Officium congruis horis, *pag.*15. §. *recitandum*.

Eo magis si accedat observantia, *ibidem*.

Ex veteri Ecclesiæ disciplina recitandum erat matutinum sub mediam noctem, *pag.* 107. § *rigida*.

Progressa vero temporis permissa fuit illius recitatio sub auroram, ac tandem post vesperas, & completorium præcedentis diei, *ibid.*

Dies enim quo ad Divina officia a præcedentibus incipit vesperis, *ibidem*.

Verus tamen servanda est disciplina in Cathedralibus, & Collegiatis, *ibidem*.

Completorium celebratur in memoriam sepulturæ Christi, ideoque præcedere debet occasum Solis, *pag.*15. § *recitandum*.

Justis vero de causis permittitur horarum mutatio, *ibidem*.

Ex frigiditate præsertim Ecclesiæ, *pag.* 108. §. *At ex structura*.

Hiemali præsertim tempore, quod accipitur a die prima Novembris ad primam Maii, *ibid.*

Æqua namque est horarum mutatio ad conservandam valetudinem, *ibidem*.

ORDO

Nulla est collatio ordinis deficiente accipientis intentione, *pag.*113. §. *licet*.

Sufficit habitualis intentionis defectus, *ibid.*

Præcedens ordinati protestatio removet consensum a sequenti ordinationis actu, *ibidem*.

Post plures vero dies ab ea emissa, mutata censetur voluntas per contrarium accepti ordinis actum, *pag.*116. §. *procul*.

Serio enim exercita accipientis actio validum reddit ordinem, *pag.*115. §. *exploratum*.

Ad exemplum Baptismi, & velamenti Sanctimonialium, *ibidem*.

Coactio absoluta impressionem impedit characteris, *pag.*113. §. *at posita*.

Non item causativa, *ibidem*.

Quæ non irritat ordinem, *ibidem*.

Instigationes, & minæ parentum coactionem inducunt causativam, *pag.* 114. §. *probat*.

Et assumptus censetur ordo per terrorem, & metum, *ibidem*.

Metus esse debet cadens in constantem virum, *pag.* 115. §. *exploratum*.

Et ad effectum cogendi invitum ad ordinem, de præciso ordinationis tempore, *ibidem*.

Metum quidem probant antecedentes consequentes ordinati, *ibidem*.

Sed non præsumitur metus absentium a loco ordinationis, *pag.*116. §. *procul*.

Ob coactionem causativam necessaria olim videbatur dispensatio a voto continentiæ, *pag.* 113. §. *at posita*.

Contraria deinde recepta fuit sententia, eam nempe

Nempe coactionem non obligare ad continentiam, *ibidem*.

Sæpe tamen actum in praxi de dispensatione; & justa reputata est causa dispensandi a voto continentiæ coactio causativa, *pag.*115. §. *nisi.*

Favore præsertim juvenis ob timorem incontinentiæ, *ibidem*.

In quolibet autem hujusce coactionis dubio denegata fuit dispensatio, *pag.*116. §. *procul*.

PAROCHIA.

Parochiæ pauperi applicari valent legata Missarum, *pag.*18. §. *ex his*.

Ad reparandam Ecclesiam parochialem adhibenda sunt media Sac. Conc. Tridentini, *pag.*259. §. *at fieri*.

Vid. Missa.

PATRIMONIUM SACRUM.

Taxa patrimonii sacri statuitur ex synodali lege, vel consuetudine, *pag.*151. §. *immutare*.

Sufficiens tamen esse debet ad sustentationem ordinandi, *ibidem*.

PATRONUS.

Retractare valet simplicem nominationem, *pag.* 159. §. *hæc tamen*.

Reparare tenetur Ecclesiam, deficiente ejus reditu, *pag.*235. §. *jus nominandi*.

REDUCTIO.

Reducere nequeunt Ordinarii Missas, aliaque pia legata, *pag.*173. §. *ad rectam*.

Sed hæc facultas reservata est S. Sedi, *pag.* 207. §. *Concilium*.

Concedenda non est reductio post acceptationem, & adimplementum oneris, *pagin.* 13. §. *præter & pag.*282. §. *Verum*.

Limitatur ubi emolumentum non respondet oneri, *pag.*13. §. *secrevit*.

Onus enim pii legati reducendum est ad æquitatem, *pag.* 84. §. *a resolutione*, & *pag.* 282. §. *multa*.

Sed alia potius reduci debent onera, quam Missæ, *pag.*282. §. *multa*.

Denegatur item reductio Missarum quibus pares sunt reditus, *pag.* 71. §. *adversus*, *pag.* 101. §. *non immerito*, *pag.* 143. §. *ceterum*, *pag.*165. §. *valde*.

Nec facile conceditur reductionis reductio *p.*65. §. *quæ anno*.

Nisi ad æquandum onus cum emolumento, *ibidem*.

Et in dimetiendo emolumento habenda est ratio aucti rerum pretii, *ibidem*.

Caute procedendum in reducendis Missis per contractum acceptis, *pag.*209. §. *verum*, *pag.*254. §. *si res*.

Indulgeri tamen debet illarum reductio ob nimiam reditum tenuitatem, *pagin.* 209. §. *verum*.

Et ubi non constat de onere ex pacto expresso, sed ex conjecturis, & tabellis, *ibid.*

Justam præbet causam reductioni Missarum paupertas obligati, *pag.* 21. §. *reductionem*, & *pag.*164. §. *indulgentiam*.

Et difficultas Sacerdotis celebrantis, *pag.* 104. §. *ex informatione*.

Ob imminutos reditus reducenda, non abroganda sunt onera, *pag.*207. §. *Concilium*.

Missæ cum cantu, & anniversaria reduci solent ob tenues reditus ad Missas lectas, *pag.* 210. §. *itaque*.

Nisi pro una, vel pluribus Missis cum cantu sufficiant reditus, *pag.* 223. §. *prompta*.

Facile concedenda non est reductio Missæ conventualis post diuturnam illius celebrationem, *pag.* 261. §. *conventualem*.

Conceditur vero ad dies festos, ubi reditus cujusque Canonici annua non attingit scuta triginta, *ibidem*.

Ubi Testator principaliter respexit ad officia Capituli, reducendæ sunt potius Missæ, *pag.*221. §. *respondendum*.

REGULARES

Interesse debent supplicationibus Corporis Christi, & Rogationum, aliisque publicis, non obstante consuetudine, privilegio, & præscriptione, *pag.*290. §. *ne interesse*.

Conciliaris vero dispositio, veluti correctoria in id libertatis, non extenditur ad supplicationes, quæ statis fiunt diebus anni, *ibidem*.

Neque ad supplicationes, quæ ex correspectivo celebrandæ sunt pacto, *ibidem*.

Tibicines in conciliaribus supplicationibus præcedere non debent Crucem Regularium, sed alteram Cleri sæcularis, *pag.*291. §. *innuit*.

Præcentio antiphonæ, & cantus orationis in Ecclesia Regularium competit occasione supplicationum digniori, *pag.* 291. §. *circa*.

Dignius est Prælato regulari Capitulum Cathedralis ratione habitualis jurisdictionis episcopalis, *ibidem*.

Non item Capitulum Collegiatæ, cui nulla est jurisdictio, *ibidem*.

Regulares tamen accedentes occasione supplicationum ad Ecclesiam collegiatam, cum ingredi debent, ut adorent Crucem, *pag.* 291. §. *de ordinato*.

SEMINARIUM

Sac. Conc. Tridentinum comprehendere videtur capellanias laicales in taxa Seminarii, *pag.* 293. §. *quærendum*.

Multo magis Constitutio *creditæ nobis* Benedicti XIII., *ibidem*.

Reditus enim laicalium capellaniarum ob adnexa

adnexa Missarum onera dici valent ecclesiastici, *ibidem*.

Verius tamen laicales capellaniæ, veluti consimiles simplici legato Missarum, immunes sunt a taxa Seminarii, *pag.*294. §. *communiter*.

TRANSACTIO.

Transactio super re clara est nulla, *pag.* 299. §. *Missarum*.

Utilis est ad extinguendam litem, *pag.*83. §. *animadversionem*, *pag.*147. §. *fideicommissaria*, & *pag.*299. §. *Missarum*.

Etiam post editam sententiam; quæ licet præsumptionem habeat justitiæ, *pag.*148. §. *nimis*.

Ancipitem tamen reddit litem in gradu appellationis, *pag.* 147. §. *fi deicommissaria*.

Æqua est transactio, per quam aliquid hinc inde remittitur, *ibidem*.

Inita absque Beneplacito Apostolico, ejusque reservatione confirmari non debet, *pag.* 148, §. *nimis*.

FINIS

BX
1935
A36
t.62-63

Catholic Church. Congregatio Concilii
Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 05 022 3